152
12
304
152
1824

80
12
160
80
960

32
12
64
32
384

1294
3218

THEOLOGIÆ

NATURALIS ECLECTICÆ

ELEMENTA

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

ACCOMMODATA

Accedunt Appendices duae, quarum altera est de Religione, altera de Anima Brutorum.

AUCTORE

PATRE ODOARDO DEL GIUDICE

ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA

IN EPISCOPALI PERUSINO S. BASILII COLLEGIO PHILOSOPHIAE PROFESSORE

EDITIO SECUNDA

PERUSIAE 1826.

Tipys Francisci Baduel

Apud Vincentium Bartelli, et Joannem Costantini

Superiorum Adprobatione

Quaestio de natura Deorum et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam Religionem necessaria. Cicero (Lib. 1, de nat. Deor. cap. 1.).

PRÆFATIO.

Si ullo unquam tempore non praeclarum modo atque opportunum, sed necessarium quoque fuit, eos maxime, qui incumberent studiis, velutque aliorum magistri ac doctores jure haberentur, postremam hanc Metaphysicae Partem, quae est Pars altera Pneumatologiae, scilicet Theologiam Naturalem calluisse; id potissimum opus omnino est aetate hac nostra, quum nefaria pervagantur grassanturque longe lateque impiorum hominum systemata, quibus non clanculum ac per cuniculos, uti olim fieri plerumque assolebat, sed propalam audacissimeque dogmata omnia de Deo, deque ejus Natura, atque Operibus revocantur in dubium, quin et funditus convelluntur. Nos itaque, ut nostri Juvenes non solum cavere pestilentissimum hoc virus, quo inficiuntur Nationes pene omnes, sed etiam ut Incredulorum, si in eorum aliquos offenderent, retundere possint temeritatem ac pervicaciam, omnes in id intendimus nervos, ut et tanti momenti veritas firma

consisteret, et collecta undique potiora, quibus impeti solet, sophismata penitus extricarentur. Hanc ob caussam fieri haud equidem potuit, quin plura diductiori, quam fortasse optaret aliquis, oratione persequeremur. Operae etiam pretium esse duximus, subnectere Appendicem, in qua ex praestitutis in Psycologia et in hac ipsa Theologia Naturali theorematis praecipua Religionis universim spectatae primum, deinde vero Naturalis capita atque officia veluti in perbreve coacta compendium luculente invictissimeque essent demonstrata. Plurimum sane interest chistiani Philosophi id genus argumentum. Postremo ad numeris omnibus absolutam Pneumatologiae, quae est de Spiritibus, Tractationem supererat, ut verba etiam fierent de Anima Brutorum. Egimus ea de re non minus perspicue quam uberrime in Appendice Secunda. Illud optandum quam maxime foret, ut Adolescentes omni contentione solidioribus operam darent studiis scientiisque, nec labori aequo nimium parcerent. Virtus in summo est, quam qui assequi voluerit, vires exserat suas conatusque omnino oportet.

IN THEOLOGIAM NATURALEM

ISAGOGE.

De Naturalis Theologiae nomine, natura, ac divisione.

1. *Def.* **T**heologia graece, latine *sermo de Deo*, est instituta de Deo, deque ejus attributis sive proprietatibus, atque in res creatas actionibus disputatio.

2. *Schol.* Duplici via, Ratione scilicet ac Revelatione cognosci ab hominibus possunt, quae ad Deum pertinent; unde orta Theologia *naturalis et revelata*, quarum illam *philosophicam*, hanc vero *mysticam* velutique sacramentis involutam veteres adpellabant. *Naturalis*, quam etiam *Theosophiam*, hoc est, *de Deo scientiam* jure nuncupaveris, ea tantum spectat, quae Naturae lumine de Deo nobis innotescunt; *Revelata*, quae paullo latior est et augustior, de aliis pluribus; veluti de Divinis Personis, de Gratia, de Praedestinatione, deque ceteris sanctissimae nostrae Religionis mysteriis traditam a Deo ipso doctrinam complectitur.

3. Ut priorem, quae nostri instituti est, dilucide absolvamus, ipsam in triplicem partimur Sectionem, in quarum prima de Dei existentia, ejusque a mundi rebus distinctione et unitate, proindeque *Atheismus*, *Pantheismus*, *Polytheismus*, ac *Manichaeismus* refellitur; in altera de divinis attributis sive proprietatibus; in postrema denique de ipsius Dei in res creatas actionibus disputabimus. Sit itaque

SECTIO I.

De Dei existentia, ejusque a Mundi rebus distinctione; atque unitate.

CAPUT I.

De Dei existentia.

QUÆSTIO I.

Utrum existat Deus?

4. *Def.* 1. *Dei* nomine hoc loci intelligimus ens *a se* sive absoluta necessitate existens, quod ab hoc Universo distinctum sit ac diversum, quodque tanquam prima caussa Universo ipsi existentiam tribuerit.

5. *Schol.*

5. *Schol.* Haec de Deo notio quamvis non complectatur ea omnia. quae ad Deum ipsum pertinent, quaeque erunt rerum inferius dicendarum praestantissimum argumentum; ejusmodi tamen est, nt Supremum illud Numen manifeste indigitet, cujus existentiam praesentis instituti est ostendere ac vindicare.

6. *Def.* 2. *Atheus* sive *Atheista* graece, latine *sine Deo*, ille appellatur, qui Deum aut non agnoscit, aut negat, aut saltem in dubium vertit. Tum status ille vel doctrina, aut etiam vivendi ratio, quae Deum vel non agnoscit, vel negat, vel in dubium vertit, *Atheismus* nuncupatur.

7. *Schol.* Plures Atheismi species distingui a Philosophis solent. *Practicus* sive Atheismus *morum*, si ea sit vivendi ratio, qualem haberent, qui Deum aut aperte rejicerent, aut ignorarent, aut in dubium verterent, ac de quibus inquit Apostolus (*a*): *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Id genus Atheismus esse sive cum errore sive sine errore intellectus potest. *Speculativus* sive *theoreticus*, si ad intellectum pertineat, unde etiam *Atheismus intellectus* vocatur. Duplex imprimis est, *negativus*, si Deus tantum ignoretur; et quidem *vincibilis*, quoties haec de Deo ingnorantia possit dispelli; sin autem dispelli non possit, *invincibilis*, qualis esse in pueris ad usum rationis non adhuc ventis solet. Alter est *positivus*, quum nempe vel Deus ex opinione animoque in dubium vertitur, ac dici consuevit *pyrrhonicus*; vel negatur, et *systematicus* sive *dogmaticus* solet adpellari. Porro dogmaticus vel *directus* est vel *indirectus*. Prior aperte atque omnino Deum rejicit; alter vero quamvis concedat Deum, cum tamen vel eidem tribuat, quod ipsi convenire nullatenus potest, vel eidem detrahat, quod ipsi necessario competit. Deum adeo deformem exhibet, ut is non Deus sed potius monstrum sit ac videatur. Itaque verbis asserit Deum, re tollit. Olim fuisse atque etiam nunc esse Atheos tum *negativos*, qui ad usum rationis non pervenerint, cum *practicos*, *et dogmatico-indirectos*, facile quisque concedet. De *pyrrhonicis* ac *dogmatico-directis* magna est penes eruditos disceptatio, quam paullo inferius diductius exponemus.

8. Ao

(*a*) *Ad Titum cap.* 1. *v.* 16.

Sensus quaestionis.

8. An existat Deus, scilicet ens *a se* sive absoluta necessitate existens; quod ab hoc Universo distinctum sit ac diversum, quodque tanquam prima caussa Universo ipsi existentiam tribuerit, praesentis disputationis caput est ac summa.

9. *Animad.* Deum quoad unam ejusdem existentiam hoc loci spectamus; atque hinc cum Atheis dogmatico - directis, vel etiam cum pyrronicis, si quidem non omnia omnino in suspicionem verterint (*), controversia est. Nam ad dogmatico - indirectos quod pertinet, ipsos subinde refellemus, ubi monstruosa eorumdem de Deo systemata ad trutinam limamque revocabimus.

Opinionum historia.

10. Quosdam olim fuisse Atheos tum pyrronicos, cum etiam dogmatico - directos, memoriae proditum est. Ad priores ii omnes potissimum spectant; qui eo dementiae devenerunt, ut plane omnia, ne seipsis quidem exceptis, in dubium revocarent, quales prae ceteris fuere effrenes Sceptici et Pyrrhonistae (*Log. Annot. ad* §. 290.). Inter posteriores autem ex antiquis numerat Sextus Empiricus (*a*) Diagoram Melium, Prodicum Chium sive Ceum; Euhemerum, Critiam, Theodorum cognomento Atheum, Protagoram Abderitanum, et Epicurum, quorum nonnullos etiam recitat Tullius (*b*), quibusque adduntur ab Æliano (*c*) Diogenes Phrygius, Hippon, et Sosias. Ex recentioribus Athei censeri solent Lucilius Vanini, Mirabaud sive quisquis fuerit Auctor Libri *Systeme de la nature*, Tolandus, Hobbesius, aliique qui quamvis fortasse non animo pro rato haberent, quae scriptis contra Deum profitebantur, attamen cum in id toti incumbant, ut Dei ipsius existentiam plane eliminent, numerari inter Atheos non injuria solent. Ceteri contra sentiunt, ac *Theistae* adpellantur. Non defuere, qui licet Deum fate-

---

(*a*) *Comment. lib.* 8. (*b*) *Lib.* 1. *de nat. Deor. cap.* 1.
(*c*) *Lib.* 2. *Hystor. variae cap.* 35.

(*) *Si Pyrrhonistae omnia omnino in dubium revocent, atque ideo ea etiam fundamenta, quibus superstruitur de Dei existentia demontratio, candide fatemur, ipsos revinci erroris non posse, quemadmodum alibi adnotavimus* (Log. Annot. ad §. 389.).

rentur . nihilo tamen secius ejusdem existentiam sola naturali ratione demonstrari non posse sibi persuaserint . Hos inter eminent Socinus, Jacobus Zabarella ; et Berigardus .

11. *Animad.* Atheismi patroni non uno eodemque utuntur fundamento ; ut Dei existentiam rejiciant , atque invictissimas eludant Theistarum demonstrationes . Alii namque infinitam caussarum atque effectuum contingentium seriem sibi effingunt sine ullo omnino principio absoluta necessitate existente , a quo series illa contingentium ortum suum habuerit . Alii vero ens aliquod plane necessarium adstruere haud dubitant ; sed tamen ipsum non esse aliud , quam *materiem* seu *atomos naturae* , quae motum , effectuum omnium caussam , ex se , necessario , atque essentialiter habuerint , sibi vel etiam aliis persuadere conantur . Utrique Deum aeque negant , scilicet ens illud *a se* existens , quod ab hac rerum universitate distinctum sit ac diversum , quodque tamquam prima caussa ipsi universo existentiam primum concesserit . Sed utrique oppido falluntur .

LEMMA I.

Si existit ens contingens , existit quoque ens a se sive absoluta necessitate existens , a quo tamquam a prima caussa ens illud contingens existentiam suam receperit .

12. *Pr.* Id manifeste ex iis constat , quae in Ontologia de necessario et contingente universim disseruimus (§. 41 *et seqq.*) . Lubeat tamen hoc idem diductius demonstrare . Ens contingenter existens est illud , quod existere aeque potest et non existere ; quodque proinde per suam essentiam non existit , sed est natura sua ad utrumque plane indifferens . Ut itaque existat , vel *a nihilo* , vel *a seipso* tanquam a vera efficiente caussa , vel *ab alio* sed tantum possibili , vel demum *ab alio* et quidem existente pendet : neque enim aliud quidpiam non dicam esse , sed ne confingi quidem potest , a quo contingens existentiam suam primitus recipere potuerit . Jam vero non primum : quippe ex nihilo nihilfit , seu res nulla *ex nihilo* tamquam ex caussa sive materiali sive efficiente potest oriri (*ibid.*§.17.18.) . Non alterum : siquidem nulla res esse potest suimetipsius caussa (*ibid.* §. 268.) . Non tertium : quod enim non existit , nequit profecto existentiam alteri tribuere : namque *operari* , ut inquiunt scholae , sequitur

esse :

esse; tum secus daret alteri, quod non haberet, atque effectus esset suh totali caussa et adaequata nobilior; quae quidem plane repugnant (*ibid.* §. 263. 266.). Superest ergo ut *ab alio* et quidem existente dependeat. Verum hoc aliud ens, a quo, ut sit, pendet ens contingenter existens, vel absolute necessario seu *a se*, vel contingenter seu *ab alio* existit (*ibid.* §. 501.). Non equidem hoc alterum: secus enim cum quaeri huc idem possit de hoc ipso ente *ab alio*, atque ita porro, processus in infinitum admitti oporteret; quod et ridiculum est et absurdum: quandoquidem perinde esset; ac nullam unquam, etiam si in infinitum processeris, rationem sufficientem contingentis existentiae adsignare, proindeque aliquid sine sufficiente ratione adstruere: atque esse; quod rursus plane repugnat (*ibid.* §. 194.). Tum tota haec etiam infinita entium, quorum unumquodque seorsum acceptum contingens est, series quamvis simul collecta, esse debet contingens (*ibid.* §. 56.). Quare necesse est, ut demum ens aliquod *a se*, seu absoluta necessitate existens adstruatur, a quo ens vel etiam tota entium series contingens existentiam hauserit suam. Jam vero hoc ens *a se* esse debet a quovis alio omnino indipendens, uti perspicuum per se est, atque ideo prima entium contingenter existentium caussa. Si igitur existit ens contingens, existit quoque etc. *Q. E. P.*

LEMMA II.

Existunt entia contingentia.

13. *Pr.* Adeo manifestum est, entia contingentia existere, ut nihil magis. Nam si de rebus corporeis sermo sit, quis unquam ignorat, plura in dies phaenomena, effectus, mutationes, vicissitudines evenire atque alia aliis perpetuo succedere? quae cum ita existant postea, ut antea non extiterint, apertissime liquet, existentiam, quam habent, non absolute necessariam, sed omnino contingentem esse debere. Hoc idem fateri debet Idealista (*Log. Annot. ad* §. 292.) quoad ipsam ejus animam, quam pluribus obnoxiam esse mutationibus, dum a cogitatione ad cogitationem, a volitione ad volitionem, ab uno ad alium statum transit, intimo sensu novit, atque experitur. Existunt itaque entia contingentia *Q. E. P.*

LEMMA III.

Nihil eorum, quae ad hujus Universi compaginem ac naturam pertinent, est ens a se.

14. *Pr.* Praecipua, quae in adspectabili hoc Universo esse scimus, sunt materies, motus, effectus, qui ex motu ipso procedunt, ac demum mentes humanae. Haec autem omnia et singula non *a se* existere, sed plane *contingenter*, ostendi quam facile potest. Atque ut ab effectibus ex motu procedentibus exordiamur, quis nesciat, animalium ac plantarum ortum, nubes, pluvias, fulmina, atque id genus cetera, quae sive naturae vi sive arte fiunt, ita existere, ut, si selpsis spectentur, non absolute repugnet, quod non existant? Nam existunt postea, cum antea non extiterint. At vero quod per essentiam suam sive *a se* existit, debet perpetuo extitisse (*Ontol.* §. 59.). Praeterea eo ipso, quod a motu procedant, ab eodem motu, atque ideo *ab alio*, non *a se* existant necesse est. Ad motum quod pertinet, ipsum quoque non necessario sed contingenter existere, constat 1. ex quo materies concipi possit sine ullo prorsus motu; 2. ex quo eadem materies quandoque plane quiescat, atque ideo omni motu destituta omnino sit: 3. ex eo quo si in quiete fuerit, ad motum resistat, adeo ut quietem potius, quam motum in eo statu affectare videatur: 4. denique ex quo ipsa materies sit per se iners, proindeque sive ad quietem sive ad motum plane indifferens; quae quidem ad motum indifferentia eo ipso, quod materies sit iners, tolli nisi ab alio, quod a materie ipsa distinctum sit, non potest. Motus igitur ab alio pendet atque est contingens: immo vero ne est quidem essentialis proprietas corporis. Sed neque inclinatio ad motum, quam *conatum* appellat Tolandus, est corpori essentialis. Nam praeterquamquod concipi potest corpus sine id genus conatu: vel conatus hic ad unum tantum latus tendit, vel aeque ad latera omnia. Non primum illud: si quidem materies, teste experientia, est ad motum versus hoc vel illud latus aeque indifferens. Non alterum: si enim conatus ille ad omnia omnino latera aeque tenderet, profecto corpus nunquam moveretur, uti nunquam reapse movetur, si aequalibus viribus versus latera omnia ipsum trahi contigerit. Quamobrem sive motus sive conatus ad motum est plane contingens. Quod de motu, et conatu ad motum diximus, de legibus quoque ipsius motus, quæ motum

ipsum

ipsum supponunt, dictum intelligatur. Sed contingens quoque est ipsa materies. Nam 1°. nulla apparet absoluta repugnantia, quod aliqua ejus pars, atque ideo etiam tota non existat; quod enim de quavis materiei parte quoad existentiam dicitur, dici etiam de tota, aeque potest ac debet, cum tota, quanta est, ejusdem sit naturae. Atqui quod non contingenter, sed absolute necessario existit, sine repugnantia concipi nequit non existens (*ibid.* §. 43.), sicut triangulum concipi sine tribus angulis non potest. Igitur materies est contingens. 2. Existentia *a se* est perfectissima atque infinita: existentia, inquam, *positiva* (*ibid. Annot. ad* §. 39.), de qua hoc loci sermo est. Ergo perfectissima atque infinita esse in re deberet ipsa materies: quandoquidem infinita perfectio esse nisi in ente infinito non potest. At materies neque perfectissima est neque infinita: pluribus enim scatet imperfectionibus, limitibusque coarctatur, uti manifestum per se est. Tandem materies est mutabilis: sed mutabile et contingens unum plane atque idem sunt (*ibid.* 47.) Materies igitur est contingens. Ad mentes humanas quod spectat, res per sese loquitur. Nam certo nobis constat, uniuscujusque animam non multo ab hinc tempore caepisse existere; tum concipi sine absoluta repugnantia potest non existens, atque est mutabilis: postremo finita in se est, neque proinde existentiam *a se*, quae est perfectio infinita, in se sive in sua essentia complectitur. Haec eadem dicta sint de Angelis, deque Brutorum anima, siqua existit. Ceterum adversus Epicureos, Democriticos, aliosque id genus Philosophos, qui nihil praeterea in Mundo esse quam materiem et motum, ex quibus aliae quaevis res dimanent, opinantur, satis superque est ostendisse, materiem ipsam, motum, ad motum conatum; atque ea, quae ex motu ipso procedunt, esse plane contingentia, non *a se* *Q. E. P.*

PROPOSITIO.

Deus existit.

15. *Pr.* Si existit ens contingens, existit quoque ens *a se* sive absoluta necessitate existens, a quo tanquam a prima caussa ens illud contingens existentiam suam receperit (§. 12.). Atqui existunt entia contingentia (§. 13.): ergo existit ens *a se*, a quo tamquam a prima caussa entia haec contingentia existentiam suam receperint. Porro nihil eorum, quae ad hujus Universi compaginem ac naturam pertinent, est

ens

ens *a se* (§. 14.) : ergo existit ens *a se* seu absoluta necessitate existens, quod ab hoc Universo distinctum sit ac diversum, quodque Universo ipsi existentiam tribuerit. Jam vero id genus ens est Deus (§. 4.) : ergo Deus existit Q. E. P.

16. *Schol.* Argumentum, quod hactenus ad demonstrandam Dei existentiam adhibuimus, *metaphysicum* solet adpellari. Sunt et alia, eaque invictissima, scilicet *philologica* sive *moralia*, et *physica*. Priora illa desumi potissimum solent ex communi constantique omnium cujusvis temporis hominum consensione. Nam omnes plane homines ac Nationes Deum agnovisse, praeter Recentiores, testantur Homerus, Plato, Aristoteles, Diodorus Siculus, Sextus ipse Empiricus, Aelianus, Dio Chrisostomus, pluresque alii. Instar omnium sint Tullius, et Plutarchus, quorum ille scribit (*a*), *quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt : id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim et naturam divinam opinantur*. Similia alibi suorum Operum docet (*b*). Alter vero, *si terras obeas*, inquit (c), *invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes; . . . urbem vero templis, Diisque destitutam, quae precibus, jurejurando, oraculis non utatur; non bonorum caussa sacrificet; non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit*. Quanti porro faciendus sit *sensus* hic *communis*, nemo vel mediocriter doctus ignorat (*Log. Annot. ad* §. 509.). Unde laudatus Tullius (*d*) : *omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est*. Nam, ut alio in loco idem scribit (*e*), *quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusque hominum inveterare potuisset . . . . Opinionum enim commenta delet dies; naturae judicia confirmat*. Tum *nemo omnes*, inquit Plinius (*f*), *neminem omnes fefellerunt*. Quare costans haec

(*a*) *Lib.* 1. *qq. tuscul. cap.* 13.
(*b*) *de Legibus lib.* 1. *cap.* 8.
(c) *Contra Colorem epicureum prope finem*.
(*d*) *Lib.* 1. *qq. tuscul. cap.* 13.
(*e*) *Lib.* 2. *de nat. Deor. cap.* 2.
(*f*) *In Paneg. Trajani cap.* 62.

haec et communis hominum de Deo consensio ipsius Dei existentiam mirum in modum insinuat atque commendat; etenim *de quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est*, inquit idem Tullius (*a*); praesertim vero si unde consensio illa orta sit, investigemus. Nam sive orta fuerit a primo quodam humani generis parente ac propagatore, quod, ut scite animadvertit Cl. Genuensis (*b*), supponit, homines mente ac ratione praeditos aliquando coepisse, proindeque originem sumpsisse suam ab aliqua potentissima atque sapientissima caussa, quae Deus est: sive ex hujus rerum universitatis aspectu, qui homines ipsos in Dei cognitionem compulerit; sive ex intimo inditoque ad perfectam felicitatem, aeternamque vitam, quae sine Deo esse non potest, desiderio; sive ex conscientiae stimulis, qui Deum judicem ac vindicem etiam de occultis sceleribus insinuant; sive denique ex totius hujus Universi contingentia, quae Deum necessario expostulat; perspicuum est, laudatam constantem communemque de Deo consensionem adeo veritati congruere, ut quo magis revocata ad examen a viris doctis fuit, eo etiam magis rationi consentanea fuerit visa, neque ullis Atheistarum cavillationibus ac sophismatibus vel minimum infirmari unquam potuerit.

17. Argumenta *physica* peti solent ex ordine, structura, finibus, pulcritudine, constantia, legibusque hujus Universi; quae quidem Opificem potentissimum ac sapientissimum omnino commonstrant. Nam *ut siquis in domum aliquam*, inquit Tullius (*c*), *aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine caussa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari*. Ita profecto; adeo ut, qui iis, quae tum in adspectabili ac rerum universitate, cum in nobis ipsis fiunt, perspectis, *Mundi* Re-

(*a*) *Lib. 1. de nat. Deor. cap. 17.*
(*b*) *Met. Tom. 5. Dissert. 3.*
(*c*) *Lib. 2. de nat. Deor. cap. 5.*

Rectorem Ens Supremum agnoscere renuit , aut insania laborare , aut coecitate maligna detineri dicendus sit cum Augustino . Argumenta haec physica versat Tullius (*a*) . P. Antoninus Valsecchi (*b*) , Antonius Genuensis (*c*) . Petavius, (*d*) aliique permulti , iique doctissimi . Ad nos quod attinet , ea innuisse sufficiat . Ut autem Atheis epicureis via omnis cavillandi his super rebus praecludatur , observamus , hoc Universum sine materie , ac sine motu , ejusque legibus esse non posse nequei conservari . At haec omnia sunt plane contingentia (§ 14.) , proindeque Ens necessarium postulant , a quo processerint , quodque ab ipsis distinctum sit ac diversum ; quod est Deus . Nisi id falsum esse demonstrent Atheis , inania promunt verba , dum *materiem* , *atomos* , *motum* , *mechanicas leges* , *vim genitricem* Stratonis , *formas et qualitates* Anaximandri , *fortuitam concursionem* , cetera his similia plenis crepant buccis , quasi ipsa sint , ex quibus, nullo agente supremo Numine , hic Mundus prodierit & conservetur .

Atheorum cavillationes extricantur .

18. *Ob.* 1. Praecipuum pro Dei existentia argumentum ex materiei (quod etiam de mente humana dictum sit) contingentia atque ideo creatione desumitur ; atqui materies non est creata : ergo &c. *P. min.* Creatio intelligi a nobis nequit : ergo &c.

19. ℟. *D. A.* , modus , quo fiat creatio , intelligi a nobis nequit , *C.* , creatio repugnat , aut notum nobis non est ; creationem fuisse reapse peractam . *N. A.* , *et cons.* Modum quo fieri possit creatio , nos ignorare , ingenuo fatemur . Hoc idem quoad plura , quae in corporea hac rerum universitate naturae vi ac legibus fiunt , vel Athei ipsi fateantur necesse est . At creationem vel repugnare , vel saltem peractam nunquam fuisse , nemo cordatus asseruerit , qui ad ea argumenta , quibus materiei animique nostri contingentia ostenditur , tum ad omnipotentem Dei virtutem , quam subinde demonstrabimus , vel minimum attenderit .

(*a*) *Libro citato .*

(*b*) *De' fondamenti della Religione lib.* 1. *cap.* 2. *Saggio di confutazione del sistema della natura cap.* 2. *et seqq.*

(*c*) *Met. tom.* 5. *Dissert.* 3. (*d*) *De Deo cap.* 1.

20. *Inst. Ex nihilo nihil fit*, ut vulgatissimum est verissimumque in Philosophia principium; atqui si crearetur materies, aliquid ex nihilo fieret; ergo creatio repugnat.

21. ℟. *D. maj.* ex nihilo nihil fit, hoc est, absolutum nihil sive absolute impossibile fieri nequit existens, vel nulla res ex nihilo tamquam ex caussa efficiente aut præexistente materia sive subjecto oriri potest atque efformari, *C.* ex nihilo nihil fit, hoc est, nulla res fieri potest existens vi alicujus caussæ seu creari, *N. maj.*; *et D. min.*, si crearetur materies, aliquid ex nihilo fieret, hoc est, absolutum nihil fieret existens, vel res aliqua ex nihilo tamquam ex caussa efficiente aut praexistente materia oriretur, *N.*, hoc est, res aliqua vi alicujus caussæ existens fieret, sive crearetur, *C. min.*, *et N. cons.* Objecto principio Lucretius, Epicuræi, et cum ipsis Athei pessime abutuntur, dum inde concludunt, rem ullam creari nequaquam posse. Quibus in sensibus verum sit, alibi demonstravimus (*Ontol.* §. 18.). Quod si supponunt Adversarii, nullam omnino esse vel esse posse caussam, quae vi sua aliquid suapte natura possibile ex non existente existens reddat seu creet, supponunt illud ipsum, quod quaeritur, quodque proinde demonstrare deberent. Nos ex perspecta rerum contingentia effectibusque contrarium deducimus.

22. *Inst.* Si res aliqua vi alicujus caussae crearetur, vel crearetur eo temporis momento, quo res illa non est, vel quo est, vel postquam est, vel demum quo est simul et non est. Atqui non eo momento temporis, quo non est; cum enim tunc non esset, ne dici quidem posset tum creari, non quo est; nam cum tunc esset, profecto crearetur simul et non crearetur: primum quidem, uti supponitur; alterum vero, quia jam esset: non postquam est; nam si jam est, non equidem creatur; etenim per creationem fit, ut res antea non existens, existens fiat. Ergo eo temporis momento, quo res illa est simul et non est; atqui, subsumo, hoc plane repugnat, cum manifestam contradictionem involvat: ergo nulla res cujusvis caussae vi potest creari.

23. ℟. Hoc argumentum est purum putum sophisma, quod vel ipsos Epicureos urgeret. Cum enim quaeri de cujusvis rei productione illud ipsum possit, concludi oportet, nullam omnino rem posse produci; quod quidem non modo jugi experientiae, verum etiam illorum systemati, in quo ex fortuito, ut inquiunt, atomorum concursu omnia omnino

oriuntur, apertissime adversatur. Sed tamen id genus sophisma directe extricemus. Existentia rei, quae creatur, est ipsius creationis effectus. Effectus autem eodem existit momento temporis, quo producitur, seu quo caussa agit: secus enim effectus nunquam existeret: siquidem non ante actionis existentiam; uti perspicuum per se est; non eo momento, quo existit actio, ut supponitur: non denique postquam actio cessaverit; nam si existente actione, effectus non existit, multo sane minus hic existeret postquam caussae actio evanuisset. Res itaque eo ipso momento temporis est, quo creatur. At, inquis, res illa non crearetur, quia jam esset: quod enim jam est, non creatur. Nugae: nam esset profecto, non quidem ante creationem vel sine creatione, sed simul cum creatione ejusque vi et efficacitate, qua produceretur.

24. *Inst.* Atqui si res aliqua crearetur, creari deberet eo temporis momento, quo est simul et non est. *P. S.* Tritum est apud Geometras, punctum, quo duae quantitates continuae, puta lineae simul uniuntur, esse utrique lineae commune. Quare ut res aliqua creetur, adesse debet instans, quo status *non existentiae* cum *existentiae* statu conjungatur quodque cum utrique statui commune sit, de utroque, scilicet de *non esse et esse* participet necesse est. Cum igitur instans illud sit instans, quo res creatur; haec creari deberet eo momento temporis, quo res illa est simul et non est.

25. ℟. Hoc etiam argumentum est purum putum sophisma. Imprimis enim aeque ac superius extricatum demum probaret, nihil omnino novi posse evenire, uti attendenti manifeste liquet. Tum quantitates objectae, quae simul conjunguntur, supponi debent positivae ac reales, atque homogeneae seu ejusdem naturae: nam negativae et imaginariae seu chimaericae nequeunt reapse simul conjungi; sin autem non essent homogeneae, punctum unionis non foret utrique quantitati commune: nisi enim ad unam vel alteram, quae cum puncto illo convenit, non pertineret. At status *non existentiae*, positivus non est et realis, cum negativus sit ac plane imaginarius quoad rem non adhuc existentem; neque est cum statu *existentiae* homogeneus, cum postremum hunc statum, cujus ille est negatio, omnino excludat. Quare inter utrumque nullus intercedit medius status, quo uterque simul conjungatur, quique de utroque, scilicet de *non esse*

et

esse participet. Rem illustremus exemplo. Corpus aliquod moveri incipiat. Postremum instans, quo quiescit, sit A, B autem, quo incipit moveri. Profecto nullum est inter instantia illa medium instans, quod de utriusque conditione, seu de quiete et motu participet: secus enim corpus illud laudato instanti quiesceret simul et moveretur; quae essent pugnantia. Pari ratione, substantia, quae creatur, postremo merae suae possibilitatis instanti non existit, existit autem primo, quod proxime sequitur, existentiae suae instanti, quin instans medium, cujus pars aliqua ad *non esse*, altera vero ad *esse* pertineat, confingatur. Quamobrem falsum est, rem creari non posse nisi eo temporis momento, quo res illa est simul et non est.

26. *Ob.* 2. Infinita caussarum et effectuum contingentium series absolute non repugnat; atqui hoc ipso ex rerum contingentium existentia nullum desumi potest pro existentia Dei argumentum: nam ratio sufficiens unius entis contingentis in alio, hujus autem item in alio, atque ita porro in infinitum contineretur, quin necesse sit, ut ad ens *a se* perveniatur: ergo &c.

27. ℞. *D. maj.*, infinita caussarum et effectuum contingentium series absolute non repugnat, sine ente *a se*, a quo ipsa dependeat, ut primum existat, *N.*, supposito ente *a se* a quo series illa, ut primum existat, dependeat, *omit. maj. et D. min.*, hoc ipso, nempe si non repugnat series illa sine ente *a se*, ex rerum &c. *C.*, si repugnet, *N. min.*, *et cons.* Disputatio, eaque acerrima est inter Philosophos, utrum Mundus creari ab æterno potuerit? Qui concedunt, in se possibilem quoque adstruunt objectam infinitam caussarum atque effectuum contingentium seriem; contra vero qui negant. Ad nos quod pertinet, neque hujus loci est, neque necesse, ut hanc litem dirimamus. Nam etiam qui illud concedunt, supponunt ens *a se*, quod ipsi mundo ab æterno existentiam potuerit concedere, adeo ut sive ab æterno sive in tempore creatus sit Mundus vel creari potuerit, firmum semper constansque consistat ens *a se*, a quo Mundus ipse fuerit debueritque creari. Et re sane vera si in quavis entium contingenter existentium serie unumquodque ens seorsum acceptum contingens fuerit, etiam tota illa simul collecta series esse debet contingens (*Ontol.* §. 56.). Quod autem contingens est non *a se* existit, sed *ab alio* (*ibid.*§.55.).

 Cum

Cum porro hoc *aliud* non possit esse nisi ens *a se* (*ibid.* §. 57.); manifeste elucet, laudatam infinitam contingentium seriem sine ente *a se* omnino repugnare, atque ideo etiam confictam illam infinitam caussarum et effectuum contingentium serie nihil omnino infirmare argumentum pro existentia Dei, quod ab entium contingentium existentia jure desumitur.

28. *Inst.* Non repugnat series infinita caussarum sibi subordinatarum sine *ultima*: ergo ne repugnat quidem infinita caussarum atque effectuum series sine caussa omnium *prima*, seu sine ente *a se*.

29. ℟. *C. A. N., cons. et parit.* Ut huic difficultati plenius satisfaciamus, observandum imprimis est, *rationem sufficientem* ea omnia complecti in se debere, unde aliquid potius est quam non est; aliter enim non equidem esset nisi *insufficiens* (*Ontol.* §. 187.). Videamus itaque, num id verum atque sit in utraque objecta hypothesi, sive nempe in ea, in qua supponitur caussarum sibi subordinatarum series sine *ultima*, sive in ea, in qua ab Adversariis statuitur infinita earumdem caussarum series sine omnium *prima a se* existente, quae a serie illa distincta sit ac diversa. Verum esse in priori hypothesi, facile quisque concedet: nam supposita prima omnium caussa *a se* existente, quae alias secundas caussas creaverit, habemus id omne, unde intelligimus, cur laudata infinita caussarum series sine *ultima* existat: caussa enim omnium prima *a se* existens est caussa *plena et adaequata*, seu ratio omnino sufficiens existentiae caussae contingentis, quae esset aliarum omnium pariter contingentium prima. Haec deinde utpote existens, esset caussa *adaequata* seu sufficiens ratio existentiae subsequentis effectus, atque ita porro in ifinitum. Nulla igitur apparet repugnantia, quod haec infinita caussarum sibi subordinatarum series sine caussa omnium *ultima* habeatur. At falsum est in hypothesi altera, si nempe ab aliqua contingente caussa ad praecedentem caussarum item contigentium seriem in infinitum sine caussa *prima a se* existente regrediamur. Profecto caussa contingens a sui caussa existentiam habet. Illa itaque sine ista concipi nequit existens, atque ideo in se haud continet vere sufficientem propriae existentiae rationem. Hoc idem dicendum de laudata praecedente caussa item contingente, cum et ipsa ab alia pendeat ut existat.

existat. Quare etiamsi in infinitum ab una contingente caussa ad aliam aeque contingentem regrediamur, nunquam tamen in hac infinita serie deprehendi poterit caussa *plena et adaequata*, seu *sufficiens* ejusdem seriei caussarum *ratio*. Atqui repugnat, aliquid esse sine ratione sufficiente (*ibid.* §. 194.). Repugnat igitur infinita caussarum contingentium series sine caussa omnium *prima*, seu sine ente *a se*.

30 *Inst.* Plures Physici, etiam catholici opinantur, quodlibet corpus esse in infinitum divisibile, adeo ut quaelibet ejus pars ex aliis minutioribus partibus constet, hae autem ex aliis in infinitum, quin nempe unquam ad entia physice simplicia, quae sint principia omnium prima, deveniatur. In hac autem hypothesi cum quaelibet pars in alio praecedente composito, et hoc compositum in alio, et ita porro in infinitum tamquam in materiali caussa contineatur, adeoque ab ipso pendeat, manifeste elucet, nullam unquam esse atque assignari posse *plenam et adaequatam* materialem caussam, seu rationem sufficientem cujusvis compositi. Sit igitur. Non repugnat unam partem materiae ab alia parte in infinitum pendere, quin *plena et adaequata* materialis caussa, seu ratio sufficiens assignari possit, nempe quin ad primum omnino simplex ens deveniatur: ergo neque repugnat infinita caussarum atque effectuum series sine caussa omnium *prima*, seu sine ente *a se*.

31. ℟. *Permit. A.*, *et N. cons. et parit.* Imprimis Philosophi plures, iique doctissimi infinitam corporis divisibilitatem plane repugnare arbitrantur. Tum ii ipsi, quibus objecta adridet opinio, materiae naturam atque essentiam esse putant, ut materies ipsa sit composita atque extensa, habeatque partes extra partes; unde cum quaevis physica corporum principia esse nisi materies non possint, consequens est, ipsa esse in infinitum usque divisibilia. Jam vero cum ad rei essentiam ventum fuerit, non modo sufficiens ratio adsignatur, sed etiam progredi ulterius nec possumus nec debemus, in eaque tandem sistendum est (*Ontol.* §. 222). At quaevis caussae, de quibus disputamus, natura sua contingentes sunt. Atheis ipsis non diffitentibus; adeoque etiam suapte natura atque essentia ab aliis pendent, ut existant. Itaque simul sumptae non constituunt nisi contingentem seriem, neque sufficientem, cur existant, rationem in se se continent, sed necessario postulant caussam omnium *primam*, seu ens *a se*, quod existentiam ipsis contulerit.

32. *Inst.* Ideo series illa caussarum repugnaret sine caussa omnium *prima* seu sine ente *a se*, quia ex quo singulae ejus caussae et effectus seorsum accepti contingentes sint, etiam tota illa series, quanta est, esset contingens; atqui hoc est plane falsum: ergo &c. *P. min.* A sensu distributivo ad collectivum non tenet illatio: puta ex quo singuli milites seorsum accepti nequeant totum hostium exercitum superare, non equidem sequitur, omnes illos milites simul collectus laudatum exercitum superare non posse: ergo ex quo singulae laudatae seriei caussae et effectus seorsum accepti contingentes sint, non sequitur, totam illam seriem, quanta est, esse contingentem.

33. ℟. *D. A.*, a sensu distributivo ad collectivum non tenet illatio, si singula distributive sumpta aliquid in se habeant, quod collectioni tribuatur, *C.*, si nihil omnino in se habeant, quod tribuatur collectioni, *N. A. cons.*, *et parit.* Si partes, quae collectionem constituunt, singillatim sumptae aliquid habuerint, quod collectioni ipsi conferant, profecto a sensu distributivo ad collectivum non valet argumentatio; quemadmodum ex objecto de militibus exemplo manifestum est: quamvis enim milites singuli *adaequatam* in se non habeant superandi hostium exercitum virtutem, habent tamen *inadaequatam* sive, ut ajunt, *inchoativam*; unde milites illi simul sumpti propriam partialem virtutem, quae pro militum numero augetur, simul conferendo, praestare illud demum possunt, ut singularium virtutum collectio sit ad superandum laudatum exercitum plane *adaequata* ac sufficiens. At si partes singulae nihil omnino habuerint, quod tribuant collectioni, nihil quoque tota ipsa collectio sibi comparabit. Sane ex quo quilibet lapis nihil plane habeat, per quod videat; etiamsi infinitos lapides in unum congesseris, nihil unquam in ipsis erit, quo visio perficiatur. Ad rem. Quodlibet ens contingens nihil omnino, ne *inchoative* quidem habet, quod existendi *necessitatem*, seu *sufficientiam* existendi *a se* complectatur; imo vero cum sit essentialiter contingens, essentialiter quoque *sufficientiam* existendi *a se* excludit. Quot igitur ponuntur entia contingentia, tot *insufficientiae* existendi *a se* ponuntur, et si illa infinita fuerint, hae quoque erunt infinitae. At infinitae id genus *insufficientiae*, cum sint *sufficientiae* negationes, seu nullitates, nunquam profecto vel minimam *sufficentiam*

ficentiam

ficientiam gignere per se possunt. Quae cum sint, merito ad rem nostram quod pertinet, a sensu distributivo ad collectivum argumentamur, seu ex quo singulae laudatae infinitae seriei caussae et effectus seorsum accepti contingentes sint, jure deducimus, etiam totam illam infinitam seriem esse contingentem debere.

34. *Inst.* Simplicia corporum principia seorsum accepta nihil in se habent extensionis; atqui tamen extensum ex ipsis emergit: ergo quamvis res singulae, quae infinitam laudatam seriem constituunt, nullam in se habeant necessitatem existendi *a se*, hanc tamen habere potest tota ipsa series infinita simul collecta.

35. R. *D. maj.*, simplicia corporum principia nihil in se habent extensionis *formalis*, *C.*, *inchoativae*, *N. maj.*; *et C. min.*, *N. cons.*, *et parit.* Simplex corporis principium cum physicas partes a se excludat, non habet quidem *formalem*, ut ajunt, extensionem; est tamen extensionis *principium*, seu extensionem *inchoative* complectitur: extensio siquidem est positio partium extra partes, partiumque multitudinem involvit. Si igitur plura id genus principia sibi invicem certo quodam modo nexuque cohaereant, sicuti positio partium extra partes, et partium multitudo, ita quoque vera et formalis extensio habetur. Exemplo sit unitas. Quamvis haec non sit numerus, si tamen plures unitates, quarum singulae sunt numeri initium, simul jungantur, verus proprieque dictus numerus emergit. Haec ii Philosophi, quorum judicio omnium prima corporum principia sunt physice simplicia. At ens contingens ne *inchoative* quidem habet existendi necessitatem, sed quinimo eamdem penitus atque essentialiter a se excludit (§. 33.). Non est igitur par ratio. Ceterum vide, quaeso, quam inconstantes sint Atheismi patroni. Antea supponebant (§. 30.), quaelibet corporum principia esse suapte natura extensa, et in infinitum divisibilia; nunc vero supponunt, prima ipsa eorumdem principia neque in infinitum divisibilia esse, neque extensa, sed physice simplicia.

36. *Inst.* Ex quo laudata contingentium series supponatur infinita, sequitur, ipsam esse, saltem *a parte ante*, uti ajunt Scholae, aeternam, atque ideo creari non potuisse. Nam quod aeternum est, nunquam non fuit; quod autem est creatum, non fuit aliquando; creatio enim est rei ex

nihilo tam sui quam subjecti eductio (*Ontol.* §. 288.), unde quod creatur, in nihilo fuerit necesse est, seu ex non existente evaserit existens. Tum caussa *tempore* effectum suum praecedat oportet. Sit igitur. Quod existit, et aliunde creari non potuit, habet profecto necessitatem existendi *a se*: atqui infinita contingentium series simul collecta creari non potuit: ergo quamvis res singulae, quae seriem illam constituunt, sint contingentes, ac proinde ne *inchoative* quidem habeant necessitatem existendi *a se*; hanc tamen necessitatem habere potest ac reapse habet series ipsa infinita simul collecta.

37. R. Vel ut res aliqua creetur, necesse est, quod res ipsa aliquando non fuerit, vel non, Sibi eligant Adversarii, quod ipsis placuerit. Si primum; negamus haberi posse infinitam, utique *a parte ante* contingentium caussarum et effectuum seriem. Nam cum sit contingens, fuit creata, aliquando non fuit, coepit aliquando, verbo, neque aeterna est neque infinita; atque hinc tota argumentatio hactenus objecta, quae infinitam contingentium seriem supponit, omnino per se se corruit. Hac ducti ratione contendunt plures, nihil omnino ab aeterno potuisse creari, Sin autem alterum; igitur series contingentium potest esse infinita atque aeterna, simulque creata, falsumque est, ipsam creari ex aeternitate non potuisse. Ita senserunt Pythagoras, Plato, Zenocrates, aliique insignes antiquitatis Philosophi, qui Mundum esse aeternum simul et creatum opinati sunt, atque exemplo rem hanc illustrarunt apud Augustinum (a) *sicut enim, inquiunt, si pes ex aeternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium; quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset, sic, inquiunt, et Mundus, atque in illo dii creati et semper fuerunt, semper existente, qui fecit, et tamen facti sunt.* Neque vero necesse semper est, quod caussa effectum suum tempore praecedat. Audiamus S. Thomam. *quod*, inquit (b), *dicitur agens de necessitate praecedere effectum, qui per suam operationem fit, verum est in his, quae agunt aliquid per motum,* *quia*

(a) *Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 31.

(b) *Lib.* 2. *cont. Gentes cap.* 38.

quia effectus non est nisi in termino motus; agens autem necesse est esse etiam cum motus incipit: in his autem, quae in instanti agunt, hoc non est necesse. Jam vero creatio non per motum, ac nisi in instanti non fit, uti perspicuum per se est. Quamobrem quocumque se vertant Increduli, caussa excidunt sua.

38. *Dices.* Nos non cognoscimus nisi minimam rerum contingentium seu hujus Universi partem, et quamvis totum cognosceremus, cum tamen sit finitum, nequit inde inferri Dei, qui infinitus esse debet, notitia. Nam, uti argumentatur Hume (*a*), ex effectu deduci non potest nisi caussa, quae cum eodem effectu paris sit perfectionis, cum ea tantum perfectio inferri jure queat, quae ad ipsius effectus productionem est necessaria, ne scilicet perfectionem caussae sine ulla necessitate, ac ratione sufficiente ulterius promoveamus (*).

39. ℞.

(*a*) *Assais philosophiques.*

(*) *In unum contrahimus, subjicimusque alia quaedam argumenta, quibus visum est nonnullis* (§. 10.), *Dei existentiam ex creatis rebus demonstrari rite non posse. Nam inquiunt* 1. *Deus est primum ens, primum principium, prima veritas; sed primum ens, primum principium, prima veritas demonstrari non potest: quidquid enim demonstratur, demonstratur per aliquid, quod sit ipso prius.* 2. *Creator et creatura sunt duo* correlata; *sed unum correlatum ex alio demonstrari non potest: demonstratio enim a noto ad ignotum vel saltem ad minus notum procedit; at vero correlata sunt simul cognitione* (Log. §. 65.). 3. *Praecipua pro Dei existentia argumentatio huc demum redit: existunt entia contingentia; ergo existit Deus. At non rite instituta esse videtur. Nam haec conclusio,* Deus existit, *est nobilior quam sint entia contingentia, quae praemissam sive antecedens constituunt. Tum termini conclusionis, nempe* Deus *et ejus* existentia, *sunt magis inter se connexi quam cum medio demonstrationis seu cum entibus contingentibus fuerunt: nam Deus sine existentia esse nequit, ens autem necessarium sive idem Deus existere sine entibus contingentibus potest. Conclusio praeterea esset magis certa quam praemissa: quippe certius est, Deum*

exi-

39. ℟. Sive totum Universum, sive minimam ejus partem, aut etiam unum tantum ens contingens dignoscamus, plane sufficit, ut inde entis *a se* seu Dei existentia jure inferatur, uti superius demomstravimus. Porro nota ex quovis ente finito et contingente hujus entis *a se* existentia, facile cetera, quae ad Deum ipsum pertinent, saltem *mediate*, uti ajunt, deducuntur, quemadmodum ex infra dicendis constabit. Hinc falsum est, qnod ex effectibus demonstrari nniversim non possit nisi caussa, quae cum iisdem effectibus paris sit perfectionis. Nam existentia *a se* est perfectio infinita. Tum substantia contingens nequit primum existere nisi per creationem; creatio autem potentissimam vim atque infinitam necessario postulat. Itaque ex effectu finito et contingente infinitam Dei perfectionem ac vim jure deducimus. Sed paullo infra uberius.

40. Ob.

---

existere, quam existere entia contingentia. Haec porro demonstrationi rite institutae omnino adversantur. Mittimus alia cetera id genus argumenta, quae videri possunt apud Storchenau (Theol. nat. sect. 1. cap. 2.), *l' Herminier* (Tract. de Deo), *pluresque alios praesertim de Schola Philosophos ac Theologos.*

At futilia plane esse, nemo non videt. Et ad primum quod spectat, Deus est quidem primum ens, primum principium, prima veritas, si in seipso spectetur; est enim excellentior rebus ceteris, earumque prima efficens caussa, tum prima veritas metaphysica, *scilicet est suapte natura ac plane independenter ab alia quavis re, etiam quatenus existens, cum sua essentia conformis; non tamen si spectetur, uti hoc loci spectari debet, quoad nostram cognitionem: prius enim cognoscimus res contingentes, deinde vero vi demonstrationis* a posteriori *ipsius Dei existentiam; quæ quidem demonstrandi ratio usitassima est atque optima* (Log. §. 241.), *unde passim ex effectibus eorum caussas et investigamus et deducimus.*

Neque porro hoc loci spectamus Deum et entia contingentia tamquam formaliter *correlata, qua sane in hyppothesi essent simul cognitione; bene vero tantum prout in se sunt; nempe certo scimus existere quædam entia; tum horum naturam perscrutando dignoscimus, eorum existentiam*

40. *Ob.* 3. Argumentum, quod ex communi hominum quoad Dei existentiam consensione peti solet, duplici ex capite infirmum plane est. Nam consensio haec neque est tam communis, ut nonnullis placet; neque, si communis reapse esset, tanti est facienda, ut existentiam Dei aliqua ratione demonstret. Et ad primum quod pertinet, observat Bayle (*a*), latuisse veteres Romanos, nosque etiam latere, num qui in ignotis Terrae partibus hospitantur, Deum agnoverint. Nemo praeterea affirmare potest, omnes omnino homines usque ad Mundi finem aliquam habituros fore

de

(*a*) *Continuation des pensées diverses* §. 6. *et* 13.

tiam esse contingentem; *tandem concludimus*, *esse debere primam aliquam ipsorum caussam*, *quae* a se *existat*; *quod quidem in demonstratione a* posteriori *usurpari communiter ac rite solet*.

Postremo nullum in laudata argumentatione inest vitium. Et sane conclusio, scilicet Deus existit, *quoad nostram cognitionem spectata, non est praemissis nobilior: hae siquidem sive entia contingentia prius, quam conclusio a nobis cognoscuntur, hae sunt veluti ipsius conclusionis caussa. Porro conclusionis termini, hoc est, Dei existentia, adeo arctissime cum praemissis connectuntur, ut non minus Deum non existere, quam existere entia contingentia sine Deo absolute repugnare concipiamus, non aliter ac impossibilis est effectus sine sui caussa. Nec refert, quod Deus existere sine entibus contingentibus possit, dummodo haec entia existere nequeant sine Deo. Nam hoc postremum plane sufficit, ut ex his entibus Dei existentia inferri necessario possit ac debeat. Tandem si Dei existentia est* metaphysice *certa*; *certa quoque est* metaphysice *existentia mentis nostrae*: *eam siquidem ex intimo sensu quoad proprii animi affectiones unusquisque evidentissime colligit. Ad res corporeas quod pertinet, earum existentia est saltem* physice *certa atque evidens*; *unde sicuti evidentia haec ac certitudo omnem dubitationem penes sanae mentis homines depellit, ita nullum esse potest dubium de existentia Dei, quae ex illarum rerum existentia deducitur. Quare laudata ex rebus contingentibus desumpta demonstratio est rite instituta.*

de Deo cognitionem. Temere itaque asseritur tam decantata plane communis et constans de Deo consensio.

2. Nemo ignorat, plures fuisse veteres Nationes, quas nulla omnino imbuerit de Deo notitia, quaeque proinde inter Atheos *negativos* merito recensentur. Sane Athei fuerunt Phlegyes ex Homero; Thoes ex Porphyrio; Galli ex Cicerone; Arabes ex S. Nilo; Nasamones ex Dionysio Periepete; imo alii plane omnes, si Hebraeos exceperis, cum ex Eusebio Caesariensi nihil aliud, quam naturam ejusque partes tamquam supremum Numen coluerint.

Inter recentiores sunt Caffri, et Huttentotti ex Theuenotio; ferini Americani pene omnes ex Americo Vespucio; Canarienses ex Columbo; Canadenses, Hurones, Souriquosii, et Armouchicosii ex Gabriele Sagard; Tartari, Samojedae, Lapones, et Groelandi; tum incolae quarumdam meridionalium insularum ex Jacobo le Maire; insulae prope litus Guineae novae ex D. Schouttens; item insulae Jeso prope Japoniam ex Maffejo; Cubae, et Hispaniolae ex D. de Laet; insularum Marianarum ex P. le Gobien; Antillarum ex D. Arnaud, et Brasili ex Leri, et Richier. Denique in Sinensi Imperio Secta est hominum literatorum, ut scribit Bayle (*a*), qui nullum omnino Deum agnoscunt.

3. Accedit magna illa doctorum hominum ac Philosophorum turba, qui non ex antiquis modo, sed etiam ex recentioribus fuerunt ac sunt Athei *positivi*, et quorum judicium pluris sane quam plebis atque indoctorum hac super re pendendum est, uti observat laudatus Petrus Bayle.

4. Ad caput alterum quod attinet, demus, inquiunt Increduli, communem olim fuisse atque etiam nunc esse de Deo opinionem; haec tamen non eam vim habet, ut ipsius Dei existentiam satis firme persuadeat, maxime si laudatae communis opinionis origo ad trutinam revocetur. Profecto argumenta, quibus Dei existentia ostenditur, vulgares homines plebejusque, qui pleraque sunt humani generis pars, omnino fugiunt (*b*). Quare non ex proprio judicio sententiaque rigido examini subjecta Deum asseruerunt, neque proinde eorumdem de Deo persuasio vel alicujus momenti censenda est.

5. Laudate

(*a*) *Ibid.* §. 18.

(*b*) *Systeme de la nature part.* 2. *chap.* 4.

5. Laudata de Deo persuasio orta primum est ex Legumlatorum astutia, qui a Diis se leges accepisse fabulati sunt, *ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret*, inquit Cotta apud Tullium (*a*). Ita profecto Amasis et Mucvis apud Ægyptios, Zoroaster apud Bactrianos, Zamolxis apud Getas, Zathraustis apud Arimaspos, Radamanthus et Minos apud Cretenses, Triptolemus apud Athenienses, Pythagoras et Zaleucus apud Crotoniatas, Lycurgus apud Lacedaemones, Romulus denique et Numa apud Romanos.

6. Dici etiam potest orta ex metu: unde Petronius Arbiter (*b*):

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua coelo
Fulmina quum caderent....

Cui Lucretius Carus (*c*), Spinoza (*d*), Hobbesius (*e*), Mirabaud (*f*), Cleanthes apud Tullium (*g*), Critias Athenarum tyrannus aliique consentiunt.

7. Denique ex ignorantia ortam fuisse, docent laudati Mirabaud (*h*), et Lucretius (*i*). Cum nempe homines investigare niterentur phaenomenorum caussas, neque ullam invenire potuissent, quoddam sibi confinxerunt supremum potentissimumque Numen, quod phaenomena illa produceret ac gubernaret. Haec est origo opinionis de Deo, quae postea educationis praejudicio propagata universum invasit genus humanum.

8. Si quinam fuerint Dii, quos pleraque hominum pars olim colebat, pervestigemus, respondet Cotta apud Tullium (*k*), non fuisse nisi *aut fortes, aut claros, aut potentes viros.... eosque esse ipsos, quos nos colere, precari, venerarique soleamus*; quorum nemo Deus cum sit, nullus Deus re ipsa agnoscebatur.

9. Ceterum si quid probaret memorata hominum consensio, probaret quoque, inquit Bayle (*l*), plures Deos esse, atque

---

(*a*) *Lib.* 1. *de nat. Deor. c.* 42. (*b*) *In Satyrico.*
(*c*) *Lib.* 1. *v.* 65.
(*d*) *Praef. ad Tract. Theologico-polit.*
(*e*) *Leviath. cap.* 12.
(*f*) *Systeme de la nat. part.* 2, *chap.* 1.
(*g*) *Lib.* 2. *de nat. Deor. c.* 5. (*h*) *Loco citato.*
(*i*) *Lib.* 5. *v.* 1182. (*k*) *Lib.* 1. *de nat. Deor. c.* 42.
(*l*) *Continuation des Pensèes diverses* §. 25.

atque etiam, uti addit Sextus Empiricus (*a*), fabulas de iis, quae esse apud inferos putabantur, res veras esse. Reliqua mittimus, quae legi possunt apud laudatum Petrum Bayle (*b*).

41. ℟. *ad* 1. Quamvis nulla praesto nobis sit de quibusdam vetustissimis populis, vel etiam de iis, quorum existentiam adhuc ignoramus, notitia; ex analogia tamen jure merito inferimus, ipsos quoque, sicuti quos novimus, Deum agnovisse. Haec ipsa analogia nobis persuadet, etiam eos, qui futuri in posterum sunt, hanc eamdem de Deo cognitionem fore habituros.

42. ℟. *ad* 2. Falsum est, tot illas veteres Nationes, quas Increduli tanto eruditionis apparatu commemorant, Deum ignorasse. Imprimis enim plures Auctores, qui illas inter Atheos *negativos* recensent, nonnisi dubitanter loquuntur, acceptumque id ex rumore potius, quam ex rei veritate probatoque judicio asserunt, unde *fertur* inquiunt, *dicitur*, *rumor est*, *fama est*. 2. Plurima hac super re laborabant ignorantia: nam de Judaeis scribit Strabo (*c*), ipsos rerum universitatem veluti Deum agnovisse; Juvenalis inquit (*d*):

Nil praeter nubes, et coeli numen adorant;

Tacitus denique refert (*e*), quod ipsi *mente sola* Deum intelligant; quibus profecto oscitantius nihil, nihilque magis falsum. 3. Cum quidam illarum aetatum Scriptores agnoscerent plures Deos, *atheos*, *sagrilegos*, ac *profanos* appellabant, qui Deos illos contempsissent; unde *judaea gens* dicitur a Plinio (*f*) *contumelia numinum insignis*; Tacitus *nec quidquam*, inquit (*g*), *prius imbuuntur* (Judaei) *quam contemnere Deos*: quin vel ipsi Christiani de Atheismo accusabantur, uti ex Justino, Arnobio, aliisque sanctissimae Religionis nostrae Apologistis ediscimus. Hinc, ut refert Dio Chrysostomus (*h*), Clemens morti traditus, ac Domitilla ejus uxor exilio mulctata tamquam athei a Domitiano fuerunt. 4. Cum superstitiosi essent templisque, caeremoniis, ac pompae assueti, si quos invenissent, qui haec

---

(*a*) *Lib. 8. comment.* (*b*) *Opere citato.*
(*c*) *Lib. 7. Geogr.* (*d*) *Sat. 14. v. 97.*
(*e*) *Hist. lib. 5.* (*f*) *Lib. 13. cap. 4.*
(*g*) *Loco citato.* (*h*) *In Domitianum.*

haec ad Deorum cultum non hadiberent, eos veluti Atheos traducebant. Hinc tamquam Athei babiti ex eo fuerunt Parthi, quod in aperto campo Diis libarent. 5. Nationes illae non semel dicebantur atheistae, quae moribus efferatae erant ac barbarae, licet aliquam de Divinitate ideam habuissent. Unde Cotta apud Tullium (*a*) qui sacrilegi erant impii perjurique. ex Lucilio poeta esse atheos docebat. Hisce praemissis, facile intelligitur, quamobrem tam plures Athei *negativi* numerari ab antiquis solerent. Phlegyes dicti sunt Athei ab Homero, quod latrociniis viverent. Atlantes non *fuisse* atheos, sed *putari* scribit Strabo, eo fortasse quod tum nascentem tum occidentem solem, quem alii colebant, ipsi exsecrarentur; aliunde vero constat, Æliopes, ad quos illi spectabant, Deum agnovisse. Quum de Gallaicis loquitur, intelligendus videtur de publicis sacrificiis, quibus populi illi fortasse non utebantur statim enim subdit, Celtiberos iis finitimos stata sacra diis suis facere, Miramur itaque, Petrum Bayle tam fidenter asseruisse ex Strabone (*b*), quod laudati populi reapse fuerint veri Athei. Thoes etiam coluisse Deos facile quisque sibi persuadebit, cum finitimi essent Thraciae, ubi aliqua religio habebatur. Quare Porphyrius de unis barbaris atque in humanis eorum moribus loquutus fuisse videtur. Hoc idem dictum sit quoad Nasamones: nam ad Ætiopes, a quibus dii colebantur, pertinebant. Ciceroni quoad Gallos adversatur Julius Caesar, qui non more oratorio, ut Tullius, sed historico illorum, quos praesens viserat, opiniones descripsit. Arabes ex eodem S. Nilo stellam matutinam adorabant, eique offerebant hostias. Porro singularis est Eusebii Caesariensis opinio, quod nempe omnes, praeter Hebraeos, non aliud numen quam naturam ejusque partes coluerint. Nam si plebeculam fortasse exceperis, alii quique agnoscebant *Patrem divumque hominumque, dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et praesentem praepotentemque Deum, optimum, maximum* (*c*), *totum animum, totum animi*, incorporeum et immortalem. Prae ceteris audiatur Sextus Empiricus, qui profecto nemini Incredulorum esse potest suspectus; *omnes homines*,

(*a*) *Lib.* 1. *de nat. Deor. cap.* 23.
(*b*) *Continuation des pensèes diverses* §. 6.
(*c*) *Cicero lib.* 2. *de nat. Deor. cap.* 2. *et* 25.

mines, inquit (*a*), *communem et anticipatam de Deo habent notionem, ex qua est quoddam beatum animal, et ab interitu alienum, et in felicitate perfectum, et in quod nullum potest malum cadere*. Sane hic Deus neque corporea natura est, neque ejus partes; aliunde vero non unum tantum vel alterum populum, *sed omnes* omnino *homines* communem de hoc Deo notionem habere, rotundis verbis citatus Auctor testatur. Ceterum ad rem nostram plane sufficit, quod agnoverint Deum aliquem, quidquid demum ipsi de vera atque intima ejusdem natura putaverint.

43. Ad Nationes recentius detectas quod pertinet, demonstrare plane confidimus, Incredulos nihil inde praesidii sibi posse comparare. Caffri, et Huttentotti partim idolatrae sunt, partimque Mahummedani ex Andrea Kolb (*b*); quin imo adamiticum etiam peccatum, atque universale diluvium agnoscunt. Americanos etiam efferatiores ideam de Deo habere, compertum est (*c*), et testatur Lafiteau (*d*). Canarienses quoque Deum agnoscere, referunt plures, qui diligentius, accuratiusque, quam Columbus, eorum opiniones scrutati sunt. Canadenses praeterea, uti scribit D. la Croz: tum quidam ex ipsis sciscitatus, cur Deo sacra non faceret, respondit *cuivis relinqui, ut id intra animum suum praestet* (*e*). Hurones, aliique illius Provinciae populi Deo vota reddunt ac munera, referente laudato Lafiteau (*f*). In Groelandia quaedam Religionis in Deum veterum incolarum vestigia servantur ex Andersonio (*g*), iique populi putant, animam post mortem ad coelos evolare; quinimmo ipsos Deum agnoscere, aperte scribit Malletus. Incolas Cubae, et Hispaniolae ab atheismi nota liberat Anglerius (*h*). Qui autem incolunt Insulas Marianas, animorum immortalitatem fatentur; tum paenas et gaudia post mortem neque sane ab alio quam a Deo sibi expectant ex ipso P. le Gobien, qui propterea non satis sibi coherere videtur, neque

(*a*) *Lib.* 8. *Comment.*

(*b*) *Descript. Capitis bonae spei.*

(*c*) *Voyages au Nort tom.* 5. *Descript. Ludovicianae.*

(*d*) *Les meurs des sauvages Americains.*

(*e*) *Voyag. du Sr. Champlain liv.* 3. *ch.* 5.

(*f*) *Loco citato.* (*g*) *Hist. nat. Groelandiae.*

(*h*) *Dec.* 1. *cap.* 1.

que fortasse attentius illorum populorum opioiones exploravit. Caraibae, qui Antillas incolunt, duo agnoscunt principia, bonum et malum, eisque sacra faciunt ex Rochefortio *(a)*. Brasilienses quoque Deum colunt, quem *Tupa* vocant, habentque sacerdotes. Denique P. du Halde scribit *(b)*, Sinensem plebem idola, literatos vero supremum coeli dominum adorare. Tum illi ipsi Historiographi, quos in suae assertionis patrocinium laudat Bayle, referunt, in illius Imperii finibus esse gentem, cujus judicio vis quaedam existit, quam *Thaiki* vel *Li*, hoc est, *totius naturae fundamentum et rationem* appellant, ac *coeli animam*, infinita, atque aeterna; quod quidem satis aperte innuit, illam ipsam gentem aliquam habere si non perspicuam, saltem confusam de Divinitate cognitionem. Quapropter nihili facienda est eorum Scriptorum auctoritas, qui laudatas Nationes sine ulla de Deo notitia esse venditarunt (*). Nec sane immerito; alii quippe questui intenti erant, velut D. le Maire, Schouttens, et qui de insula Jeso scripserunt. Alii nonnisi ad litora appulere. Alii linguarum ignorantia laborabant, neque adeo erant ingenio exculti, ut gentium mores accurate investigarent. Alii denique in animum sibi fortasse ex eo induxerunt quorundam populorum atheismum, quod non templa, non sacrificia, non pompam, neque alia id genus externa, quae Religionem saperent, apud ipsos conspexerint. Quid porro, si etiam fabulas quidam contexuerint, ut relationibus suis admirationem conciliarent? Coronidis loco addimus argumentum ex ipso Petro Bayle desumptum, quo invicte ostendimus, nullam fuisse, esse, aut fore Nationem sine ulla omnino de Deo notitia, proindeque Scriptorum, qui aliter referunt, auctoritatem

---

(a) *Hist. mor. des Antill. ch* 13. 14.

(b) *Description de la Chine tom.* 4.

(*) *Ex dictis, tum ex iis, quae subjicimus, manifeste liquet, quam immerito asserat saepe memoratus Petrus Bayle* (Continuat. etc. §. 13.), *saltem assensum suspendi hac super re debere, quasi nempe tam Scriptores, qui tradunt, laudatas nationes esse atheas, quam qui contrarium referunt, aequalem sibi vindicent fidem et auctoritatem.*

ritatem nihili esse pendendam . Docet itaque (*a*) , esse tum *moraliter* cum *physice* impossibile , quod integra aliqua natio , quam de Deo cognitio semel imbuerit , athea tandem evadat . Ergo siqua athea esset , oporteret , quod ipsa etiam a prima sui origine nullum Deum agnoverit . Sed hoc est falsum : docet namque praeterea idem Auctor , nos ex divina Mosis historia scire , omnes nationes ab Adamo , ejusque filiis descendisse . Cum itaque penes ipsos aliqua fuerit de Deo notitia , hanc quoque nationes inde ortae habuerunt : neque enim fieri posse videtur , ut filii nullam de Deo notionem a suis parentibus eadem ipsa notione imbutis hauriant . Quae cum sint , qua fronte idem Bayle esse nationes plane atheas pluries fidentissimeque scripserit , ego sane non video .

44. Ceterum quamvis aliquae fuissent atque etiam nunc essent efferatissimae nationes , quae nullum prorsus Deum agnoscant , quid tum inde ? Numquid propterea *moraliter* universalis dici non poterit de Deo consensio ? aut consensio haec ita communis vim deperdit suam ? minime sane Neque enim quorumdam hominum , qui brutinam potius quam rationalem ducunt vitam , stupiditas atque ignorantia quidpiam firmae opinioni ceterorum cujusvis aetatis ac loci hominum detrahit : *ex gentibus illis tam efferatis et inhumanis non oportet ab aequis judicibus convicium fieri naturae humanae* , inquit Porphyrius (*b*) .

45. ℟. *ad* 3. Non est , cur Increduli tam grandem Atheorum turbam ex antiquis commemorent . Nam Protagoras ad summum dubitavit ex Tullio (*c*) , *et quidquam videtur de natura Deorum suspicari* . Euhemerus mortes et sepulturas demonstravit Deorum , idque fortasse , ut superstitiosos ab cultu erga puros homines , sicut sunt ceteri , revocaret , non autem ut supremi veri Numinis existentiam rejiceret ; aliud quippe est , irridere inanes Deos , et aliud verum Deum negare . Profecto Clemens Alexandrinus utrumque hunc Philosophum ab Atheismi nota vindicavit . Democritum et Epicurum aliquem Deum asseruisse , inter alios scribit sæpe

(*a*) *Pensèes diverses* §. 104. , *Continuat. des pensèes diverses* §. 6.

(*b*) *Lib. de abstinentia* .

(*c*) *Lib.* 1. *de nat. Deor. cap.* 12.

pe laudatus Tullius (*a*). Prodicus Chius *ea, quae prodessent hominum vitae, Deorum in numero habita esse dixit*, inquit idem Cicero (*b*). Ceterum aliud est, quod quidam sive voce sive scriptis Deum inficentur, et aliud quod ex animo judicioque. Illud concedimus, hoc autem negamus, saltem si de firmo constantique atheismo sermo sit (*). *Mentiuntur*, inquit Seneca, *qui dicunt, se non sentire esse Deum; nam etsi tibi affirment interdiu, nocte tamen et sibi dubitant*. Profecto testatur Fenelonius, se agnovisse, qui antea, uti jactitabant, athei, subinde ad meliorem frugem redacti candide fassi sunt, se quidem conatos fuisse omnem de Deo cognitionem excutere, non potuisse tamen, neque ea, quae contra Deum asseruerant, ex animo protulisse. Conjici id quoque potest, ex quo impii id genus homines in periculis constituti ac morti proximi Deum tandem fateantur, adeo ut Saintibal insignis *spiritus*, ut ajunt, *fortis*, referente Bayle (*c*), conquereretur, in secta sua perseverantiae donum non haberi. Plura hac super re exempla nobis suppeditat historia. Vir fide dignus mihi ipsi retulit, quosdam non infimi gradus milites, qui antea Religionem irridebant, postea dum eorum vita inter armorum strepitus periclitaretur, Deum invocasse. Testatur Bernardus Nieuwentit (*d*), se quemdam cognovisse Spinozae amicum et sectatorem fidissimum, qui cum incidisset in morbum, se credere quidem ea omnia, quae antea negaverat, protestatus est, sed tamen nimium, quam oporteret, sero, ut inde sperare aliquid boni posset. Quinimo Spinoza ipse, ut refert Jo: Christophorus Wolfius (*e*) ex Francisco Halma, qui id a viro celeberrimo rescierat, morti proximus in haec tandem verba prorupit; *o Deus, esto mihi peccatori propitius*. Lucilius

---

(*a*) *ibid. cap.* 43. (*b*) *ibid. cap.* 42.

(*c*) *Diction. Art.* Bion, *Remarq. E.*

(*d*) *L' existence de Dieu. Discours preliminaire.*

(*e*) *Bibl. Hebr. part.* 1. *pag.* 240.

(*) *Quamvis potentissima sit de Deo opinio, fieri tamen posse videtur, ut quidam impii, aliquo saltem temporis momento eamdem a se depellant, praesertim dum atrocioribus incumbunt sceleribus, vel in profundum malorum inciderint.*

lius quoque Vanini ex Gramundo coevo praesenteque *(a)*, quidquid inscite venditet Petrus Bayle Lucilium inter atheismi martyres commemorans *(b)*, errores suos retractavit, quamvis subinde, cum mortem effugere non posset, desperatione ac furore actus rursus atheismum affectasse visus sit. De Voltaire recentior est ac celebrior quoad emissam, dum graviter infirmaretur, ab ipso Fidei professionem memoria, quam ut ipsam hoc loci repetamus. La Metrie, scilicet Auctor Libri *l' homme machine*, tum Auctor *Epistolarum persarum*, ut mittamus ceteros, tandem converti ad Deum in vitae fine conati sunt. Neque vero id recentibus tantum incredulis commune est. Veteres quoque ita se gessisse constat. Tullus Hostilius tertius Romanorum Rex morbo correptus fractusque adeo Deos agnovit, ut *omnibus magnis parvisque superstitionibus obnoxius degeret, religionibusque etiam populum impleret* uti scribit Livius *(c)*. Bion quoque Borysthenites, qui a Theodoro atheo edoctus fuerat, morti proximus, ut refert Laertius *(d)*, veniam a diis petiit, superstitionibusque sese dedit. Universim id fatetur Plato inquiens *(e)*: *nemo unquam, qui a prima juventute Atheismi opinionem amplexus sit, in eadem ad mortem usque perseveravit*. Tum Plinius junior: *quum*, inquit *(f)*, *atheus vicinam mortem praesentit, tunc Deos, tunc hominem esse se meminit*. Quin et Lucretius ipse, ita canens *(g)*:

Et quocumque tamen miseri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, et manibus divis
Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad Religionem.

46. Quod si quidam ad mortem usque in impietate constantes, quos *firmos* vocat Bayle, visi fuerint, id ex eo processisse dicimus, quod vel stupidi evaserint, vel desperati plane ac furiosi. Hinc nihil omnino auctoritate sua valent contra aliorum hominum non inductorum modo sed etiam sapientia illustrium quoad Dei existentiam consentionem: paucissimi enim esse ad summum possunt; tum criminosi, uti

---

(a) *Lib.* 3. *Hist. Galliae*. *(b)* *Pensées divers.* §. 182.
(c) *Dec.* 1. *lib.* 1. *cap.* 51. *(d)* *Lib.* 4. *seg.* 55.
(e) *Lib.* 10. *de legibus*. *(f)* *Lib.* 7. *Epist.* 26.
(g) *Lib.* 3. *v.* 30.

nti affirmat vel idem ipse Bayle (*a*), quorum nempe plurimum interest Deum negare, ut vitiis sceleribusque liberius indulgeant; ac tandem stulti: nam eos *vanos* appellat Sacra Scriptura (*b*); *et insanos* Tullius (*c*): *esse igitur Deos ita perspicuum est, ut id qui neget, vix eum sanae mentis existimem.*

47. ℟. *ad* 4. Quanti aestimanda sit communis constansque omnium hominum quoad Dei existentiam consensio, jam vidimus (§. 16.). Addimus quod de eadem disserens scite scribit vel ipse Sextus Empiricus: *est plane a ratione alienum*, inquit (*d*), *omnes forte fortuna ad easdem applicari proprietates, non autem sic moveri naturaliter.* Sed cavillationes, quibus increduli infirmare eamdem conantur, extricemus. Praecipua argumenta, ex quibus vulgares homines aliquam sibi hauriunt de Deo cognitionem, sunt haec ipsa rerum universitas, ejusque ordo, pulcritudo, harmonia cetera; tum traditio, quae quidem omnia cuique patent, nec vulgi captum superant. Neque porro ut primum illud argumentum vim habeat suam, eo opus habet examine, quod tantum Philosophis ac Sapientibus commune sit, uti contendere videtur Petrus Bayle (*e*): nam nemo adeo rerum ignarus fortasse est, qui sicuti horologium, ita hoc universum tam mire fabrefactum contuens, non illico concludat, non minus illius operis, quam hujus aliquem esse debere sapientem artificem. Ceterum vicissim petimus a Bayle, utrum Athei, siqui sunt, rigido subjecerint examini argumenta, quibus Dei existentia evincitur, tum ea quae eamdem impetunt? Certe si id pacato animo praestitissent, purgataque ratione, penitus caussae suae valedicerent.

48. ℟. *ad* 5. Falsum est, Legumlatorum astutia invectam primum fuisse inter homines de Deo opinionem. Nam 1. unde id probant Increduli? qua ex historia? quando opinio illa coepit, et quo in loco? 2. Quomodo in Legumlatorum et quidem omnium atque in toto orbe existentium mentem venit illa opinio? nunquid per alios Legumlatores, qui illos praecesserint, atque ita porro in infinitum? nam quum prima laudatae opinionis origo inquiritur, quaeri etiam debet

quonam

(*a*) *Pensèes divers.* §. 177. (*b*) *Sap. cap.* 13. *v.* 1.
(*c*) *Lib.* 2. *de nat. Deor. cap.* 16. (*d*) *Lib.* 8. *Comment.*
(*e*) *Contin. des Pensées divers.* §. 15.

quonam modo ipsa in Legumlatorum mentem tandem venerit . 3. Si vera foret Incredulorum doctrina , sequeretur , nationes , quae nullum Legislatorem habuerunt , ne agnovisse quidem Deum ; quod tamen ex dictis falsissimum est : tum quo antiquiores fuerint , eo etiam fuisse minus religiosas , cum Legumlatores , de quibus mentio est , nonnisi post multum a Mundi creatione tempus extiterint ; quod aeque falsum est : constat enim , Chaldaeos et Ægyptios , qui antiquissimi sunt, religiosiores seu potius superstitiosiores fuisse . 4. Legumlatores non jecere prima Religionis fundamenta , sed tantum redegerunt in ordinem , ac Deorum , quos populi venerabantur, nomine jussuque usi ea de caussa sunt , ut populi ipsi emissas leges exsequerentur . Quis enim se a Diis leges accepisse venditasset , nisi prius penes populos viguisset de ipsis Diis cognitio ? nam secus rem plane ignotam vulgo proponens eamque singularem ac gravem , ejusque cupiditatibus contrariam , quales sunt Dii , atque erga ipsos cultus , facile plebi visus fuisset traductusque tamquam impostor . 5. Legumlatores non Deos tantum , sed etiam honestatis leges , laudis desiderium , amorem patriae , infamiae timorem , spem assequendae in hac quoque vita felicitatis , atque alia id genus insinuabant , ut homines continerent . Numquid propterea populi haec antea penitus ignorasse dicendi sunt ? 6. Si opinio de Dei existentia fabula est Legumlatorum , cur nunquam et a nullo detecta ? *Quod si fallendi nostri* , inquiebat Lactantius (*a*) , *atque adeo totius generis humani caussa commenti sunt Religionem , ... quae tanta felicitas mentiendi , ut non tantummodo indoctos , sed Platonem quoque , ac Socratem fallerent , et Pythagoram , Zenonem , Aristotelem , maximarum sectarum principes , tam facile deluderent* ? 7. Moses , qui profecto etiam uti Auctor profanus maximam penes eruditos fidem meretur , Religionem a primo homine derivat , indeque ad Patriarchas ceterosque docet propagatam , atque antea viguisse , quam in lucem prodierint populorum Legumlatores (*) .

(*a*) *De ira Dei cap.* 10.

(*) *Nos pudet vel referre , quae Tolandus adversus Mosem per summam audaciam impietatemque evomuit , sanctissimum hunc virum ex Diodoro Siculo* (lib. 1.) , *et Strabone*

49. ℟. *ad* 9. Falsum quoque est, de Deo apud homines cognitionem ex vano metu ortam primum fuisse. Nam 1. unde id probant Increduli? 2. Cur homines etiam non meticulosi Deum agnoscunt? Tum vel hic metus omnibus communis fuit, vel tantum aliquibus. Si hoc alterum; quonam modo factum est, ut pauci meticulosi inde ortam de Deo sententiam aliis quibusque persuaserint? Sin autem primum; timor ille veram esse laudatam sententiam satis aperte ostendere videtur: nam communis timor in natura ipsa, quae omnibus communis est, fundatur. 3. Si orta fuisset ex metu, profecto Deum nisi truculentum sibi non confinxissent homines, neque eidem exhibuissent nisi cultum, qui tristitiam ac moerorem redoleret. At vero quis nesciat, homines sibi repraesentasse Deum velut beneficum, omnia curantem, atque impertientem? Jupiter, inquit Cicero (*a*), *idest*, juvans pater, *quem conversis casibus appellamus a* juvando Jovem. *a poetis* pater divumque hominumque *dicitur: a majoribus autem nostris* optimus, maximus, *et quidem ante* optimus, *idest* beneficentissimus, *quam* maximus. Chaldaei, referente Stanlejo (*b*), primum principium *bonitate plenum*, et antiqui Ægyptii, teste Jamblico (*c*), Deum *beneficum*, deosque referente Plutarcho (*d*), *bonorum caussas et largitores* agnoscebant. Cultus autem grati animi sensum plerumque sapiebat ac vota. Certe prima, quae legimus, sacrificia ab Adæ filiis Deo facta, Deum ipsum velut bonorum omnium largitorem, cui proinde primitiae deberentur, spectabant. Ipsi Idololatrae pluribus diis beneficis in gratiarum actionem sacra faciebant, uti ex historia compertissimum est. 4. Homines antea bona quam mala experti in seipsis sunt. Si igitur mala, quae

---

bone Geographo cum Numa Pompilio, Lycurgo, et Minos comparans (Adeisidaemon lib. 16. §. 6.), *quasi et ipse commentis fallaciisque, additque recens Anonymus Tolando impudentior* (Esprit du Judaisme chap. 2.), *praestigiis quoque et fabulis usus sit, ut ditioni suae Hebraeos subjiceret. Quis cordatus aut mediocriter doctus haec ferat? Innumera, quae patravit, prodigia calumniam omnem, atque improborum obtrectationem depellunt.*

(*a*) *Lib. 2. de nat. Deor. cap. 25.* (*b*) *Hist. phil. orient.*

(*c*) *De Myster. Ægypt. apud Eusebium Praep. Evang. lib. 3. cap. 2.* (*d*) *Lib. de Iside et Osiride.*

quae timorem incutiunt ac metum, in Dei cognitionem ipsos impulere, cur, quaeso, bona non id antea obtinuisse dicemus? Ad summum duo principia, *bonum* ex bonis et ex malis *malum* sibi confixissent homines; quod postea etiam Manichaei docuerunt.

50. Neque porro ex quo ad Deum precibus confugiamus, Religionique adhaerescamus tenacius, dum mala nos premunt, sequitur, uti arbitratur Hume (*a*), homines Deum ex metu primum cognovisse. Aliud quippe est, Deum, quem sicuti remuneratorem bonorum operum ita etiam malorum vindicem novimus, timere, vel ad ipsum, ut mala a nobis avertat, confugere; et aliud Deum ipsum ex metu nobis confingere. Timor Dei Deum antea in nobis praeconceptum supponit.

51. Quod autem docet Auctor Libri *Systeme de la nature* (*b*), scilicet Dei ideam semper cum illa timoris conjunctam esse, verum est, si de impiis, cujusmodi ipse fuit, loquatur; neque enim timere non possunt Deum, quem blasphemant, quemque, velint nolint, nisi velut judicem punitoremque scelerum spectare non possunt; unde Cotta apud Tullium: *nec unquam vidi*, inquit (c), *qui magis ea, quae timenda negaret, timeret; mortem, dico, et Deos*. At falsum plane, si de piis hominibus sermo sit. Quinimo nihil suavius ipsis est jucundiusque, quam Deum, quem diligunt, quemque ceu patrem amantissimum et remuneratorem beneficentissimum habent, repraesentare sibi et cogitare.

52. ℟. *ad* 7. Neque demum ex ignorantia primum orta est de Deo cognitio. Etenim hoc etiam loci petimus ab Incredulis, ut quod asserunt verbis, rationum momentis ostendant. Nos ex Mosis historia discimus, primos parentes in lucem vix editos Deum, et quidem non ex caussarum phenomenorum ignorantia agnovisse, sed accepisse a Deo ipso, atque hanc eamdem cognitionem fuisse serie numquam interrupta ad illorum posteros propagatam. Mittimus media alia, quibus homines Deum agnoverint (§. 16). Illud praeterea observamus, quod viri etiam doctissimi, qui nempe naturae phaenomenis suas caussas sive veras sive probabiles sive etiam falsas,

(*a*) *Histoire naturelle de la Religion pag.* 22.
(*b*) *Part.* 1. *chap.* 4.
(*c*) *Lib.* 1. *de nat. Deor. cap.* 31.

falsas, sed tamen velut sibi compertas assignant, Deum et norunt et fatentur.

53. Educationis praejudicio propagatam clamitant Increduli de Deo opinionem Sed plane immerito. Nam imprimis id genus educatio non est praejudicium, cum rectae rationi sit prorsus consentanea. Tum cum educatio in aliis rebus diversissima sit, cur hac in re est plane eadem? undenam, quaeso, parentes omnes in id omnino consenserunt? nisi quia haec educandi prolem ratio ipsius naturae judicium videtur. Denique cur viri doctissimi sicuti tot alia, ita etiam hoc non noverunt praejudicium neque abstulerunt, sed quinimo exemplo suo et calculo magis magisque confirmarunt? numquid soli Athei sapientes sunt ac prudentes, ceteri vero stulti, indocti, ridiculi, superstitiosi?

45. ℟. *ad* 8. Calumniantur Increduli, dum veterum deos non fuisse nisi viros aut fortes, aut claros, aut potentes in vulgum spargunt. Nam unum Deum omnium parentem, summum, optimum, maximum agnoscabant (§. 42.). Et quidem plures viri docti unum tantum; unde Antisthenes, *populares deos multos, naturalem unum esse* dixit apud Tullium (*a*). Ceterum inter deos non retulissent claros illos homines, nisi anticipatam habuissent de Deo opinionem. Porro de una Dei existentia sermo hoc loci est; quidquid demum sit de erroribus, in quos stulti homines quoad reliqua, quæ ad Deum pertinet, prolapsi sunt.

55. ℟. *ad* 9. Pessime argumentatur Bayle, dum scribit, quod si communis ominum de Dei existentia consensio quidpiam probaret, probaret quoque, plures Deos esse. Nam vix duos invenies populos, qui eosdem Deos, eumdemque deorum numerum agnoverint. Tum multitudo deorum nisi sero ac post diluvium invecta non fuit, paulloque post Christi Servatoris adventum ferme universim penitus evanuit. Tandem nunqnam penes omnes viguit: Hebræi siquidem unum tantum Deum colebant. Imo vero Gentiles, inter quos Job, ejusque amici; tum fortasse vel tunc temporis plures alii saltem doctiores unitatem Dei asserebant, atque etiam subinde, uti ex Tullio, Sexto Empirico, et Antisthene, quos superius laudavimus (§. 42. 54.), edocemur. Profecto adeo a ratione aliena est deorum multitudo, ut vix crediderim, doctos

(*a*) *Lib*. 1. *de nat. Deor. cap*. 23.

doctos homines in eam opinionem venire potuisse. Quare plures Deos nominarunt saltem plerique, vel ut plura unius ejusdemque Dei attributa significarent, eaque exhiberent sub diversis formis, vel ne plebis indignationi sese subjicerent. Hac super re paullo inferius redibit sermo. At vero persuasio de Deo non modo rationi consentanea est, sed etiam et ubique locorum, et quovis tempore communis, universalis, constans. Hoc idem discrimen apparet quoad ea, quae poetae esse apud inferos fabulabantur.

56. Porro ridiculum se praebet idem Bayle, dum ut omnium hominum consensionem quoad Dei existentiam infirmet, quaedam profert, puta de poemate aliquo, de pictura, de coloribus, similibusque exempla (*a*); quasi nempe sicuti vulgi consensio ac judicium in his rebus, quae longa studia scientiasque postulant, non est veritatis character, ita etiam neque character veritatis sit quoad Dei existentiam judicium et consensio hominum plane omnium. Certe nos pudet haec diutius morari.

57. Haec ideo fusiori, quam fortasse par esset, oratione exposuimus, ut constaret, aliquam Religionem, contra ac sentiunt Increduli, semper constanterque penes homines viguisse. Concipi enim vix potest firma de Deo persuasio, quin simul Religio aliqua, scilicet internus externusque in Deum cultus concipiatur.

58. *Ob.* 4. Physica pro existentia Dei argumenta, quae nempe ex hujus Universi ortu, structura, pulchritudine, harmonia, similibus desumuntur, nullius momenti esse, inter recentiores prae ceteris clamitat Mirabaud, qui statuit 1. materiem sive atomos aeternas esse et increatas: 2. motum esse ipsis essentialem: 3. denique ex atomis illis motu percitis omnia, quae ad Mundum attinent, prodiisse. Quorum postremum ut perspicue concipiatur, observat idem Auctor, prima corporum elementa non *homogenea* sed *diversae naturae* esse, neque proinde easdem proprietates, modificationes, ac movendi agendique modos habere. Hinc porro facile intelligitur, quamobrem ex fortuito atomorum concursu tanta exorta sit rerum corporearum varietas eamque elegans Universitas, quin ulla suprema eaque sapientissima caussa, quae Deus sit, confingatur.

59. Profecto

(*a*) *Continuat. des pens. divers.* §. 10. 11. *et* 12.

59. Profecto inter infinitas possibiles materiae conformationes praesens haec rerum conformatio continetur (*a*): neque enim reapse existeret, si haud esset possibilis. Ipsam autem fortuito atomorum concursu tandem emersisse, facile quisque concipiet, qui atomos illas ex tota aeternitate agentes ac reagentes supponere non dubitaverit: hinc enim infinitis, infiniteque diversis modis atomi ipsae necti sejungi, cohaerere conformarique non potuerunt modo sed etiam debuerunt atque ideo ea demum ratione consociari, quam praesens rerum universitas exhibet.

60. Denique ut ex hujus Universi fabrica jure Dei existentia inferatur, oporteret nos scire, quod ipsa aliunde haberi non potuerit. At hoc plane ignoramus. Nam adeone novimus rerum naturam, inquit Anonymus Anglus (*b*), ut definire tuto possimus, Mundum non potuisse nisi eo modo, quem nos concipimus, existentiam recipere? Quid si in Naturae sinu mille essent fontes, de quibus ne ideam quidem habeamus? quid si essent vires ad horum vel illorum effectuum productionem aptissimae? Praeter corpora et spiritus esse possunt entia alia, aliaeque substantiarum species, quae nos plane latent ac fugiunt.

61. R/. Non est, cur profani homines vetustissima milliesque extricata Epicureorum sophismata iterum in medium proferant. Atomos non esse increatas, neque motum esse ipsis essentialem, superius demonstravimus (§. 14.); et quamvis motus esset essentialis materiei proprietas, attamen materies ipsa sicuti existentiam, ita quoque motum, seu essentialem hanc proprietatem a Deo recepisset. Hinc porro licet hoc Universum vi motuum legumque mechanicarum tandem coaluisse concederetur, nihilo tamen minus cum et materies ipsa et ejus motus a Deo processerint, nihil esset, quod assertam ex Mundi rebus de ejusdem Dei existentia sententiam vel minimum infirmaret. Itaque uno veluti ictu objecta omnia Mirabaud aliorumque argumenta praeciduntur.

62. Sed tamen in singula, quae subdit, diligentius accuratiusque inquiramus. Imprimis itaque atomi seu prima corporum elementa, si increata sunt, esse deberent homoge-

nea.

(*a*) *Pensées philosophiques. Lettre des aveugles.*
(*b*) *Biblioth. raisonée.*

nea. Nam si unumquodque *a se* existit; sicuti eadem in singulis inesset existendi necessitas, ita quoque eadem natura. Profecto nulla est sufficiens ratio, cur unum unam, alterum vero alteram naturam, proprietates, modificationes, agendi movendique modos haberet. Hinc porro sequitur, hanc rerum universitatem coalescere conformarique ex ipsis, secluso Deo, non potuisse. Cum enim elementorum motus ex eadem naturae necessitate processerit, idem quoque in illorum quolibet sit oportet, eademque velocitas ac directio et quidem per lineam rectam. At eadem in singulis elementis velocitate directioneque per lineam rectam supposita, elementa ipsa incurrere agereque in se invicem non poterant, maxime cum unumquodque utpote *a se* existens a nullo alio ente pendeat, neque proinde secum ipsis sociari, compingere corpora, eamque rerum materialium varietatem, quam observamus, quamque hic mundus postulat, inducere. Hujus argumenti vim ac pondus sentit vel ipse Epicurus, qui propterea minimam quamdam atomorum ex recta linea *declinationem* commentus est. Sed eam egregie ita refellit Tullius (a): *quae ergo*, inquit *nova caussa in natura est, quae declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? optare hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri et declinare dicis: neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse caussae cur ea non e regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quam ob rem naturalem sui ponderis motum non teneret*. Temere itaque in Epicureorum hypothesi adstruitur atomorum concursus, ab eoque Mundi fabrica derivatur.

63. Sed concedamus, atomos fuisse heterogeneas, ac potuisse agere in se invicem agique; quis tamen sibi persuaserit, res tam mirabiles, tamque ordinatas constantesque, quales in hoc Universo conspicimus, ex fortuita hac atomorum concursione exortas primum fuisse? Siquidem ut inquit idem Tullius (b), *si Mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non*

(a) *De Fato cap.* 20.

(b) *Lib.* 2. *de nat. Deor. cap.* 37.

non potest? quae sunt minus operosa. et multo quidem faciliora. Observat Cl. Newtonus, materiae leges non fuisse per se idoneas, ut ornatissima haec rerum universitas compingi primum potuerit, sed tantum ut corporibus per divinam virtutem ita, uti par est, dispositis, phaenomena, quae inde eveniunt, explicarentur.

64. Verum, inquis, illa ipsa partium conformatio, quae praesentem hunc Mundum constituit exornatque, inter possibiles continetur. Demus. Numquid de possibili, an potius de facto aliquo loquimur, dum de Mundi origine et auctore disputamus? Itaque edisserant nobis profani homines, quomodo, quibusque viribus legibusque solo atomorum concursu sine Deo hic Mundus emerserit. Possibilis eo in sensu est, quatenus absolutam repugnantiam in se non involvit. At fieri posse ex fortuitis atomorum concursibus sine caussa aliqua, eaque sapientissima, quae atomos illas tam mire constanterque ordinaverit, omnino negamus: scilicet aliud est, quod res aliqua in se possibilis sit, et aliud, quod a data caussa fieri possit. Ea partium dispositio, ex qua horologium constat, est in se possibilis; numquid propterea haberi reapse posse ex sola fortuita fodinarum concursione sanus quisquam sibi persuaserit?

65. Frustra porro infinitae atomorum consociationes ex aeternitate confinguntur. Imprimis namque materiae motusque aeternitatem supponunt Adversarii; quod non modo dubium est, sed etiam vel impossibile, ut quibusdam placet, vel saltem falsum. Tum ea omnia redeunt argumenta, quibus Mundum ex atomorum concursibus, secluso Deo, oriri non potuisse, hactenus demonstravimus. Denique cum neque mens, neque intellectus, neque ratio in infinitis atomorum corpusculorumque nexibus consociationibusque contineantur; nam nec materies sunt, nec materiei proprietas, affectio, aut modus; illud tandem fateantur oportet, eorum omnium, quae in Mundo sunt, existentiam se expedire non posse, nisi mentem aliquam eamque sapientissimam *et a se* existentem, quae Deus est, concedant.

66. Quae subdit Anonymus Anglus, pyrrhonismum potius, quam argumentationem sano homine dignam sapere videntur. Satis rerum naturam novimus, ut inde concludamus, hoc Universum sine Deo existere non potuisse. Scimus praeterea, nulla esse entia, nullas substantiarum species, fontes

nullos,

nullos, nullasque vires, quae Deo sublato, Mundum hunc condiderint ordinaverintque. Sane praeterquamquod jure petimus ab adversario, ut haec, quae dubitando confingit, nobis ostendat perspicue; etiam argumentum saepius adhibitum rursus urgemus. Nempe illud, qualecumque sit, a quo Mundus processit, vel contingens est, vel necessarium. Si necessarium; ergo ab Universo, quod contingens est, plane distinguitur, estque Deus. Sed Deum negat Anonymus: est igitur contingens. Jam vero ens contingens neque existit sine Deo neque potest existere: itaque, Deo sublato, nullum est ens, nulla substantiarum species, fons nullus, nullaque vis, quae huic Universo et existentiam, et ordinem, et pulchritudinem, verbo, quidpiam, quod in ipso est, concesserit. Quae cum sint, apage vana Epicureorum somnia ac deliramenta.

CAPUT II.

De Dei a Mundi rebus distinctione.

QUÆSTIO II.

Utrum Deus ac Mundus sint una eademque numero substantia?

67. *Def. Pantheimus* ea est opinio, seu potius error, quo plane omnia, quae sunt, sive corporea sive spiritualia esse Deum, seu ad ejus substantiam pertinere statuitur.

68. *Schol. Pantheimus* graeca vox est, ex *pan*, latine *omne*, ac *theos*, latine *Deus* coalescens; unde *Pantheismus* graece, latine est *Omnideismus*, et qui absurdissimum hunc errorem tuentur, *Pantheistae* sive *Omnideistae* adpellantur. In hac itaque opinione nonnisi una numero existit substantia simplicissima, eaque est Deus: corpora vero, mentesque humanae non sunt nisi divinorum attributorum, scilicet illa quidem infinitae divinae extensionis, hae autem infinitae divinae cogitationis partes sive modificationes. Consulantur quae alibi hac super re disseruimus (*Ontol.* §. 283. *Psychol.* §. 140.)

Sensus quaestionis.

69. Quaerimus itaque, utrum Deus et Mundus, scilicet compages haec ex coelo terraque, tum ex iis naturis omnibus, quae in ipsa continentur, coagmentata, non sint nisi plane una eademque numero substantia? brevius, num omnia sint Deus, et Deus omnia?

Opi-

Opiniones.

70. Benedictus de Spinoza antea judaeus, quem secuti sunt Tolandus, Kuffelaerus, aliique, Pantheismum methodo mathematica, sed tamen fucata tantum ac nomine tenus pertractavit docuitque, adeo ut etiam *Spinozismus* vocari a nonnullis soleat absurdissima haec opinatio. Spinozam egregie refutarunt Petrus Bayle, Samuel Clarkius, Joannes Albertus Fabritius, Fenelonius, Lamy, Gerdil, Jaquelotus, aliique viri doctissimi.

PROPOSITIO.

Deus et Mundus non sunt una eademque numero substantia.

71. *Pr.* Nulla res constare ex iis potest, quae se mutuo destruunt (*Ontol* §. 13.). Jam vero ex iis, quae se mutuo destruunt, constaret Deus, si ipse et Mundus non essent nisi una eademque numero substantia. Et re quidem vera Deus, etiam juxta Spinozam (*a*) *est ens absolute infinitum, hoc est, substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam essentiam exprimit* (*). Hoc idem docent ceteri saniores Philosophi, breviusque Scholastici, dum asserunt, Deum esse ens *extensive et intensive* infinitum, seu non modo infinitas perfectiones habere, sed etiam earum quamque esse plane infinitam. Quapropter Deus *necessario et a se* existit; est quoque suapte natura aeternus, immutabilis, simplicissimus, indivisibilis, immensus, summe intelligens, verbo, undequaque infinitus. At Mundus,

(*a*) *Eth. part.* 1. *def.* 6.

(*) *Hanc definitionem explicatione sua, quam subdit, deturpat idem Spinoza:* dico, *inquit*, absolute infinitum, non autem in suo genere; quidquid enim in suo genere tantum infinitum est, infinita de eo attributa negare possumus; quod autem absolute infinitum est, ad ejus essentiam pertinet quicquid essentiam exprimit, et negationem nullam involvit. *Quae quidem eo spectant, ut vel una hac definitione adeo contorte explicata et intellecta velit Spinoza, Deum omnium plane realitatum collectionem in se* formaliter *complecti, ita ut quidquid essentiam exprimit, proindeque quidquid reale est sive corporeum sive spiritale, ad Dei essentiam ac naturam pertinere, seu Deum esse contendat: quod est omnino pantheisticum, et pantheismum involvit.*

dus, eaque omnia et singula, quae in ipso sunt, non existunt nisi contingenter et *ab alio* (§. 13. 14.), neque suapte natura sunt aeterna, neque immutabilia; corpora non sunt simplicia, non indivisibilia, non immensa, non intelligunt neque intelligere possunt; mentes vero humanae intelligunt quidem, sed imperfectissime; nihilque demum est, quod undequaque infinitum sit. Cum itaque si nonnisi una numero substantia eaque simplicissima, quae sit Deus, existeret, omnia omnino, quae in Mundo sunt, ad substantiam illam naturamque pertineant, atque ideo quidquid convenit hisce rebus, laudatae quoque subsantiae seu Deo conveniat; nequit enim Deus ea, quae ad ipsius naturam ac substantiam pertinent, non habere; manifestum est, quod Deus esset ens absolute necessarium simul et non absolute necessarium, suapte natura aeternum et non aeternum, immutabile et non immutabile, simplicissimum, et non simplicissimum, indivisibile et non indivisibile, immensum et non immensum, summe intelligens et non summe intelligens, verbo, undequaque infinitum et non undequaque infinitum; quae quidem sese mutuo destruunt. Deus igitur ex iis, quae se mutuo destruunt, constaret: quod cum repugnet; Deus et Mundus non sunt una etc. *Q. E. P.*

72. *Schol.* Quamvis haetenus dicta, tum ea, quae in Psychologia disseruimus quoad mentem nostram (§. 140. 144.). pantheisticum systema radicitus convellant, non erit tamen abs re nonnihil hoc loci addidisse, quo ejusdem absurditas manifestius patefiat. Itaque si Deus est quodcumque vides, quocumque moveris; ergo Deus est quidquid nascitur, vegetat, moritur; quidquid vel manibus palpamus, vel calcamus pedibus, vel dentibus terimus; immo vero quidquid etiam vilius est foediusque. Si omnia sunt Deus, et Deus omnia; ergo quidquid fit, Deo ipsi attribui debet; nam si Deus est substantia illa simplicissima, cujus modificationes sunt ea omnia, quae fiunt, profecto haec ipsa adscribi debent Deo: neque enim dici nisi perridicule potest, *tristitia est tristis*, aut *impietas est impia*, sed substantia est tristis aut impia, cui id genus modificationes conveniunt. Igitur Deus languet, aegrotat, dolet, torquetur, tristatur; ipse se negat in atheis, ipse se blasphemat in incredulis, ipse se deturpat in idolatris, ipse se deridet in impiis; peccata vetat et vult, injustitias damnat et approbat, cultum reli-

giosum

giosum praecipit et aspernatur ; in Deo sunt bella , rixae , seditiones , fraudes , doli , violentiae , furta , adulteria , odia , homicidia , omnia denique scelera etiam atrociora , et quidem non modo ea , quae Veneri , Jovi , Saturno , aliisque diis ethnici Poetae adscripserant , verum et illa quoque , quibus ipsi Deos suos conspurcare erubuerunt . Novi equidem , Spinozae sententia (*a*) praejudicium esse quod de *bono et malo* , de *laude et vituperatione* omnes sentimus . Sequitur id ex absurdissima ejus hypothesi , in qua hominibus aeque ac Deo vera proprieque dicta libertas adimitur . At nonne hoc idem impium est ac falsum ? Nam si ita se se res habet ; ergo nullae sunt leges (*) , nulla virtus aut vitium , nullum bonum aut malum meritum, nullum praemium aut poena . Deus non iram vetat , non odia , non violentias . Æque Deo placet , qui ipsum laudat diligit aut colit , quam qui ipsum vituperatur , odio habet aut spernit . Gratiarum actiones , gratique animi erga Deum sensus precesque non sunt nisi stupiditas hominum ac vanitas , miracula sunt fabulae , ac plane impossibilia . Adami voluntas , qua vetitum fructum comedit , nec mala fuit , neque contra Dei voluntatem , nullaque est originalis culpa , nulla naturae corruptio . Ridiculum est asserere , Divinum Verbum humanam sumpsisse naturam , nosque opus habuisse Reparatore . Cultus quisque Deo est plane indifferens , atque aeque placebis Deo , sive ethnicus fueris ,

---

(*a*) *Append. ad* 1. *part. Ethicae* .

(*) *Pluries quidem leges jusque naturale nominat Spinoza ; verum plane contorte : demta enim libertate , leges non sunt nisi mechanicae , necessariae , iisque omnino similes , quibus bruta animantia aut plantae lapidesque reguntur* . Hominum jus naturale , *inquit* (tract. Theologico-polit. cap. 2.) , non ratione , sed quocumque appetitu , quo ad agendum determinatur , definiri debet . Per jus naturae intelligo ipsas naturae leges , secundum quas omnia fiunt . Quicquid unusquisque homo ex legibus suae naturae agit , id summo naturae jure agit . *Itaque cum homo quidquid agit , necessario agat , fatalesque naturae leges sequatur ; agit summo naturae jure , dum occidit alios homines . dum struit fraudes , dum res alienas sibi rapit , dum aut mentitur , aut decipit , aut Rempublicam societatemque perturbat . Horrenda dictu* .

ris, sive haereticus, sive catholicus, sive atheus, aut quisquis alius; tum sive dixeris, ipsum esse aeternum, immortalem, beatissimum, justum, sanctum, sive asserueris, ipsum nudius tertius factum, corruptibilem, miserrimum: iniquum, impium, aut etiam sycophantam, furem, vinosum, adulterum, stupratorem. Neque vero putes, nos haec injuria aut invidiose dixisse. Partim enim aperte docet Spinoza ipse praesertim in Tractatu suo theologico-politico, partimque ex ejus hypothesi sponte velut sua ac necessario sequuntur. Consulatur P. Franciscus Lamy Benedictinus (*a*). Interim nemo est, opinor, qui non videat, quam absurdum sit systema spinozianum. Illud demum superest, ut ejusdem fundamenta praecipua convellamus, quod mox praestare in objectionum solutionibus nobis in animo est.

Pantheistarum sophismata dissolvuntur.

73. *Ob.* 1. *cum Benedicto de Spinoza*. Praeter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia (*a*) (*); atqui si Deus et Mundus non essent nisi una eademque numero substantia; alia praeter Deum substantia dari et concipi posset: ergo falsa propositio. *P. maj.* Ad naturam substantiae pertinet existere (*b*) (**); atqui si aliqua alia praeter Deum dari

---

(*a*) *Extrait du nouvel atheisme renversè, ou refutation du sistème de Spinosa.*

(*a*) *Ethicae part.* 1. *prop.* 14.

(*b*) *Ibid. prop.* 7.

(*) *Hinc concludit* (corol. 1.), Deum esse unicum, hoc est, in rerum natura non, nisi unam substantiam, dari, eamque absolute infinitam esse. *Tum* (corol. 2.), rem extensam, et rem cogitantem, vel Dei attributa esse, vel affectiones attributorum Dei. *Praeterea* (prop. 15.) quicquid est, in Deo esse, et nihil sine Deo esse, neque concipi posse, *atque ideo: si ipsum audiamus, omnia, quae sunt, nihil esse aliud, nisi Dei seu divinae substantiae modos: ac denique, ut mittamus cetera* (prop. 18.), Deum esse omnium rerum causam immanentem; non vero transeuntem. *Haec adnotamus, ut dirutis fundamentis, ea etiam, quae a Spinoza superstruuntur, totumque ipsum aedificium ruere quisque perspiciat.*

(**) *Ex hac propositione infert Spinoza* (prop. 8.), omnem substantiam esse necessario infinitam.

dari et concipi posset substantia, ad substantiae naturam non pertineret existere: ergo &c.

74. ℟. *D. maj.*, ad naturam substantiae perfectissimae pertinet existere, *C.*, ad naturam cujusvis substantiae, adeo ut nulla omnino esse possit, quae per essentiam suam non existat, *N. maj.*; *et C. min.*, *N. cons.* Substantia perfectissima, cujusmodi est solus Deus, talis est indolis, ut per essentiam suam existat, sive ut existentia ad ejus naturam omnino pertineat. Verum nos praeter Deum alias quoque, sed creatas neque perfectissimas concipimus substantias. Et jure quidem: nam plures esse modificationes, quae diversae sint quin et oppositae, velut figura quadrata et rotunda, perspicuum per se est, nec diffitetur Spinoza. Concedit quoque, modificationes sine substantia, cui inhaereant, esse non posse. Vel igitur plures existuut substantiae, quae sint illarum modificationum subjecta, vel una eademque numero simplicissima substantia est quadrata simul et rotunda, scilicet ex iis constat, quae se mutuo destruunt; nam rem aliquam esse quadratam simul et rotundam perinde est, ac esse quadratam simul et non quadratam, rotundam simul et non rotundam, cum prior illa figura hanc alteram, et haec altera priorem illam per essentiam suam in eodem subjecto excludat. Mittimus cetera in re perspicua (*). Cum igitur nonnisi una numero substantia, eaque simplicissima esse possit, quae per essentiam suam existat; manifestum est et plures dari concipique posse praeter Deum substantias, et falsum esse, ad cujusvis substantiae universim spectatae naturam pertinere existere, adeo ut nulla omnino esse possit, quae per essentiam suam non existat.

75. *Inst.* Una substantia non potest produci ab alia substantia (*a*); atqui nisi ita ad naturam substantiae pertineret existere, ut nulla omnino esse possit, quae per essentiam suam non existat, sane una substantia posset ab alia substantia produci: ergo adeo ad substantiae naturam pertinet existere, ut plane nulla esse possit, quae per essentiam suam non existat.

75. ℟.

(*a*) *ibid. prop.* 6. *et corol.*

(*) *Consulatur Petrus Bayle* (Dict etc. art. *Spinoza* Rem. N.).

76. ℞. *D. maj.*, una substantia non potest produci ab alia substantia per *simplicem productionem*, C., per *creationem*. *N. maj.*; *et D. min.*, nisi etc. sane una substantia posset per *simplicem productionem* ab alia substantia produci, *N.*, per *creationem*, *C. min.*, *et N. cons.* Compertum est Philosophis, substantiam non posse nisi aut per propriam *essentiam*, ut Deus, aut per *creationem* primum existere. Cum enim nullo opus habeat subjecto, cui inhaereat, ut existat (*Ontol.* §. 158.); facile concipitur, ipsam, antequam existat, in nihilo tum sui cum subjecti esse, atque ideo ex nihilo sui et subjecti educi seu creari (*ibid.* §. 288.) debere ut primum reapse existat. Hac ratione existere eas omnes substantias, quae finitae sunt et imperfectae, saniores cujusvis aetatis Philosophi concedunt, quamvis modus, quo creatio fiat, ignorari ingenue fateantur (§. 19. *et seqq.*).

77. *Inst.* Quae res nihil commune inter se habent, earum una alterius caussa esse non potest (*a*); atqui duae substantiae diversa attributa habentes, nihil inter se commune habent (*b*); ergo earum una alterius caussa esse non potest, proindeque una substantia ne per creationem quidem produci potest ab alia substantia.

78. ℞. *D. maj.*, quae res nihil, hoc est, ne illam quidem relationem, quae effectum inter et caussam intercedit, commune inter se habent, earum una alterius caussa esse non potest, *C.*, quae res nihil quoad entitatem tantum seu naturam commune inter se habent, earum una etc., *N. maj.* et *D. min.*, duae substantiae diversa habentes attributa, nihil, hoc est, ne relationem quidem, quae effectum inter et caussam intercedit, commune inter se habent, *N.*, nihil commune habent, hoc est, unaquaeque substantia ea, quae intrinsecus sunt sibi propria, non habet alteri communia, *C. min. et N. cons.* Æquivocationibus rem implicat Spinoza. Vel enim asserit, duas subtantias talis esse indolis, ut unaquaeque ea omnia, quae ad ejus *individuationem* pertinent, ita habeat, quod ipsi propria sint, non alteri communia; vel substantiam ita non posse habere aliquid commune cum altera, ut relationem quoque, quae effectum inter et caussam intercedit, prorsus excludat. Primum illud concedimus; substantia enim est *individua* per *esse* totius suae entitatis in ipsa,

(*a*) *Ibid. prop.* 3. (*b*) *Ibid. prop.* 2.

ipsa , non in alio , sed separatim a quolibet (*Ontol. Aanot. ad* §. 163.) . Tum individuum esse debet in se *unum* , proindeque indistinctum in se vel indivisum , et distinctum vel divisum a quolibet alio (*ibid.* §. 100.) ; quod quidem esse non potest , nisi quaelibet substantia , quae *individua* est *una et singularis* , ea , quae intrinsecus habet , tamquam sibi propria habeat , non alteri communia . Alterum vero omnino negamus . Substantia enim non est nisi id omne , quod existit per se , hoc est , independenter ab alio , cui tamquam subjecto inhaerere debeat , ut existat (*ibid.* §. 158.) . Quare per essentiam suam excludit quidem subjectum suae *inhaesionis* , non autem relationem ad sui caussam , atque ideo esse potest vera proprieque dicta substantia quamvis quoad sui existentiam ab alia caussa pendeat , a qua creetur .

79. *Inst. Per substantiam intelligo id , quod in se est* (a) ; atqui si duae substantiae diversa habentes attributa , illam relationem , quae effectum inter et caussam intercedit , communem inter se haberent , jam una substantia , quae sit effectus alterius , non *in se* esset : ergo duae substantiae diversa attributa habentes , nihil , ne illam quidem relationem , quae effectum inter et caussam intercedit , commune inter se habent . Rursus : per substantiam (definitionem suam prosequitur Spinoza) intelligo id , *quod per se concipitur* ; *hoc est id , cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei , a quo formari debeat* ; atqui si duae substantiae laudatam relationem haberent communem , substantia , quae sit effectus , per se non conciperetur , hoc est ejus conceptus indigeret conceptu alterius rei , nempe suae caussae , a quo formari deberet : ergo etc.

80. ℞. Eo demum tota Spinozae argumentatio devenit , ut in una nitatur substantiae definitione , quemadmodum perspicue demonstravit Cl. P. Antoninus Valsecchi (*b*) . Hanc itaque substantiae definitionem paullo diligentius expendamus . *Per substantiam* , inquit , *intelligo id* , *quod in se est* . Verum in his verbis duplex subest sensus ; alter quod substantia sit illud , quod *pes se* existit , hoc est , quod nullo eget subjecto , cui inhaerere debeat , ut existat . Optima esset haec substsntiae definitio , atque eadem illa , quam nos

ipi

(*a*) *Ibid. def.* 3.

(*b*) *De' fondamenti della Religione lib.* 1. *cap.* 3.

ipsi cum aliis fere quibusque Philosophis tradidimus. At nihil inde consequitur, quod pantheismo favere vel minimum possit: ex quo enim aliquid sine subjecto inhaesionis existat, non sequitur, quod ipsum ab alio pendere quoad sui existentiam nequeat seu creari, aliud quippe est, rem ab alio pendere tamquam ab inhaesionis subiecto, ut color a corpore; et aliud pendere ab alio tamquam a caussa efficiente, quae rem ipsam creet, ut mens nostra a Deo. Alter sensus est, quod substantia sit illud, quod *a se* existit, hoc est, quod ut existat, a nullo alio tamquam a sui caussa dependet. Si tota spinozianae argumentationis series spectetur, hic est sensus, quem Auctor traditae a se substantiae definitioni adscribit (*). At imprimis hanc substantiae definitionem alii quique Philosophi inficiantur, quibus probatum est, ad naturam substantiae universim spectatae tantum requiri, quod ipsa non egeat subjecto inhaesionis, seu non inhaereat subjecto, ut existat (§. 78.), sive porro existat *a se*, ut Deus, sive *ab alio*, ut corpora ac mentes humanae. Jam vero negata definitione, quam nullis momentis probat Spinoza, totum, quod superstruitur, systema pantheisticum omnino corruat necesse est. Tum si substantia sensu spinoziano intelligenda esset; profecto in definitione ipsa id quod in controversia est, assereretur. Quaeritur enim, utrum praeter

Deum

(*) *Id manifeste constat ex propositione septima, in qua asscritur, quod* ad naturam substantiae pertinet existere, *seu* ipsius assentia involvit necessario existentiam: *nemo enim non videt. id genus rem* a se, *hoc est, a quovis alio plane independenter existere. Magis perspicue Spinozae mentem exponit D Boullainvilliers* (Refutation de Spinoza prem. partie), *qui postquam dixerat* (pag. 11.), *id omne substantiam se appellare*, quod in se et per se est: tout ce, qui est en soi et par soi ... je l' appelle substance; *ex hac definitione infert* (pag. 15.), proprium esse substantiae existere necessario ac per se: il est propre a la substace d' èxister necessairement et par soi-même, suivant sa definition; *tum* (pag. 16.), existentiam esse essentiam entis absoluti sive substantiae: l' existence est l' essence de l' être absolu, ou de la substance, suivant sa definition. *Spinoza itaque scribens, substantiam esse id, quod* in se *est, intelligit, ipsam non esse aliud, quam quod* a se *existit*.

Deum aliae existant substantiae ab ipso creatae ac distinctae, necne? brevius, num solus Deus sit subsantia? Quid porro Spinoza? nempe per unam substantiae definitionem litem omnem dirimit: asserere enim, subsantiam esse tantum id, quod *a se* existit, perinde est atque asserere, solum Deum, qui unus *a se* existit, esse substantiam, seu nullam aliam substantiam praeter Deum existere; quod quidem est ipsum hujus disputationis caput ac summa. Haec quoad primam objectae definitionis partem.

81. Altera pars est, per substantiam, inquit, intelligo id, *quod per se concipitur; hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat*. Eo in sensu hanc definitionis suae partem intelligit Spinoza, ut velit, substantiam a quovis alio tamquam a sui caussa non pendere, adeo ut quidquid tamquam effectus ab alio tamquam a sui caussa dependet, non sit substantia (*). Cum porro quod a nullo alio pendet, ut existat, *a se* existat, uti perspicuum per se est; manifeste liquet, hanc alteram spinozianae definitionis partem in priorem, quam mox exposuimus (§. 80.), recidere, scilicet non posse esse substantiam nisi id, quod *a se* existit. Quare ea ipsa, quae priorem partem, hanc

---

(*) *Constat id ex demonstratione propositionis secundae: ut enim probet*, duas substantias, diversa attributa habentes, nihil inter se commune habere, *id patere asserit ex definitione substantiae*: unaquaeque enim *substantia*, *inquit*, per se debet concipi, sive conceptus unius conceptum alterius non involvit. *At si una substantia velut effectus ab alia velut caussa dependet, conceptus illius involvit hujus conceptum: nam, ut scribit axiomate quarto*, effectus cognitio a cognitione causae dependet, et eandem involvit. *Quamobrem dum scribit Spinoza, substantiam esse id*, quod per se concipitur, hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat, *intelligit, substantiam non esse nisi id, quod a quovis alio tamquam a a sui caussa non dependet. Magis perspicue mentem suam aperit in secunda demonstratione propositionis sextae: nam probaturus, quod* una substantia non potest produci ab alia substantia, *inquit*; si substantia ab alio posset produci, ejus cognitio a cognitione suae caussae deberet pendere (per Axiom. 4.); adeoque (per def. 3.) non esset substantia.

hanc quoque alteram invicte refellunt. Ceterum ut nemo non videat quam insulsa sit haec substantiae definitio, ita argumentari ex ipsa nobis liceat: substantia est id, quod per se concipitur; atqui corpora per se concipiuntur; sunt enim entia absoluta, ac reapse sine ulla ad Deum aut ad spiritum relatione eadem concipiunt saltem pueri: ergo corpora sunt substantia. Rursus; substantia est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat; atqui conceptus de Deo indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat; nam ex cognitione aliarum rerum Deum concipere solemus ac demonstrare: ergo Deus non est substantia. Sed quid absurda haec, falsa, sophistica quin et ridicula Spinozae commenta diutius moramur?

82. Æquivocatione laborat quoque *modi* sive *modificationis*; quam tradit Spinoza, definitio. *Per modum*, inquit (*a*), *intelligo substantiae affectiones*, *sive id*, *quod in alio est*, *per quod etiam concipitur*. Modus ceteris Philosophis est id, *quod existere per se non potest*, *sed alio opus habet subjecto*, *nempe substantia*, *cui inhaereat*. *ut possit existere*, velut doctrina (*Ontol.* §. 161.). At plane alius est spinozianae definitionis sensus. Sicuti per *substantiam* intelligit id, quod *a se* existit, et ab alio quovis tamquam a caussa non pendet, ita ex opposito per *modum* intelligit id omne, quod non existit *a se*, sed pendet ab alio. Hinc concludit, quod cum sive corpora sive mentes humanae *a se* non existant, sed a Deo pendeant; mentes ipsae et corpora non sunt nisi *modi* divinae substantiae, vel attributorum Dei. Verum alii quique Philosophi hunc laudatae definitionis sensum negant. Non igitur ipsum assumere tamquam certum poterat Spinoza, sed plane oportebat, ut eundem momentis sane invictis ostenderet, ac vindicaret. Si hactenus dicta attente perpendantur, tota Spinozae argumentatio huc redit: substantia est id, quod *a se* existit; atqui solus Deus existit *a se*; ergo solus Deus est substantia. Rursus: modus est id, quod *a se* non existit; atqui corpora, mentes, resquae ceterae praeter Deum non existunt *a se*; ergo sunt modi. Modi autem sine substantia, in qua insint, esse non possunt: ergo res omnes in Deo, qui unus est substantia, *formaliter* insint necesse est; atque hinc cetera omnia sequuntur sponte velut

sua

(*a*) *Ibid. def.* 5.

sua, quae pantheisticum systema constituunt, et ex ipso dimanant. At falsa est tum *substantiae*, tum *modi* definitio, neque unquam probata a Spinoza fuit. Temere igitur ac falso systema pantheisticum asseritur ac venditatur.

83. *Ob.* 2. Nonnulla alia nobis obtrudunt Pantheistae. Atque imprimis, *in rerum natura*, inquit Spinoza (*a*), *non possunt dari duae, aut plures substantiae ejusdem naturæ, sive attributi*: quod quidem ita demonstrat idem Spinoza. *Si darentur plures distinctae, deberent inter se distingui vel ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum*, per propositionem quartam. *Si tantum ex diversitate attributorum, concedetur ergo, non dari, nisi unam ejusdem attributi. At si ex diversitate affectionum, cum substantia sit prior natura suis affectionibus, depositis ergo affectionibus, et in se considerata, hoc est*, per definitionem tertiam, *vere considerata, non poterit concipi ab alia distingui, hoc est, non poterunt dari plures, sed tantum una*, quae est Deus.

2. Quidquid est in ente necessario, et ab ipso procedit, necessarium est. Porro omnia omnino procedunt a Deo: omnia itaque sunt plane necessaria, eamdemque habent cum Deo naturam.

3. Deus est substantia absolute infinita, infinitamque realitatem in se contineat necesse est. At si aliqua alia substantia extra substantiam infinitam esse posset, haec profecto absolute infinita non esset: quandoquidem limitaretur, deque ipsa aliquid posset negari. Ita sane extra corpus infinitum, nullum omnino aliud distinctum corpus esse unquam potest.

4. Omnes omnino perfectiones *formaliter* in se continere debet Deus: aliter enim aliquid, quod ipsum perfectiorem redderet, non haberet, cum perfectiones rem, in qua insunt, perficiant. Jam vero sive corpora sive mentes aliique spiritus aliquas in se habent veras proprieque dictas perfectiones, Itaque res istae omnes in Deo *formaliter* insunt, atque ad ejus naturam pertineant necesse est.

5. Quae sese mutuo compenetrant, sunt unum idemque *numero*: Deus autem et sive corpora sive spiritus compenetrantur: ergo etc.

84. ℟. *ad* 1. Haec Spinozae propositio est velut achilles, ut

(*a*) *Ibid. prop.* 5.

ut inquit Bayle, totiusque spinoziani systematis summa ac fulcimentum praecipuum. Verum quantum falsa sit et sophistica, nemo non videt. Concedimus itaque, non posse dari duas aut plures substantias ejusdem *numero* naturae sive attributi: natura siquidem sive attributum necessarium, de quo sermo est, ad ipsam substantiam, cujus est attributum, intrisecus pertinet, atque ideo si ipsum sit idem *numero*, substantia quoque, cujus est, eadem *numero* sit oportet. Quare dari non poterunt duae substantiae ejusdem *numero* naturae, seu quae eamdem *numero* naturam sive attributum habeant: aliter essent *duae*, uti supponitur, et simul non *duae*, sed *una* tantum numero, cum eamdem *numero* naturam haberent; quae pugnantia sunt. At ne dari quidem posse duas aut plures substantias ejusdem *specie* naturae sive attributi, omnino negamus: facile enim concipimus, Spinozam puta et Socratem distingui *numero* quamvis uterque eamdem *specie* naturam aeque haberet, uti reapse habet. Haec universim.

85. Ad probationem propositionis objectae quod pertinet; imprimis *diversitatem* cum *distintione*, quae secerni a se invicem debent (*Ontol.* §. 119.), imperite confundit Spinoza. Attributorum aut affectionum diversitas *dissimilitudinem* in substantiis parit, non *distinctionem*, quae ceteroqui in substantiis illis supponitur. Hinc *indiscernibilia*, quamvis sint plane similia seu non *diversa* quoad ea, quae intrinsecus habent, sunt tamen inter se distincta (*ibid.* § 133. 135. 141. 143.). Quare duae substantiae etiamsi nullam haberent sive attributorum sive affectionum diversitatem, possent nihilominus inter se distingui, esseque reapse non *una* numero, sed *duae*; atque ideo totum Spinozae argumentum, quod in falsa doctrina quo ad distintionem substantiarum innititur, plane corruat necesse est. Ad *dissimilitudinem* sive *diversitatem* substantiarum quod spectat, dicimus, ipsam haberi posse sive ex attributorum sive ex affectionum diversitate. Primum quidem, si una substantia, aliunde distincta ab alia, uno vel altero donetur essentiali attributo, quo haec alia substantia destituitur, veluti anima et corpus atque haec diversitas dicitur *essentialis* sive *specifica*. Alterum vero, si laudatae substantiae quoad attributa essentialia plane omnia inter se cunveniant, sed tamen una
iis

iis praedita sit affectionibus, quae in alia omnino desiderantur, velut Petrus et Paullus.

Sed Spinozam pressius ex ipsa ejus doctrina perstringamus. Si enim objectum ejus argumentum vim ullam haberet, sequeretur duos aut plures modos in rerum natura dari non posse. Quod ut perspicue constet, ipsis ejus verbis sententiisque ita argumentamur. Si darentur plures distincti modi, deberent inter se distingui vel ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum: nihil enim praeterea esse asserit Spinoza *propositione quarta*, per quod duae aut plures res distinguantur. Si tantum ex diversitate attributorum, concedetur ergo, non dari, nisi unum ejusdem attributi modum. At si ex diversitate affectionum, cum modus sit prior natura suis affectionibus, depositis ergo affectionibus, et modo in se considerato, hoc est, vere considerato, non poterit concipi ab alio distingui, hoc est, non poterunt dari plures modi, sed tantum unus. Quid ad haec Spinoza? Atqui in rerum natura non haberi nisi unum tantum modum, et negat Spinoza ipse et falsum est ex obvia cujusque experientia atque observatione. Videat ergo recutitus Auctor quam pessime adversus substantiarum multitudinem argumentetur.

86. ℟. *ad* 2. Distinguendum est inter Dei opera: alia enim sunt *ad intra*, ut inquiunt Theologi, seu ad ipsam spectant Dei naturam; quae quidem sunt plane *necessaria*. Alia vero sunt *ad extera*, seu ad Dei naturam non pertinent, sed extra ipsam fiunt. Haec sunt omnino *libera*: Deus enim in id genus operibus esse debet liberrimus, quemadmodum suo loco invicte demonstrabimus. Itaque falsum est, omnia omnino, quae a Deo procedunt, esse necessaria. Ceterum caussae in operando necessitatem cum necessitate existendi imperite confundunt Spinoziani. Lapis in aere sibi relictus necessario cadit, casus tamen iste est absolute contingens, cum non repugnet absolute, quod non habeatur. Porro hoc loci de intrinseca et absoluta existendi necessitate sermo est. Quamvis itaque Deus necessario res creasset, nihilotamen minus cum ipsae sint effectus *ad extra*, non eamdem profecto cum ipso Deo naturam haberent.

87. ℟. *ad* 3. Deus est substantia absolute infinita, infinitamque realitatem in se continet, quatenus omnes possibiles perfectiones, quae nullam imperfectionem redoleant, sintque *intensive* infinitae, in se complectitur. Alias vero, quae im-

perfectionem aliquam admixtam habent, velut soliditas, *eminenter* (*Ontol.* §. 265.) seu perfectiori ratione tantum in se continet. Hinc quamvis aliae substantiae extra Deum existant, Deus tamen nullo coarctatur limite, neque negari aliquid de ipso potest, quod sit vera Deoque digna perfectio. Puta mens nostra est sapiens, sed Deus est sapientissimus; corpus per vires suas aliud corpus movet, sed Deus omnipotenti voluntatis suae actu sive eminentiori ratione efficere idipsum potest. Imo vero si Deus alias res omnes in se contineret *formaliter* cum ipsae imperfectae sint limitibusque circumscriptae, aliquid imperfectionis finitique in seipso haberet, neque proinde esset, ut esse debet (§. 71.), *intensive* infinitus.

Neque porro eadem est ratio de corpore infinito, si possibile esset, ac de infinito Deo: illud enim cum impenetrabile sit, omnem omnino locum occuparet, neque ullum vel minimum relinqueret, ubi aliud corpus collocaretur. At Deus est simplicissimus spiritus, nullamque aliam rem a loco, ubi ipse est, excludit.

88. ℞. *ad* 4. Diximus (§. 87.), omnes creaturarum perfectiones non *formaliter* seu non prout in creaturis sunt, sed *eminenter* tantum contineri in Deo posse ac debere. Neque porro inde sequitur, Deum ipsum esse minus perfectum, seu non habere aliquid, quod eumdem redderet perfectiorem. Nam praeterquamquod si Deus perfectiones illas *formaliter* in se contineret, non esset quinimo *intensive* infinitus (*ibid*); nihil deest Deo, ex quo creaturae aliquid habeant: neque enim quod ipsae habent, Deo detrahitur. An rem aliquam nescio aut minus scio, quia tu quoque eamdem scis? vel aliquid scientiae, quam habeo, adderes, si eam, quam tu neque habes, mihi communicares? Deus igitur est infinite sapiens, quamvis eam sapientiam *formaliter* non habeat, quam habent homines. Quod de sapientia dicimus, de aliis etiam, quae in creaturis sunt, perfectionibus dicendum eodem jure est.

89. ℞. *ad* 5. Quae compenetrantur, fiunt tantum unum idemque quoad locum, cum in plane eodem consistant, non autem quoad propriam entitatem sive substantiam. Compenetratio namque est quaedam mere extrinseca ad locum relatio, seu simultanea rei alicujus in loco alterius existentia; esse autem in hoc potius quam in loco alio, extrinsecum est

ipsis

ipsis rebus, quae in loco sunt. At relatio mere extrinseca entitatem rei seu naturam intrinsecus non immutat. Duarum itaque substantiarum, quae compenetrantur, entitas intrinsecus eadem, uti antea, perseverat; atque ideo sicuti ante, ita etiam post compenetrationem non *una*, sed *duae* numero esse adhuc debent. Haec universim. Ad rem nostram quod pertinet, illud praeterea accedit. Deum esse spiritum, et quidem increatum, aeternum, verbo, extensive et intensive seu undequaque infinitum; quae sane attributa cum iis sive corporum sive humanarum mentium adversentur, manifestum est, omnino repugnare, quod Deus et laudatae res creatae, compenetratione peracta, una tantum eademque *numero* res et substantia evadant.

Ad uberiorem praesentis disputationis doctrinam consulantur Pantheistarum argumenta sive ex naturali ratione sive ex sacris Scripturis petita, tum solutiones, de quibus in Psychologia (§. 145. *et seqq.*)

CAPUT III.
De unitate Dei.
QUÆSTIO III.
Utrum nonnisi unus sit Deus?

90. *Def. Polytheismus* graece, latine *Deorum multitudo* sive *pluralitas*, ea est sententia seu potius error, quo non unicus tantum, sed plures numero Dii adstruuntur. Qui errorem hunc profitentur, *Polythei*, *Monothei* autem, qui unum tantum Deum agnoscunt, adpellantur.

Sententiarum compendium.

91. Olim fuisse Polytheos, seu qui plures numero Deos agnoverint, quorum alii fuerint *novi*, *veteres* alii *barbari greci*, *romani*, *peregrini*, *captivi*, *adoptivi*, *proprii*, *communes*, *masculi*, *feminae*, *rustici*, *urbani*, *nautici*, *militares*, quin et *ignoti*, monumenta historica non minus profana quam sacra, tum idola, quae adhuc visuntur, passim testantur. Dubito tamen, quin hic error nonnisi indoctos plebejosque homines, eosque non omnino omnes imbuerit. Nam plerique, uti ex dicendis constabit, *Monotheismum* seu unitatem Dei professi sunt vel iis ipsis temporibus, quibus Idololatria fere ubique gentium vigebat. Non defuerunt ex Christianis, inter quos Ademes, Carystius, Peraticus Euphrates.

tes, Severitarum sive Theodosianorum quarta et quinta Secta, aliique, qui tres esse Deos, unde *Tritheitae* vel etiam *Trinitarii* dicti sunt, asserere non vererentur. Alii postremo, inter quos Manichaei et de quibus postea, duos tantum Deos; summae bonum alterum, alterum vero summe malum, unde *Dualistæ* sunt appellati, sibi confinxerunt. His omnibus ceteri sive Philosophi sive Theologi adversantur, quorum judicio unicum tantum in natura existit supremum Numen,

PROPOSITIO.

Deus non est nisi unus.

92. *Pr.* 1. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, uti commune verissimumque fert proloquium, ne scilicet aliquid sine ulla omnino ratione sufficiente adstruatur. Porro nulla est adstruendi plures Deos necessitas. Nam etiam unus, si est Deus, est undequaque infinitus, nihilque perfectionis, sapientiae, potentiae, virtutisque eidem deest, ut omnia, quae sunt atque esse possunt, et existant et agant et regantur et conserventur. Quorsum igitur, si unicus plane sufficit Deorum multitudo?

2. Quid si haec ipsa Deorum multitudo prorsus repugnet? Fingamus, duos esse; nam quod de duobus dicimus, de pluribus quoque eodem jure dictum sit et intelligatur. Itaque vel Dii illi a se invicem differunt, vel non. Si differunt; certe differentia haec vel ex omnium attributorum, vel saltem ex alicujus, vel denique ex affectionum sive modificationum accidentalium diversitate procederet. Atqui haec omnia et singula plane repugnant. Primum quidem cum enim Dei natura omnino postulet, ut ipse *a se* existat (§. 4.); Dii illi quoad hoc saltem attributum inter se conveniant necesse est, ut sint ac jure dici possint Dii. Tum si attributis, quæ unum Deum constituunt, alter caruerit; profecto saltem hic alter nullimode esset Deus; nihil enim haberet eorum, quæ divinam asserti Dei naturam constituerent. Repugnat quoque alterum: nam si unus Deus diversum aliquod attributum habuerit, profecto alter Deus eodem careret. At quolibet Dei attributum est infinita perfectio: igitur hic alter Deus infinita aliqua perfectione destitueretur, atque ideo non esset Deus: Deus enim, uti dicemus postea, esse debet infinite seu undequaque perfectus. Repugnat tandem postremum: nam Deus, qui aliqua careret perfectione accidentali, infinita careret perfectione, quidquid enim in Deo est, infini-

tum

tum est. Esset igitur aliquo saltem modo imperfectus. Tum ille qui laudatam accidentalem perfectionem prae alio complecteretur, esset absolute mutabilis: quippe eamdem habere et non habere, seu esse aliter ac est, aeque posset; quod autem esse potest aliter ac est, *absolute mutabile* dicitur (*Ontol.* §. 47.), atque ideo etiam *contingens* (*ibid.* §. 41. 48.). At Deus esse nequit nisi absolute immutabilis et necessarius. Itaque neuter esset Deus: non prior, cum esset aliqua saltem ratione imperfectus; non alter, cum absolute mutabilis esset et contingens: adeoque nullus omnino Deus existeret. Superest ergo, ut asserant Adversarii, duos illos Deos non differre a se invicem, seu nihil habere diversi, sed quod ad plane omnia mirum in modum inter se convenire. Bene habet. Verum illud praeterea quaerimus, num Dii illi saltem numero distinguantur, necne? Si hoc alterum; ergo non duo, sed unus tantum est Deus: neque enim ea esse possunt duo, quae nullimode distincta inter se sunt, sed quorum unum est prorsus alterum. Igitur distinguuntur numero. At distinctio numerica omnino postulat, ut ea omnia quae uni conveniunt, sint ipsi propria, non alteri communia, praesertim vero illud, per quod unum non est alterum seu per quod unumquodque est *unum, individuum, et singulare* (§. 78.): secus enim quoad plane omnia inter se convenirent, unum esset alterum, neque unum ab altero distingueretur. Quare unus Deus quamvis prorsus similia in se haberet iis, quae alter Deus habet, attamen iis numero perfectionibus ipsisque infinitis quas habet hic alter, careret. Hoc idem de altero hoc Deo dicendum est. Sed Deus, qui caret infinitis perfectionibus, Deus non esset. Igitur neuter esset Deus. Rursus: vel id, per quod unus Deus non est alter, est perfectio, vel non. Hoc alterum esse non potest: quidquid enim in Deo est, perfectio et quidem infinita sit oportet. At si perfectio est; ergo alter Deus perfectione eaque infinita careret, qua alter donaretur, et vicissim, proindeque uterque esset imperfectus, perfectus neuter, neuter Deus. Quae cum ita sint, merito inquiebat Tertullianus (a): *Deus, si non unus est, non est.*

3. Vel plures Dii possibiles sunt, vel non. Si hoc Alterum; conclamata est Polytheorum sententia. Sin autem primum;

(a) *Lib. 1. contra Marcionem cap. 5.*

mum illud; consequeretur, infinitos Deos reapse existere: si enim duo possibiles sunt, cur non quatuor, non decem, non infiniti? Jam vero cum Deus sit ens absoluta necessitate existens ac perfectissimum, nequit esse possibilis, quin simul existat. Ut itaque possibiles essent Dii infiniti, ita quoque infiniti Dii re ipsa existerent; quod et ridiculum est et absurdissimum. Deus igitur non est nisi unus. *Q. E. P.*

Satisfit Polytheorum objectionibus.

93. *Ob.* Si unus Deus est possibilis, cur non alius, aliique eidem plane similes? At si possibiles sunt, jam existunt, cum esse debeant infinite perfecti, aliunde vero existentia inter perfectiones adnumeranda procul dubio sit.

2. Tres divinae Personae realiter inter se distinctae, quarum unaquaeque, cum infinita sit, est quoque Deus, non modo possibiles sunt, sed etiam reapse existunt. Ita Tritheitæ.

3. Plura entia infinite perfecta sunt uno meliora; atqui in divinis admitti debet, quod melius fuerit.

4. Communis omnium hominum in re aliqua consensio est perspicuus veritatis character atque indicium; sed omnes homines existere plures Deos, olim consentiebant.

5. Prima hominum Religio fuit Polytheismus, inquit David Hume (*a*), et Mirabaud (*b*); sed prima hominum Religio a Deo ipso derivanda est, et esse debet verissima.

6. Oracula, quae priscis temporibus effundebantur, Deorum multitudinem manifeste probant. Ita Celsus apud Originem (*c*). His accedunt prodigia, quae tunc temporis non semel fiebant.

7. Sacra ipsa Scriptura plures Deos adstruit apertissime: legitur enim (*d*): *Deus stetit in Synagoga Deorum... Ego dixi, dii estis*. Neque vero de hominibus aliqua speciali praerogativa dignitateque a Deo exornatis sermo hoc loci est: eo siquidem testimonio usus est Christus (*e*), ut sui ipsius divinitatem Judaeis ostenderet, probaretque, se non fuisse blasphemum ex quo se *Deum* appellaverit. Quare vel ii, de quibus in laudato testimonio, sunt veri nominis Dii, vel

Chri-

(*a*) *Hist. naturel. de la Rélig. n.* 1.

(*b*) *System. de la nat. part.* 2. *chap.* 1. *et* 2.

(*c*) *Contra Celsum lib.* 7. *n.* 3.

(*d*) *Ps.* 81. *v.* 1. *et* 6.

(*e*) Jo. *cap.* 10. *v.* 34.

Christus verus Deus non est. Non equidem hoc alterum: ergo primum illud. Pluries etiam in veteri Testamento phrases adhibentur, velut *faciamus descendamus videamus*, quae cum plurali efferantur numero, et aliunde Deum loquentem exprimant, Deorum multitudinem innuere videntur. Postremo Apostolus, *siquidem* inquit (a), *sunt Dii multi, et Domini multi*.

94. ℟. *ad* 1. Cur plures Dii non sint possibiles; satis superque ex iis, quae antea dicebamus (§. 92. *n.* 2.), eluceet. Tum si possibiles essent, existerent quoque, et quidem infiniti (*ibid. n.* 3.); quod nemo vel Paganorum unquam ausus est affirmare.

95. ℟. *ad* 2. Quamvis tres Divinae Personae infinitae sint, infinitamque naturam habeant, non tamen tres Dii sunt: quandoquidem una tantum est divinitas, essentia una, atque una natura tribus ipsis Personis aeque communis. Ceterum hoc Mysterium ad revelatam Religionem pertinet, non ad naturalem Theologiam, quam ipsi hoc loci versamus. (*)

96. ℟. *ad* 3. Plura entia infinite perfecta seu Dii absolute repugnant (§. 92. *n.* 2.). Non itaque sunt nisi quid *absolute impossibile* seu *absolutum nihil* (*Ontol.* §. 25.). At nihili absoluti nullae sunt dotes, affectiones nullae, nullae proprietates (*ibid.* §. 14), ideoque ne ulla quidem bonitas. Falsum est igitur, plures Deos esse unico Deo meliores. Sed demus: ergo id, quod omnes illos Deos aut *formaliter* aut *eminenter* aut demum *virtualiter* complecteretur, esset unoquoque Deo singillatim accepto melius perfectiusque. Atqui hoc ipso vel nemo esset Deus, si nempe nullus alios omnes Deos laudata ratione in se contineret; vel unicus tantum esset, ille nempe, qui alios omnes uno vel altero modo complecteretur siquidem Dei nomine intelligitur ens perfectissimum, quo scilicet melius perfectiusque neque est neque concipi potest. Quocumque igitur se vertant Polythei, caussa excidant sua necesse est.

97. ℟. *ad* 4. Falsum est, omnes homines in id ullo unquam tempore consensisse, ut inanium Deorum multitudinem pro-

---

(a) 1. *ad Corinth. cap.* 8. *v.* 5.

(*) *Consulatur prae ceteris Honoratus Tournely* (Praelect. theolog. tom. 1. de Deo q. 1. art. 4.), *qui Tritheitarum argumenta omnia acute expendit solvitque*.

profiterentur . Aliquid hac super re superius indicavimus (§. 42. 54. 55.). Hoc loci operae pretium est uberiori doctrina ostendere, vel illos ipsos, qui Idololatrae erant, nonnisi unum Deum summum, qui tantum est verus Deus, concessisse. Mittimus Haebreos; qui quamvis identidem in Idololatriam; sed non omnes defluxerint; attamen nisi unum Deum non coluisse dici universim possunt ac debent. Caldaei *unicum rerum omnium principium a se existens, atque bonitatis et sapientiae plenum* agnoscebant, ex Stanlejo (a), et ex Beroso. Phoenicum Cosmogonia cum illa Mosis congruebat, ex Sanchoniathone. Ægyptii unum Deum, eumque summum ac principem Diis ceteris praeferebant, ex Plutarcho (b), et Jamblyco. Ætiopes Deum putabant immortalem, rerumque omnium caussam, ex Strabone, Eusebio, et Toma Hyde. Persae doctrinam sequebantur Zoroastri ipsorum Legislatoris, qui Deum *ens* esse ait *primum; immortale, sine socio aut aequali*, ex Eusebio (c), et ex Pocockio. Graeci unum esse Deum Universi conditorem, et natura omnes superantem putabant, ex S. Cyrillo (d). Romani quoque, penes quos celebris est *Jupiter Optimus Maximus*, cui supremum tum in homines, tum in alios Deos, resque omnes jus atque imperium adjudicabatur. Merito igitur inquit (e) Maximus Tyrius: *in hac tanta* (quoad res alias) *pugna, contentione, atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis. Deum esse unum, regem omnium et patrem; huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sint, et quasi in imperio collegae. In eo Graecus cum Barbaro, Mediterraneus cum Insulano, sapiens consentit cum stulto.* Recentes quoque Indi (f), Sinenses (g), Japones (h), Persae (i), Huttentorti (k), Canadenses

(a) *Hist. Philos. orientalis.*
(b) *De Iside et Osiride.* (c) *Præp. euang. lib.* 1.
(d) *Lib.* 1. *contra Julianum.* (e) *Diss.* 1.
(f) *Banier, Borros, Sousa, Lettres edificantes.*
(g) *Du-Halde Hist. de la Chine t.* 3.
(h) *Charleovix. Hist. du Japon t.* 1.
(i) *Pocockius Relig. veter. Persar.*
(k) *Kolb Deus Huttentotois.*

denses (*a*), Americani (*b*), verbo, omnes (*c*) unum Deum supremum omnium agnoscunt. Quid porro de Philosophis ac de Poetis dicam? Ad Poetas quod attinet, Sophocles ex Graecis vel in ipso Atheniensi theatro cecinit (*d*);

Unus profecto est; unus est tantum Deus.

Parmenides (*e*):

Est is et ingenitus, nec in hunc unquam cadit ullus
Interitus, totusque, unigena, firmus, et ortus
Expers......

Xenophanes apud Clementem Alexandrinum (*f*) *maximus in genere, et Divum, atque hominum Deus unus*. Mittimus Orpheum. Æschylum, Euripidem, Aristophanem, Menandrum Hesiodum, et Homerum, quamvis hi duo posteriores Jovem Maximum mille fabulis sceleribusque conspurcaverint. Horatius ex Latinis ita canit (*g*):

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristitia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Horatio consentiunt Valerius Soranus, Plautus, Virgilius, et Ovidius. Hoc idem senserunt celebriores quique Philosophi, Zeno Eleates, Aristotiles, Plato, Socrates, Anthistenes, Plutarchus, Tullius, Macrobius, Seneca, tum Secta jonica et itelica. Quod si quum de Diis publice dicerent, Deorum multitudinem agnovisse videantur, ita ea de caussa locuti sunt, vel quod superstitiosam plebem pertimescerent (*h*). Vel ut per similitudines et exempla aliquid de divinitate vulgaribus hominum sensibus exhiberent, quemadmodum putat Macrobius (*i*): divina siquidem natura vulgo non dignoscebatur, neque tam facile concipi poterat; unde Plato *parentem*, inquit (*k*), *hujus universitatis indicare in vulgus nefas*.

(*a*) *Charleovix Hist. de la nouv. Fr. Moeurs des Sauv.*
(*b*) *Acosta Hist. nat. de las Indias, aliique.*
(*c*) *Banier la relig. de touts les peuples.*
(*d*) *Eusebius Præp. evang. lib. 13. cap. 13.*
(*e*) *In Sophista Platonis.*
(*f*) *Lib. 5. Strom.* (*g*) *Lib. 3. Ode 4.*
(*h*) *S. Augustinus lib. de vera Relig. cap. 2.*
(*i*) *De somn. Scip. lib. 1. cap. 2.*
(*k*) *In Timaeo cap. 2.*

fas. Vel ut plures supremi Numinis ministros, superiores quidem hominibus, sed Deo inferiores, eique subjectos designarent, quemadmodum innuunt Porphyrius (*a*), Apulejus (*b*), Augustinus (*c*), et Christianis respondebant Gentiles apud Orosium (*d*), Vel denique ut unius summique Dei *virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis* invocarent significarentque, uti Maximus Madaurensis ex juniorum Platonicorum Schola suos exscusabat ad S. Augustinum scribens (*e*), atque ante ipsum Seneca: *quoties voles*, inquit (*f*). *tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes ejus esse possunt, quot munera, Hunc et Liberum patrem, et Herculem, et Mercurium nostri putant . . . Omnia ejusdem Dei nomina sunt varie utentis sua potestate*. Similia docet Macrobius (*g*). Universalem hanc de uno Deo apud Gentiles consensionem adeo probavit vel ipse Faustus Manichaeus, ut exprobraret Augustino, Chrstianos ab Ethnicis hoc dogma sumpsisse (*h*). Itaque tantum abest, quod ex opinione Gentilium inferri aliquid possit, quod Dei unitatem evertat, ut potius sententia nostra mirum in modum ex ipsa firmetur.

98. ℟. *ad* 5. Mentiuntur Mirabaud, ac David Hume, dum primam hominum Religionem, Polytheismum fuisse, aliis propinare non verentur. Ipsam fuisse Monotheismum, docet Moses, omnium Historiographorum antiquissimus, quum scribit de Religione Abel et Cain (*i*), Henoc (*k*), Noe (*l*), Melchisedech Regis Salem (*m*), Abimelech Regis Gerarae (*n*), et Jetro Madianitae (*o*). Quamvis porro quum invectus fuerat Polytheismus, superstitiosa quorumdam ac maxime popelli Religio plures Deos spectaret, attamen cum unius supremi

(*a*) *De abstinentia lib.* 2.
(*b*) *De Deo Socratis*.
(*c*) *Lib.* 4. *de Civit. Dei cap.* 11.
(*d*) *Hist. lib.* 6. *cap.* 1.
(*e*) *Epist. inter augustinianas* 16. *olim* 43.
(*f*) *Lib.* 4. *de beneficiis*,
(*g*) *Lib.* 1. *Saturn. cap.* 17.
(*h*) *S. Augustinus lib.* 20. *contra Faustum cap.* 4.
(*i*) *Genes. cap.* 4.
(*k*) *Ibid. cap.* 5.
(*l*) *Ibid. cap.* 8.
(*m*) *Ibid. cap.* 14.
(*n*) *Ibid. cap.* 20.
(*o*) *Exodi cap.* 2.

premi maximique Nominis cognitio penes hominum plerosque constanter viguerit (§. 97.); putandum est, nullo unquam tempore etiam apud Gentiles ubique cessasse in unum ipsum Numen Religionem. Summo Jovi sacrificia libasse Romanos, comperta res est. Fortasse etiam Altare, quod Athenis *ignoto Deo* erat sacrum, ad cultum in verum Deum inserviebat. Ceterum nonnulli ex Philosophis ex quo putassent, summum Deum esse debere beatissimum semperque beneficum, sibi in animum falso induxerunt, ipsum nihil plane res nostras curare, sed easdem Geniis Diisque minoribus in gubernationem tradidisse; unde, uti constare videtur ex Porphyrio (*a*), et Lactantio (*b*), his potius quam Deo summo sacrificia libabant. Fieri etiam potuit, ut ea de caussa non tam frequenter neque ubique verum Deum, quem tamen agnoscebant, sacrificiis colerent, quod cum plures hujus veri Numinis naturam ignorassent, ignorarent quoque, quo cultu ipsum venerarentur. Id innuisse videtur Macrobius, quum ait (*c*): *ideo ut nullum ei* (summo Deo) *simulacrum cum Diis aliis constitueretur, finxit antiquitas, quia Summus Deus .... supra naturam* est.

99. Neque mirum, si Gentiles appellati fuerint *Polythei*, aut Apostolis ceterisque Christianis obstiterint. Ad primum enim quod pertinet, fieri sane potuit, ut aliqui sive ignorantia, sive etiam praeconcepta opinione praejudiciisque ducti plures Deos tamquam veros agnovissent, vel saltem veri Dei attributa ac munia discerpsissent velut in partes, quas ceu totidem distinctos Deos sibi confingebant. Tum in eo maxime detinebantur errore, ut cultum, qui uni Deo debetur, inanimis rebus, hominibus quoque ac brutis tribuerent, qui propterea si non opinione sententiaque, opere saltem ipso erant ac dici poterant *Polythei*. Postremo Apostoli et Patres ea praesertim de caussa invecti in Gentiles sunt, quod hi eo impietatis processissent, ut tamquam Deos colerent, quos noverant fuisse iniquissimos; quo quidem fiebat, ut Deorum exemplo in eadem scelera et ipsi ruerent, vel saltem illa non, uti par erat, exhorrescerent ac detestarentur.

Ad

(*a*) *De abstin. lib.* 2. *n.* 34. 37.

(*b*) *De ira Dei cap.* 11.

(*c*) *De somn. Scip. lib.* 1. *cap.* 2.

Ad alterum quod attinet, praeterquamquod aliqui fortasse licet paucissimi veros Deos esse reapse plures arbitrabantur, aliis etiam de causis obsistere poterant Apostolis, quamvis quod ad summi Dei unitatem prorsus consensissent; alii nempe velut idolorum Sacerdotes, quod sublato Deorum cultu, etiam emolumenta obtentasque dignitates amittere cogerentur. Alii, quod Deos, quos hactenus utcumque coluerant, spernere deberent. Alii, quod una cum Diis, illi quoque doctrinae consuetudini traditioni regionique, quam a majoribus suis acceperant, oportuisset penitus valedicere. Alii demum, quod christianae Religionis praecepta nimium voluptatibus vitiisque, quibus antea indulgebant liberius, adversarentur. Quamobrem nihil est, quod communem constantemque omnium fere hominum de unitate summi Dei consensionem vel minimum infirmet.

100. ℟. *ad* 6. Oracula, quae in Polyteismi confirmationem adducuntur, vel Sacerdotum, quorum intererat plurimum plebejos homines in falsa religione detinere, impostura fuerunt, uti fieri saltem plerumque solebat; vel nonnisi a Daemonibus effundebantur; unde non veritatis, sed falsitatis manifestae argumento sunt validissimo. Prodigia quoque vel non fuerunt nisi figmenta vel ludificationes: vel res mere naturales hominum impostura adhibitae, sed quae tamen imperitis ignarisque prodigia apparerent; vel denique praestigia Daemonum, *qui*, ut inquit Tertullianus, *cum nocere desinunt, sanare videntur*. Quod si quaedam reapse fuerunt vera proprieque dicta apud Paganos miracula, ea non falsi inanesque Dii, sed verus Deus, non tamen in Polytheismi confirmationem patravit.

101. ℟. *ad* 7. Sacra Scriptura unum tantum esse verum Deum, ubique clamitat, pluresque inanes Deos passim irridet. Ex veteri Testamento, *videte*, inquit verus Deus (a), *quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me*. Ex novo: *nullus*, ait Apostolus (b), *est Deus, nisi unus*. Mittimus cetera. Psalmo 81. Deus manifeste alloquitur Judices, qui non natura, sed ratione acceptae potestatis auctoritatisque judicandi *Dii* appellantur. Nam et ipsi judicandi a Deo sunt *in medio autem Deos dijudicat* Deus; suntque mori-

(a) *Deuter. cap.* 32. *v.* 39.
(b) 1. *Corinth, cap.* 8. *v.* 4.

morituri: *vos autem sicut homines moriemini*, & *sicut unus de principibus cadetis*.

102. Christus porro objecto Psalmi testimonio: *dixi, Dii estis*, non ut divinitatem suam ostenderet, usus est: eam siquidem antea ex operibus, quae faciebat, directe demonstraverat; bene vero ut repelleret Judaeorum calumniam, qui ipsum de blasphemiae crimine ex eo accusabant, quod sibi *Dei* nomen vindicasset, atque ita argumentatur: *Si* Scriptura *illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est . . . quem Pater santificavit, et misit in Mundum vos dicitis, quia blasphemat?* Quare neque Christus verus Deus non est, neque sunt veri Dii, quos *Deos* appellat sacra Scriptura.

103. Apostolus quum *Deos multos* esse ait, errorem Gentilium innuit, non probat, cum Deos illos immediate excludat inquiens: *nobis tamen unus Deus*.

104. Scripturae quum Deum plurali numero loquentem inducunt, non Deorum multitudinem, sed vel formulam dignitatis exprimunt, uti moris est apud Principes; vel divinarum Personarum Trinitatem significant.

QUÆSTIO IV.

Utrum praeter Principium summe bonum bonorumque caussam, alterum quoque summe malum et caussa malorum existat?

105. *Def. Deus* sive *Principium summe malum* esset illud *a se* existens, quod in seipso nihil boni haberet; vel saltem boni nihil, sed tantum quidquid mali est extra se operaretur.

106. *Schol.* Triplex mali species distingui cum Leibnitio a Philosophis solet, *metaphysicum*, *physicum*, et *morale*, quorum prius in deficientia a summa infinita perfectione; alterum in deficientia a physicae naturae corporis animique constitutione, veluti tum animi tum corporis *dolores et aegritudines*, postremum denique in deficientia a morali rectitudine sive a debita cum morum legibus conformatione, brevius, in legum transgressione positum est, velut *peccatum*. Hoc loci non spectatur actio physica, quae in peccatis, ut ajunt, *commissionis* fit: ipsa namque est per se bona.

107. *Corol.* Cujusvis generis malum, si intima ejus natura consideretur, non est nisi boni privatio, negatio, carentia, atque ideo per se seu formaliter acceptum non est nisi *nihil* (*Ontol.* §. 10.).

Sensus quaestionis.

108. Deum sive Principium summe bonum existere, ad praesens institutum quod pertinet, in confesso est. An autem existat quoque alter Deus sive Principium summe malum, quod sit omnium malorum caussa, ad examen revocamus.

Auctorum placita.

109. Manes Persa, ejusque sequaces, qui propterea *Manichaei* appellati sunt, ut bonorum malorumque, quae sunt in Mundo, originem explicarent, duo asseruerunt suprema aequalia aeterna increata atque distincta Numina, quorum unum sit summe bonum bonorumque omnium, tum bonae animae humanae caussa authorque Testamenti novi; alterum vero summe malum, caussaque omnium malorum, tum malae ejusdem hominis animae (*Psycol.* §. 250.), et author veteris Testamenti. Haec duo summa principia sicuti natura sibi invicem opponuntur, veluti lux et tenebrae, ita quoque sive quoad physicum sive quoad moralem Mundum contraria sunt ac perpetuo pugnant. Bonum velle non potest neque efficere nisi bona, malum vero nisi mala. Turpissimus hic error plurimum, opinor, ab eo distat, qui Zoroastro Persarum Doctori adscribitur. Is enim unum tantum esse verum Deum *sine socio aut aequali*, qui *Mithra* sive *Zarva* appellatur, docuisse fertur (§. 97.), sed tamen duos inferiores neque proinde summos et increotos Deos *Oromasden et Arimanium* genuisse, bonum illum, hunc malum, qui et perpetuo secum invicem pugnarent, et bonorum, malorumque mixtionem inducerent. Ex hac fabula errorem suum fortasse desumpsit Manes. Ceterum idem ac Manichaei senserunt Gnostici, Appellitae, aliique haeretici, et nunc temporis sentiunt Caraibae Antillarum incolae (§. 43.). Manichaeorum caussam totis viribus stylique amoenitate pluribi sui Dictionarii (*a*) alibique egit Petrus Bayle, quem tamen egregie refutarunt Samuel Clarkius (*b*), Leibnitius (c) Wolfius (*d*), Bulfingerus (*e*), ceteri.

PRO-

(*a*) *Art.* Manichéens, Pauliciens ec.
(*b*) *Disquis. de origine mali.* (*c*) *Assai de Theod part.* 3.
(*d*) *Theol. nat. part.* 1. *cap.* 3. (*e*) *Dissert. de origine mali.*

PROPOSITIO.

Praeter Principium summe bonum bonorumque caussam , alterum summe malum et caussa malorum non existit .

110. *Pr.* Praeterquamquod duo prima Principia seu Dii omnino repugnant (§. 92. *n.* 2.); operae pretium est , Manichaeos pressius hoc loci urgere . Itaque summe malum Manicheorum Principium spectari vel *absolute* vel *relative* a nobis potest . Priori in sensu acceptum esse in se deberet infinite imperfectum , seu omnibus omnino et quibuslibet perfectionibus penitus carere . Acceptum sensu altero , quamvis interna omni perfectione non careret penitus ejus tamen natura ac voluntas adeo maligna esset , iuvida , malefica , ut non modo nihil procrearet boni , sed etiam imperfectiones ac mala in creaturis a Deo bono factis et vellet et produceret et conservaret . Atqui laudatum Principium neutro in sensu usurpatum existit . Non quidem in primo : nam existentia , vita , potentia , operatio , aliaque id genus , quae Manichaei eidem adjudicant , sunt nullo sane dubio perfectiones , atque eo majores , quo enti excellentiori ac summo conveniunt . Sed neque in altero : nam maleficentia , invidia , odium vel perfectionem in Deo arguunt vel imperfectionem . Si imperfectionem ; ergo imperfectus est Deus malus , nec proinde Deus : Deus enim esse nisi infinite perfectus non potest . Sin autem perfectionem ; ergo Deus bonus , qui iisdem caret , est imperfectus ; nec Deus proinde . Item beneficentia , bonitas , amor in creaturas vel perfectionem vel imperfectionem in eodem Deo arguunt . Si hoc alterum : ergo imperfectus est Deus bonus . Sin autem primum illud ; ergo Deus malus , qui iisdem caret , est imperfectus . Quare vel unus vel alter non est Deus , ideoque vel solus bonus existit vel solus malus . Existere Deum bonum , qui bona omnia condiderit , et superius demonstavimus , et concedunt Manichaei , et hoc loci supponimus (§. 108.) : ergo Deus sive Principium summe malum , malorumque caussa non existit . *Q. E. P.*

111. *Schol.* Petrus Bayle concedit , Manichaeorum Hypothesim *absurdam* esse et *contradictoriam* (*a*) , adeo ut si *a priori* , ut ajunt , impugnetur , nihil absurdius magisque falsum

(*a*) ***Dict. etc. art.*** Pauliciens ***Rem. Et art.*** Manichèens ***Rem. D.***

sum videatur. At vero si *a posteriori*, sive ex malis, quae in Mundo sunt, praesens instituatur disputatio, illorum argumenta, quae ipse acute versat roborat exornatque, tantam habere vim putat, ut extricari nullatenus possint, sintque nodo gordiano plane similia. Quae quidem argumenta eo demum spectant, ut mala praesertim moralia cum summa unius ejusdemque Dei bonitate sapientia potentiaque conciliari haud posse evincant. Quare non abs re putamus, nos quoque *a posteriori*, nempe ex iis, quae sunt, Manichaeos perstringere, dum petimus, ut ea cum illorum Hypothesi utcumque concilient. Itaque si duo sunt prima Principia, quorum sit summe bonum alterum, et alterum summe malum; cur tum bona tum mala in Mundo existunt? Nam vel Deus summe bonus vi naturae suae mala impedire tenetur, vel non. Si hoc alterum; poterit ergo, salva plane ejus bonitate sapientia potentiaque, mala ipsa in creaturis permittere, atque hinc ex malis, quae existunt, inferri haud necesse est Deus summe malus, omniaque Manichaeorum, Baeliique argumenta penitus evanescunt. Sin autem mala impedire tenetur; cur ergo non impedit? An forte quia non vult, quamquam possit? At ubi, quaeso, est summa ejus bonitas? tum nonne contra naturam suam mala ipsa impedire non vellet nec impediret? An quia non potest, quamquam velit? Sed ubi est summa ejus potentia? An denique quia nescit, quamquam et velit et possit? Verum ubi est summa ejus sapientia? uno verbo; ea omnia argumenta in hunc Deum flectimus, quae Manichaei et cum ipsis Baylius adversus unicum Deum eumque summe bonum, quem nos defendimus, ausi sunt tam impudenter urgere. Non potest, inquis eo quod non sinat Deus summe malus, ut mala, quorum ipse est caussa, impediantur. Nae tu verbis ludis. Nam estne potentia summa, quae ea efficere non possit, quae voluerit? Tum quaero, an utriusque potentia aequalis sit, an inaequalis idque constanter, necne? Si inaequalis; ergo qui minus potest, summus non est, ideoque nec Deus, atque idcirco vel solus bonus, vel solus malus existit; quo quidem Manichaeismus plane confoderetur, et aut bonorum aut malorum origo explicari nunquam posset, si Adversarios audiamus. Sin autem aequalis; ergo neuter aut bonum aut malum producere posset, cum uterque eadem vi eademque potentia ac naturae necessitate contraniteretur. Undenam igitur bona

aut

aut mala? quinimmo undenam Mundus ipse, quem nonnisi ex bonis malisque constare videmus? Ita quidem, si Dei boni et mali potentia constanter aequalis sit vel inaequalis. Quod si dixerint Manichaei, unius potentiam potentia alterius modo majorem esse modoque minorem, adeo ut vincat modo ac modo vincatur: explicent nobis, quam ob caussam mutetur? quique mutatio ulla vel minima esse possit in Deo? Tum si unius potentia alternatim mutatur, major aut minor evadit, modo est summa, modoque summa non est; nonne ille, cujus est id genus potentia, Deus nunc esset, nuncque non esset Deus? Quandoquidem Deus nisi omni ex parte summus esse non potest.

112. Sed progrediamur. Novimus, nec diffitetur Baelius, primum hominem fuisse in statu innocentiae omnigenaeque felicitatis procreatum. Undenam porro factum est, ut postea excideret? Vi Dei summe mali, inquis. Sed si postea tantum potuit effecitque Deus malus, cur non paullo antea? cur non statim ab hominis creatione? Homo, inquis, partim bonus partimque malus vel in ipsa sui creatione fuit; bonus quatenus potentiam faciendi bonum, malus autem quatenus potentiam faciendi malum seu peccandi vel tum primum complectebatur. Ita fuerit, quamquam haec potentia seu libertas non mala sed bona censenda in se sit, quemadmodum subinde dicemus. Illud nunc quaero, cur per aliquod tempus sola ejus faciendi bonum potentia in actum exierit? cur Adamum, postquam lapsus est, commisi sceleris poenituerit? cur si Deus bonus Adamum ipsum tot gratiae donis post lapsum cumulavit, ut is resipisceret, ac fieret ex malo bonus, non potuerit aut noluerit, ipsum iis donis ante lapsum exornare, ne laberetur atque ex bono malus evaderet? Nam si Adam póstea resipuit, si poenitentiam egit, si pie si sancte vixit, quamvis priori culpa victus, debilitatus, effectusque ad mala pronior; sane si Deus bonus ea ipsa gratiae dona eidem adhuc innocenti contulisset, is facilius tenaciusque in justitia primum accepta procul dubio perseverasset. An Deus summe malus nimium defatigatus lassusque Deo bono tandem cessit, eique potestatem fecit, ut Adamum ad poenitentiam revocaret? an alter altero vicissim potentior? Tum si Deus bonus tantum potest ac vult, ut unum hominem vel sustentet ne cadat, vel jam casum erigat, erectumque ac virtutibus deditum ad mortem usque constanter

servet, cur hoc idem quoad alios homines omnino omnes aut non potest aut non vult? Haec eadem dicta sint de Deo malo, qui tantum potest ac vult, ut quandoque unum vel alterum hominem in malum agat, damnetque perpetuo.

113. Haec nullo negotio conciliari simul posse dicet Bayle (*a*), si supponamus, duo summa Principia amicum inter se foedus iniisse, adeo ut communi consensione tandem vel etiam ex aeternitate statuerint, quod unumquodque opera sua suaeque naturae consentanea sive bona sive mala in Mundo produceret. Sed ineptissime. Quam enim, quaeso, ob caussam initum fuisset hoc foedus? An quia Deus bonus mala approbat, et malus Deus approbat bona? Sed id esset contra utriusque naturam sive summe bonam sive summe malam. An forte ne alter ab altero in suis operibus deturbaretur? ergo neuter summus, cum alter ab altero penderet. Deinde si amicum hoc foedus initum est, cur Deus bonus omnes vel minimas cujusvis generis culpas constanter vetat? cur perpetuum in ipsas indixit bellum? cur, ne patrarentur, aut ut delerentur jam patratae, tot Sacramenta in nova praesertim Lege instituit? cur etiam eas punit? An forte initi olim foederis tandem poenituit? Tum vel necessario initum hoc foedus fuit vel omnino libere. Si necessario; quamnam ob caussam amicum dixeris? Praeterea quod necessario in Deo fit, ex necessitate naturae fit. Igitur sicuti necessario initum fuisset hoc foedus, ita ex necessitate naturae nequit Deus bonus impedire mala, Deusque malus nequit bona impedire, atque ideo uterque imbecillis sit oportet, cum aliquid utrique desit, per quod eorum potentia sit summa. Sin autem libere; ergo Deus bonus mala impedire non tenetur, quod uti superius adnotavimus (§. 111.), Manichaeismum prorsus evertit. Tum Deus esset liber, quod negant Manichaei. Postremo mala, quae ex libera Dei boni consensione produceret malus Deus, Deo bono adscribi aliqua ratione deberent, qui proinde aliquo saltem modo maleficus esset; et bona, quae ex libera Dei mali consensione produceret bonus Deus, Deo malo ratione aliqua referri deberent accepta, qui idcirco aliquo saltem modo esset beneficus. Quomodo igitur Deus ille esset ac dici posset summe bonus.

(*a*) *Dict. etc. art.* Pauliciens *Rem. E. et art.* Manichéens *Rem. D.*

bonus, hic autem summe malus ? cum enim ille impedire possit bona, hic vero mala, neque tamen ea ex libera voluntate impediat; profecto et ille bonorum, et hic malorum quae habemus, caussa esse, aliqua saltem ratione videretur. Quod si summa Dei bonitas conciliari cum libera malorum permissione simul potest, cur mala ipsa cum summa illius bonitate ita pugnare contendunt Manichaei, ut Dei summe mali existentiam inferri ex ipsis debere tam pervicaciter opinentur ?

114. Denique vel bona et mala, quae in Mundo existunt, sunt aliquid *positivum* vel non, sed quid mere *negativum* seu *nihil*. Si hoc alterum; ergo neque bonus Deus neque Deus malus inferri ex ipsis potest: quod enim positivum non est, sed negatio tantum seu nihil, nulla opus habet effectrice positiva caussa, a qua producatur: quippe immediatus positivae effectricis caussae effectus esse et ipse debet positivus. Potentia producendi nihil, est non potentia: quaevis enim potentia eo essentia sua immediate spectat, non ut *nihil* sed ut *aliquid* efficere possit. Sin autem quidpiam positivi sunt; ergo non est omnipotens Deus bonus, qui producere nequit mala; neque est omnipotens malus Deus, qui nequit bona producere. An tu omnipotentem Deum dixeris, qui aliqua absolute possibilia et positiva producere efficereque non potest ? Si porro neuter est omnipotens, ubinam quaeso vel ullus Deus ? Quod si bona sunt quid positivum, et quid negativum mala, ut esse debent (§. 107.); ex bonis quidem bonus Deus, non autem ex malis Deus malus inferri potest ac debet. Videat ergo Petrus Bayle, quantum etiam argumentatione *a posteriori* absurdissima Manichaeorum Hypothesis perstringatur.

Manichæorum, Bayliique fundamenta convelluntur.

115. *Ob.* 1. Ex bonis, quae sunt, bonus Deus jure infertur: ergo ex malis malus Deus. Nam sicuti bona, ita etiam mala aliquam sui caussam habeant necesse est.

116. ℟. *C. A. N. cons. et parit.* Bona, quae habemus, cum positiva sint et contingentia, esse sine prima effectrice eorumdem caussa non possunt; cumque perfectionem aliquam bonitatemque complectantur, illorum quoque caussa bona sit oportet. Existit ergo Deus bonus, qui bonorum omnium prima fons sit et origo. At mala *formaliter* accepta non sunt nisi boni *privatio*, *negatio*, *carentia*, verbo, *nihil* (§. 107),

quae

quae proinde nullam positivam effectricem caussam postulant, a qua producantur (§. 114.). Ex malis itaque inferri nequit Deus malus; praesertim cum alii quique saniores Philosophi mala ipsa aliunde derivari posse ac debere jure merito contendant.

117. Quod quidem ut perspicue constet, malorum cujuvis generis originem longiori oratione investigamus. Itaque malum *metaphysicum* in finita ipsa rerum creatarum essentia fundatur. Cum enim adeo natura sua finitae sint et contingentes, ut infinitae et absolute necessariae esse non possint necesse omnino est, ut quavis summa infinita perfectione deficiant, in quo quidem laudatum malum consistit (§. 106.). Quare cum creaturae esse sine hoc malo nullatenus queant; vel Deus bonus non potuit ipsas creare, quod absurdum est ac vel ipsi Manichaei aperte inficiantur; vel id genus malum cum illius bonitate non pugnat, neque proinde Deus summe malus inferri ex ipso aut debet aut potest (*).

118. Ad mala physica quod pertinet, non adeo facilis solum est praesens inquisitio. Mittimus quae sive falsa sive absurda sive etiam impia hac super re excogitarunt Ægyptii, Peripatetici, Platonici, Mahummedani, Calviniani, Huttentotti, Tartari, Pantheistae, aliique, de quibus erudite et accurate Cl. Genuensis (a). Eam sententiam, quae et vera esse videtur et expeditior, paucis contrahimus. Itaque nemo Adversariorum negaverit, bona per se esse viventia, praesertim vero homines, atque ad Mundi hujus perfectionem attinere. Ut quid enim hoc Universum, si nullus homo, qui eo frueretur, existeret? Tum ipsa hominis existentia, qui reapse

(a) *Tom.* 5. *Mèt. Dissert.* 4. *quae est* de origine malorum.

(*) *Aliud mali genus in rebus praesertim corporeis spectari a nobis potest, quod malum* naturae *a quibusdam adpellatur. Situm est in creaturarum imperfectione sive* absoluta *sive* relativa. *Prior est deficentia ab ea perfectione, cujus creatura cetoroqui est capax. Altera est deficentia a perfectione, cuius creatura non modo capax est, sed etiam qua res aliae ejusdem generis vel speciei reapse donantur, unde tanta illa ac tam varia in ejusdem generis vel speciei rebus, puta in lapidibus aut in plantis inaequalitas ac dissimilitudo. De his alibi.*

reapse et Mundo utitur et ad Mundum pertinet , hoc idem eventu ipso demonstrat . At materia , ex qua viventium corpora componuntur , cum sectilis sit , mobilis , divisibilis , necesse fuit (si quidem sola natura rerum spectetur) , ut corpora ipsa generali identidem possent , mutari , corrumpi . Nam rerum corporearum natura postulat , ut mutua habeatur exseraturque resistentia , sine qua nulla esset motuum communicatio , generatio nulla , unlla vita , nihil demum eorum , quae hujus Universi harmoniam pulchritudinem ordinem , tamque miram rerum ac phaenomenorum varietatem vicissitudinemque constituunt . Cum his corporibus arctissime copulatae sunt mentes humanae , quae sicut ipsa regunt, ita quoque ab ipsis afficiuntur . Necesse est igitur , ut homines non minus voluptatibus bonisque physicis , quam doloribus aegritudinibus molestiis aliisque physicis malis , quin et morti ipsi subiicerentur . Itaque mala haec physica in ipsa naturae constitutione temperamento ac nexu fundantur . Haec quidem si cum unis Physicis atque iis , qui divinam Revelationem non agnoscunt , disputarem . Quamquam non plane sufficerent . Nam licet quaedam id genus mala physica fuissent naturae animantium consectaria ; attamen , uti animadvertit S. Augustinus (*a*) , cetera , quae etiam inviti patimur , aliunde prorsus suam ducunt originem (*) . Id agnovisse videntur vel ethnici ipsi acutiores Philosophi , Plato , Speusippus , Timaeus Locrensis , et Aristoteles apud Ludovicum Dutens (*b*), prae ceteris vero Tullius . qui, uti scribit S. Augustinus (*c*), *hominem dicit non ut a matre , sed ut a noverca Natura editum in vitam* ; scilicet , ut inquit idem Augustinus (*d*) , *rem vidit , causam nescivit* . Sed omnino perspicuam super hoc veluti aenigmate notitiam nobis suppeditat divina Revelatio . Haec docet, primum hominem in statu adeo felici beatoque conditum primitus fuisse , ut malis quibusque physicis penitus careret . Quare duo extremi status concipiendi sunt , in quorum priori homo minus malorum habuit , quam quod eju-

(*a*) *Lib.* 1. *Operis imperf. cont. Jul. cap.* 54.
(*b*) *Origine delle Scoperte etc. par.* 4. *cap.* 6.
(*c*) *Cont. Jul. lib.* 4. *cap.* 12. (*d*) *Ibid.*
(*) *Hinc effutit Voltaire , quum hominem esse vult , quod esse debet , nempe in eo statu sit , qualem ejus natura sibi vindicaret* (Lettre 25. sur les Pens. 3; de M. Pascal).

ejusdem natura postularet; in altero plus habet malorum, quam quod ipsi homini conveniret. Medius status, qui scilicet in *puris*, ut ajunt, *naturalibus* consisteret, numquam fuit. Haec cum verissima sint, oportet, ut tantorum malorum caussam aliam investigemus: neque enim hunc nodum una naturali ratione omnino solvi posse putamus, utcunque illum solvere conati sint viri quidam doctissimi, quorum finem commendamus, viam non sequimur. Caussa itaque eorum praesertim malorum, quibus praeter naturae nostrae constitutionem subjicimur, malum morale fuit seu culpa, de qua mox dicemus. Illud hoc loci non abs re erit animadvertisse, mala physica, quae naturae humanae consectaria sunt, nihil plane divinae bonitati officere: partim namque postulabat rerum natura, et si ipsa ab innocentiae statu exulaverat bonus Deus, id non ex justitia praestitit sed ex beneficio, quod aequa de caussa revocare potuisset. Partim vero homines sibi compararunt per culpam, suntque ipsius culpae poena. An quia Deus est bonus, justus esse non debuit? Ante culpam tantum bonus, post culpam autem judex et severus. Partim denique ipsi homines propria electione imprudentia inscitiaque sibi consciscunt, utputa dum prodige vivunt, aut invidia sese macerant. Tum nonne mala physica in praesenti statu esse possunt, si iis bene utamur, plurium praestantiumque bonorum caussa efficacissima? Si dolores, si morbos, si famem sitimque non pateremur, aut non timeremus mortem, profecto ne conaremur quidem inquirere remedia, necessitatibus prospicere, vitare pericula; uno verbo, ea, quae ad naturalis vitae commoda incolumitatemque pertinent, nobis comparare. Quantum praeterea id genus mala ad societatis mutuique inter homines nexus conservationem non conferunt? Sed longe majora praestantioraque sunt bona moralia, quae ex malis physicis in hoc eodem Naturae statu in nobis proveniunt: per ipsa namque a vitiis retrhaimur; quis enim infirmus voluptatibus indulget? quis miser amoribus ludisque aut pompis se implicant? exercetur virtus perficiturque; culpae absterguntur; e terrenis rebus avellimur; erigimur ad coelestia, et quasi ad Deum ire compellimur, adeo ut vel illi ipsi, qui non moribus tantum, sed etiam verbis Deum antea negaverant, malis tandem excruciati pressique Deum ipsum non raro faterentur (§. 45.). Haec porro non modo demonstrant, mala Physica

sica divinae bonitati non adversari, sed quin potius eamdem aliqua saltem ratione patefacere, ac commendare, neque proinde necesse esse, ut Deus summe malus ex ipsis inferatur.

119. Superest demum, ut mali moralis seu culpae originem investigemus. Itaque id genus malum in malo metaphysico, in morali lege, ac denique in nativa hominis libertate fundatur. Tria haec accuratius evolvamus Homo suapte natura ac necessario non est nisi finita intelligentia praeditus, quod est malum metaphysicum (§. 106.). Errare igitur potest quoad finis, mediorumque ad finem, et moralium legum cognitionem, indeque a debita cum ipsis legibus conformatione, deflectere. Porro si nulla esset lex moralis, nulla quoque esset culpa proprie accepta, de qua loquimur: haec enim est illius, quae iccirco supponitur, transgressio. Denique nisi transgressio legis sit libera, quaenam culpa esse unquam posset? an tu peccare dixeris, qui ex necessitate operatur? nonne quinimo semper sese gereret rectissime? Nam Naturae, a qua ad operandum adigitur, proindeque etiam ipsius Dei, qui est Naturae auctor, leges omnino atque ad apicem exsequeretur. Haec fortasse nemo negaverit. Sed illud quoque constat, eos, quos commemoravimus, mali moralis fontes cum summa Dei bonitate non pugnare, Non equidem malum metaphysicum (§. 117) cum illud Deus ne auferre quidem possit. Sed neque lex moralis, cum haec divinam potius bonitatem plurimum commendet. Quis enim nesciat, hominem, ex quo errare queat, pluresque ac diversi sint rerum usus, opus habere lege aliqua seu norma. qua in suis moribus ad finem ultimum, perfectamque, quam inhiat, felicitatem tuto dirigeretur? Non denique libertas. Imprimis namque ipsa est dos ex praecipuis, qua homo inter praesentis status bona et mala finita constitutus brutis animantibus praecellit, quaque illa assequi, haec autem vitare ex propria electione potest, Tum sine ipsa nulla esset Religio Deo digna, virtus nulla, nulla sanctitas, aut laus, aut recte facti conscientia, indeque orta purior voluptas, aut praemium; quo quidem fieret, ut homo etiam finem ultimum. qui Deus est, perfectissimamque beatitudinem, qua aeternum fruatur, assequi nullatenus posset. Itaque bona est hominis libertas, neque proinde cum summa Dei bonitate vel minimum pugnat, adeo ut ex malo morali Deum summe malum inferre stultissimum plane sit. Dicta sufficiant,

120. *Inst.* Sicuti ex bonis, quae sunt, Deus bonus, ita ex malis malus Deus jure infertur. *P. S.* Mala etiam culpae esse non possunt, nisi ea Deus velit; sed Deus, qui vult mala culpae, malus sit oportet: ergo etc.

121. ℞. *D. maj.* mala etiam culpae esse non possunt, nisi ea Deus sive *positive*, ut ajunt, sive *permissive* velit, *C.* nisi ea Deus *positive* velit, *N. maj*; *D. min.*, Deus qui *positive* vult mala culpae, malus sit oportet *C.*, qui *permissive* tantum vult mala culpae, *N. min.* et *cons.* Qui *positive* vel in seipso vel in aliis vult mala culpae. profecto malus sit oportet: in priori enim hypothesi improbus esset non sanctus: in altera vero et improbus et malignus, cum et culpam adprobaret, et aliorum malo morali delectaretur. At Deus non hac ratione vult mala culpae, sed tantum *permissive*, quatenus sinit, ut homines, si velint: libertate, quam habent, abutantur, statutasque ab ipso morales leges violent. Quae quidem permissio cum summa Dei bonitate non pugnat, dummodo adsint rationes, cur malum morale permitteret. Adsunt porro; quod sequenti argumentatione conficimus: Deus bonus est summe sapiens summeque prudens; ergo in quavis re duci nisi summa sapientia prudentiaque non potest. Jam vero permittit malum culpae. ergo summa sapientia, prudentia summa, atque ideo summa quoque ratione illud ipsum permittit. Si quaeras quaenam tandem sint rationes, quibus ad mali moralis permissionem ducitur bonus Deus? respondere possumus cum Augustino (*a*) ac sententiarum Magistro (*b*) nos eas ignorare (*), satisque ac super esse, si ipsas haberi certo nobis constet. An nulla alia in Deo sapientissimo est ratio quam quae homuncionibus comperta fuerit? Quot certo scimus esse, quorum tamen rationem modum aut caussam cur sint, omnino ignoramus? Si itaque mala culpae, eorumque permissio commode conciliari cum summa Dei bonitate potest, sane non est necesse, ut malus Deus ex ipsis inferatur.

(*a*) *De Civit. Dei lib.* 20. *cap.* 1. *et alibi* (*b*) *Lib.* 2. *dist.* 33.

(*) *Cur Deus primi hominis, aliorumque peccata permiserit, caussam primariam nos ignorare, ingenue fatemur. Illud tamen ex Scripturis, ipsaque experientia novimus. Deum, supposita hominum culpa ita, sapienter se gessisse ut ex ipsa occassionem sumpserit exercendi justitiam suam, misericordiam, longanimitatem eaque omnia attributa, quae in hominis reparatione mire refulgent. Tum ut ipsa hominum virtus inter tot vitia ac per vitia magis splendesceret, locusque esset humilitati, resipiscentiaeque, dilectioni erga inimicos, in tribulationibus patientiae, fortitudini in adversis, aliisque egregiis facinoribus, quibus tanta laus et commendatio ipsis hominibus accessit. Unde illud Augustini* (Ench. cap. 27.): Deus melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.

122. *Inst.* Mala culpae esse non possunt, nisi ea Deus *positive* velit, vel quamvis ea non velit nisi *permissive*, attamen Deus, qui ea permittit, malus sit oportet *P. S. quoad primam partem, quoad alteram vero subinde*. Deus, cui placent mala culpae, ea *positive* vult; atqui Deo, sine quo mala haec esse non possunt, mala ipsa placent: ergo &c.

123. ℞. *D. maj.*, Deus, cui mala culpae in se inspecta directe placent, ea positive vult, *C.*, cui tantum placet, mala culpae permittere, *N. maj.*; *et D. min.*, Deo, sine quo etc. mala ipsa in se inspecta directe placent, *N.*, placet tantum, haec mala permittere, *C. min. et N. cons.* Placet quidem Deo sapientissimis Deoque bono dignis ducto rationibus (§. 121.), mala etiam culpae permittere: hanc enim permissionem sub ratione boni vult, aliunde vero nemo unquam sub boni ratione vult aliquid, nisi hoc idem ipsi placuerit. At directe non placent Deo mala ipsa culpae in se inspecta; secus enim improbus esset vel etiam malignus.

124. *Inst.* Deo, sine quo mala culpae esse non possunt, mala ipsa in se inspecta directe placent. *P. S.* Atque imprimis observandum cum Baylio est (*a*), quamvis etiam malam hominis actionem a Deo solo esse. Nam 1. mala culpæ certo ipse praenovit; at ea praescire nisi in absoluto praedeterminante ejus decreto et actione non potest. Siquidem non in sola permissione, cum haec nihil libero hominis arbitrio, unde in actum exeat, superaddat; neque in libero ipso arbitrio, cum hoc ad futuram actionem hactenus indifferens per se sit atque indeterminatum. 2. Liberum hominis arbitrium determinare seu modificare sese non potest, sed ejus modificationes omnes a Deo solo proveniunt: homo namque ejusque facultates momentis singulis conservantur a solo Deo, proindeque ab eodem creantur; conservatio enim est continuata creatio, quae nonnisi uni Deo procul dubio convenit. 3. Hominis volitio aut indistincta est ab anima, aut distincta. Si primum; ergo solus Deus sicuti ipsam animam, ita quoque ejusdem volitionem perpetuo creat et conservat. Sin autem alterum; rursus volitio non potest esse nisi a Deo: ipsa enim est ens, illudque ex nihilo tum sui cum subjecti eductum: siquidem volitio non aut ex anima ipsa

(*a*) *Dict. etc. art.* Pauliciens *Rem. F.*

ipsa aut ex alia praeexistente natura componitur. Itaque creatur. Sed creari non potest nisi a solo Deo. Hisce praemissis ex Bayle, ita urgetur difficultas. Deo mala culpae in se inspecta directe placent, si mala ipsa nonnisi ejusdem Dei actione fiant; atqui mala culpæ non fiunt nisi ipsius Dei actione: ergo Deo, sine quo etc.

125. ℟. Hoc Baylii argumentum, si vim ullam haberet, Manichaeismo apertissime adversaretur. Nam eo spectat, ut ostendat, nullam omnino esse in homine indifferentiae libertatem: si enim quaevis, quae in ipso est, actio a solo Deo fit, seu si homo nequit vi sibi propria sese determinare, nulla profecto in eodem esse immo ne concipi quidem potest libertas (*Psychol.* §. 540. *et seq*). At ubi nulla est libertas, nullum quoque est malum morale seu culpa (*ibid.* §. 552. *n.* 2.). Effutiunt ergo Manichaei et cum ipsis Baylius, dum ex malo morali, quod ceteroqui, si cohaerere sibi vellent, nullum inesse in hominibus fateri deberent, Deum summe malum, malorumque moralium supremam caussam deducunt: quis enim, nisi omnino plumbeus sit, ex effectu non existente existentem caussam intulerit? Id plane sufficeret, ut os falsa et iniqua loquentium penitus obstruatur. Ad singula tamen, quae objiciuntur, directe respondemus.

126. *Ad* 1. Miror, Baylium visum ceteroqui acutum adeo pessime argumentari. At id usu venit, ubi causa pessima patrocinanda suscipiatur. Quaerimus itaque, num Deus bonus futuras malas hominum actiones ex aeternitate praenoverit? Si negat; ergo Deus bonus vel successu temporis, prout nempe malae illae actiones reapse fiunt, vel nunquam illas ipsas cognoscit. Si nunquam; ergo nunquam est summe sapiens. Si successu temporis; ergo scit postea, quod antea ignorabat; ergo non fuit perpetuo sapientissimus; ergo esset plane mutabilis. Accedit eodem, quod in aeternitate neque *antea* habetur neque *postea*, sed ipsa non est nisi unicum atque indivisibile *praesens*. Quapropter Deus bonus vel aeternus non est; vel malas hominum actiones, quas *futuras* dicimus, nunquam cognoscere poterit; vel semper eas novit (*). Non equidem priora illa; sunt enim absurdissima. At si Deus

(*) *Haec eadem dicta sint de Deo malo quoad futuras bonas hominum actiones.*

Deus bonus laudatas actiones semper atque ex aeternitate praenovit; quaerimus, in quonam demum eas praesciverit? Non certe in sola permissione, neque in libero hominum arbitrio, si Baylio credimus. Ergo in absoluto praedeterminante ejusdem decreto et actione: huc enim spectat objectum argumentum (*). Jam vero decretum illud et actio efficit, si ipsum audiamus, ut Deus sit mali culpae suprema caussa. Igitur Deus bonus vel est bonus simul et malus, quod repugnat; vel solus malus existit, quod negant Manichaei, et bonorum originem non adsignaret; vel denique Deus bonus mala culpae praenovit, quin eadem positive velit, aut efficiat, aut eidem directe placeant. Dicta sufficiant: nam inquisitio, in quonam Deus futura praenoscat, et salebrosa est, et ad praesens institutum non pertinet.

127. *Ad* 2. Falsum est, humanam voluntatem non posse sese determinare: secus enim non esset libera, neque ullum morale malum, ex quo argumentum desumunt Manichaei, existeret. Porro volitio est modus, non substantia, atque ideo, uti pluries diximus (*Ontol.* §. 324. 325. et *Psychol.* §. 451. 556.), neque creatione proprie dicta opus habet ut existat, neque conservatione, quae creationi aequiparetur, ut existere perseveret. Satis est divinus concursus, ut volitio a mente ipsa producatur. Ex quo autem Deus actione sua ad volitionem malam concurrat, non sequitur, ipsum esse mali moralis supremam caussam. Duo enim in peccato, ut ajunt, *commissionis*, de quo sermo nunc est, distinguamus oportet, *actionem physicam*, atque ejusdem a debita rectitudine *deficientiam*: illa est bona, atque ad eam concurrit bonus Deus; haec mala est, ac tota in humana ipsa voluntate est posita. Sed de his alibi.

128. *Ad* 3. Hinc facile quoque diluitur, quod postremo loco objiciebat Baylius. Volitio est distincta ab anima; cum tamen non sit substantia sed modus, nulla opus habet creatione

---

(*) *Neque vero dixeris, Deum bonum futuras malas hominum actiones in decretis Dei summe mali praenovisse. Siquidem quisnam decreta haec ipsi indicavit? Si alter ab altero distinguitur; si alter ab altero neque ut existat neque ut decreta edat, dependet; si denique alter alteri contrarius ex necessitate naturae est; profecto intelligi nequit, quomodo alter alterius decreta cognoverit.*

tione aut conservatione, ut aut primum existat, aut perseveret (§. 127.). Quamobrem nihil eorum, quae objiciebantur, Deum esse actione sua mali moralis supremam caussam ostendit.

129. ***Inst. quoad alteram argumenti superius*** (§. 112.) ***objecti partem***. Malignus esset pater, qui filio porrigeret gladium aut etiam permitteret, si eo ipsum filium in sui necem abusurum praevideret, inquit Mirabaud (*a*). Maligna mater, inquit Bayle (*b*), quae filiam interesse sineret perditorum hominum ludis circulisque, quamvis hauc passuram fore pudicitiae suae jacturam certo praenosceret. Malignus magister aut medicus, si ille discipulos literis institueret, etiamsi praevideret, ipsos ob perversam doctrinae suae interpretationem vitiosos ex ejus schola esse discessuros; hic vero si aegroto vinum permitteret, quem praescit sumpturum meracius, statimque periturum, inquit Cotta apud Tullium (*c*), et ex ipso laudatus Baelius (*d*). Ergo etiam malignus Deus, si concedendo hominibus libertatem, qua abusuros esse praenoverat, permisisset, ut ipsi in mala culpae dilaberentur.

130. ℞. Non sane ad rem objectis exemplis utuntur Mirabaud, Petrus Bayle, ac Cotta. Imprimis enim Deus est universalis provisor et caussa, neque proinde debuit communitatem maximo bono, ratione scilicet ac libertate privare, ex quo aliqui eadem abusuri in sui perniciem praeviderentur. At nullo bono communitatem privarent ii, quorum exemplum in argumento producitur, si laudata mala nequaquam permitterent. 2. Nulla Patri, Matri, Magistro, Medico præsto est ratio, cur quantum ad ipsos attinet, permittant mala, quae praescirent; quin immo ex peculiari eorumdem officio et ex justitia illa ipsa pro viribus praepedire tenentur. At in Deo, cur mala etiam culpae sineret, rationes sunt eæque sapientissimae, quamvis quaenam ipsae determinate sint, ignoremus (§. 121.); neque ad eadem praepedienda ullo justitiae jure adstringitur. 3. Deus omnibus concessit medis, ut, si vellent, bona sibi compararent, vitarentque mala, et ex

(*a*) *Systame de la nat. part.* 2. *chap.* 3.
(*b*) *Dict. etc. art.* Pauliciens *Rem. E.*
(*c*) *Lib.* 3. *de nat. Deor. cap.* 31.
(*d*) *Loco citato*.

ex malis ipsis bona quaedam novit elicere (*Annot. ad* §. 121.), At pater , mater , ceteri neque media suppeditant filio , filiae , aliis , ut vitent mala , ad quae circumstantiae ipsos pellicerent , neque ex malis , quae fierent . bona elicere aut norunt aut possunt . Denique cum Deus non solum bonitate , sed etiam justitia , quae et ipsa est ejus attributum , homines moderetur ; finem aliquem etiam ex malis , quae tamen nollet , atque ideo et vetat et punit , consequitur . Nulla itaque in Deo apparet maleficentia , nullusque malignus animus , quamvis mala culpae permittat .

131. *Ob.* 2. Plura alia objicit Petrus Bayle , quorum maxima ac praecipua haec sunt . 1. Libertás est per se mala , saltem quatenus peccandi seu faciendi malum potentiam involvit . Illud quippe malum est ac vitiosum , ex quo malum vitiumque procedit (*a*) . Igitur nonnisi a Deo malo est .

2. Sed quamvis libertas esset per se bona , totumque malum ex ejusdem abusu procederet ; cum tamen Deus hunc ipsum abusum infallibiliter praeviderit , debuisset , si summe bonus est , illud ipsum malum praepedire , id enim rerum ordini , Deique ipsius bonitati , sanctitatique congruum videtur . Quod quidem assequutus quamfacile esset , si aut libertatem non concessisset hominibus ; aut si abstulisset jam concessam , praesertim quum Evam multoque magis quum Adamum lapsui proximum videret ; aut si perfectiorem naturam eisdem hominibus largitus fuisset ; aut demum si libertatem , quam dederat , adeo efficacibus gratiae donis cumulasset , ut nullus abusus reapse induceretur . Nam docent vel ipsi catholici , haec dona gratiae vim tantam simul suavitatemque habere , ut homo , illaesa plane ejusdem libertate , in culpam infallibiliter non prolabatur (*b*) .

3. Deus bonus nihil nisi animo benefaciendi concedit hominibus . At non equidem benefaciendi animo eisdem concessisset legem libertatemque , quae sunt ad peccandum media , si certo illos ipsos his donis abusuros in malum praevidebat . Etiam hostis hoc animo , qui malignus esset , beneficia sua inimico libentissime conferret (*c*) .

4. Ce-

(*a*) Bayle *Dict. etc. art.* Pauliciens *Rem. F.*

(*b*) *Id. ibid. Rem. M. et art.* Marcionites *Rem, G.*

(*c*) *Id. ibid. art.* Pauliciens *Rem. E.*

4. Celebre illud Epicuri argumentum, quo usi quoque sunt, Marcion apud Tertullianum, et Celsus apud Origenem, ex Lactantio (*a*) profert saepe laudatus Bayle (*b*). *Deus aut vult tollere mala, et non potest; aut potest, et non vult; aut neque vult, neque potest; aut et vult, et potest. Si vult, et non potest, imbecillis est; quod in Deum non cadit. Si potest, et non vult, invidus; quod aeque alienum a Deo. Si neque vult, neque potest et invidus et imbecillis est; ideoque neque Deus. Si vult, et potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit?* Itaque si mala existunt, dicendum plane, ea nisi alterius Dei summe mali effectus esse non posse. In hac hypothesi omnia conciliantur facili negotio, et bonorum aeque ac malorum origo manifeste perspicitur et explicatur.

132. R). *ad* 1. Libertas est per se bona (§. 119.), naturaeque humanae ac praesenti rerum statui omnino congrua. Homo namque ratione praeditus, ratione quoad electiones suas duci oportebat (*). Porro bona, quibus indiget, et inter quae constitutus est, sunt sive in se sive quoad nostram cognitionem finita. Non itaque innatum ad perfectam felicitatem desiderium plane satiant, atque ideo quoad illorum electionem hominem ipsum omnino liberum relinquunt.

Ad potentiam faciendi malum quod pertinet, ipsa non est principium aliquod positivum, quod menti humanae indiderit Deus, sed naturalis quaedam facultatis finitae *defectibilitas* sive imperfectio. Est quoque necessaria humanae libertatis conditio: si enim nulla esset in homine potentia saltem non faciendi, hoc est omittendi bonum; jam nisi necessario

(*a*) *De ira Dei cap.* 13.

(*b*) *Art.* Manichèens *Rem. D.*

(*) Si homines, *inquit Cotta apud Tullium* (lib. 3. de nat. deor. cap. 31.), rationem bono consilio a Diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque convertunt; non dari illam, quam dari humano generi melius fuit. *Nempe mallent Dei hostes esse bestias jumentaque stupida quam homines; ac Deum debuisse opus inter cetera praestantissimum aut non condere, aut non procreare nisi mancum imperfectumque, et quidem ea de caussa, quod hoc ipsum opus propria malitia abusurum ratione praevidebatur. Quid stultius absurdiusque?*

cessario bonum ipsum non operaretur; atque ideo nulla in eodem homine esset *contradictionis* libertas, virtus nulla, nullumque meritum. Si autem aliquid mali ex occassione libertatis processit, non ipsa est in caussa, praesertim cum in pacatissimo innocentiae statu singularibus exornata fuerit tum naturae tum gratiae donis, potentissimisque excitat ad bonum stimulis, quibus Adamus facillime abstinere a malo se potuisset; bene vero libertatis abusus, qui unis hominibus, non Deo referri debet acceptus. Quare sapientissime Deus libertatem, quae potentiam faciendi malum involvere, homini concessit; et sive ipsam faciendi malum potentiam, sive libertatis abusum spectaveris, nihil est, quod a Deo summe bono alienum vel minimum sit ac jure censeatur.

133. ℟. *ad* 2. Hoc argumento, quod tam pugnaciter urget Baylius, velut triumphum et referre et canere videntur Increduli. Sed hercle nimis praepropere. Deus, inqiunt, libertatis abusum seu mala culpae praenoverat. Ita sane. Ergo, concludunt, si bonus esset, debuisset mala ipsa utcumque praepedire. Falso: nam quid si ostendero, quod si ea praescivit, non modo ea praepedire non debuerit, sed ne potuerit quidem? Quod ut constet, divinam praescientiam paullo diligentius intimiusque perscrutemur. Prescientia itaque est de rebus futuris cognitio. At cognitio necessario supponit rem, de qua cognitio est, sive objectum, circa quod ipsa versetur. Igitur praescientia res tamquam reapse futuras supponit. Jam vero praescientia divina certa omnino est atque infallibilis; quod sane nemo negaverit, et ex infra dicendis perspicuum fiet. Itaque mala culpae a Deo praevisa sunt certo et infallibiliter futura. Hinc porro sequitur, quod si Deus praepedire posset praevisa haec mala, posset quoque efficere, ut eadem ipsa sint reapse futura simul et non reapse futura; futura quidem, cum ejus praescientia mala illa uti reapse futura necessario supponat; non futura, cum Deus, ex hypothesi, ea ipsa praepediret. Atqui vero id plane repugnat. Deus igitur mala culpae, quae praescivit, praepedire neque debuit neque potuit. Manifestius id constat, si divina praescientia proprio in sensu accipiatur; nempe cum Deo nihil sit futurum, sed omnia omnino praesentia eidem sint (*Psychol.* §. 576.); ejus praescientia idem plane est ac de re aliqua actu existente scientia, eamdemque Theologi vocabulo apprime congruo *scientiam visionis* adpellant. Quare si

prae-

praepedire, posset libertatis abusum seu malum, quod futurum praevidit, posset quoque efficere, ut res, quae actu existit actu non existat; quod equidem praestare non potest (*); neque proinde, si mala ab ipso praevisa non impedit, aliquid, quod ordini bonitatique suae ac sanctitati adversetur, sive efficere sive permittere dicendus est. Quid ad haec Bayle? nonne argumenta omnia, quae in divina praescientia innixa sunt, uno veluti ictu omnino praeciduntur? Verum singula distinctius minutiusque extricemus.

134. Falsum est, Deum debuisse mala culpae utcumque praepedire. Cur enim debuit? Malum metaphysicum, moralis lex, ac libertas, in quibus malum morale fundatur (§. 119.), cum summa ipsius Dei bonitate non pugnat (*ibid.*). Si homo eisdem abutitur in sui malum, ipse viderit.

135. Poterat quidem Deus, si absoluta ejusdem potentia spectetur, aut hominibus libertatem non concedere, aut jam concessam ab iisdem auferre; sed noluit tamen, idque sapientissima ratione atque optima. Nam hominis natura praestantia finis, tum rerum ordo harmonia nexus, postremo Dei ipsius bonitas libertatem postulabant. An Deus esse non debuit in fingendis creaturis suis ordinatissimus et beneficus, quia homo malitia sua perversitateque eversurus erat rectissimum ordinem, futurusque ingratus? an debuit universalis provisor rectorque sapientissimus homines privare oculis, quia eorum aliqui eisdem abusuri praevidebantur? Noverint Manichaeismi patroni, Deo, qui omnia propter semetipsum operatus est, quique fine omni se digno nunquam privatur, hominem nihil detrahere, sive is peccet, quod nollet Deus, sive non peccet, quod Deus vellet: dum enim ex uno excidit ordine per peccatum, in alium incidit: *peccator*, inquit S. Thomas (*a*), *qui quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per justitiam punitur*. Amor ordinis, odium in culpam et sanctitas Dei non postulabat quod libertas aut non concederetur, aut tolleretur jam concessa, uti inscite docet

---

(*a*) 1. *part. q.* 19. *art.* 6.

(*) *Neque vero id sive divinam sive humanam libertatem vel minimum laedit: necessitas enim non praepediendi praevisa mala, quae hinc oritur, non* antecedens, *sed* consequens *est, uti in Psychologia praemonuimus* (§. 576 & seqq.).

Petrus Baelius, sed tantum ut ipsa, quod factum fuit, iis muniretur naturae et gratiae donis stimulisque, quibus ad bonum non minus physicum quam morale excitaretur.

136. Poterat etiam Deus si de absoluta ejusdem potentia loquamur, hominem condere, qui esset perfectior. Sed noluit: quis Deum plane liberrimum ad ea, quae meliora in se sunt, compellat? Ceterum praesto ipsi erat ratio, eaque sapientissima, qua hominem, qualis reapse fabricatus ab ipso fuit, procrearet. Denique etiamsi fuisset longe perfectior; cum tamen esse oporteret et finitus et liber, ut et cum natura sua congrueret, et consequeretur praestitutum finem, potentiam peccandi deliquendique semper habuisset. Sane Angeli praestantioris fuerunt naturae; quidam tamen etiam re ipsa turpissimeque peccarunt.

137. Poterat denique idem Deus, si absoluta ejus potentia spectetur, humanam libertatem iis efficacibus gratiae donis cumulare, quibus haec in culpam infallibiliter non laberetur. Verum haec possibilitas probat quidem, esse absolute possibilem alium providentiae ordinem, non autem Deum vi amoris justitiae, aut odii in culpam, bonitatis sanctitatisque suae debuisse hunc ipsum ordinem statuere. In statu innocentiae gratia per se efficax, saltem plurimorum sententia, non requirebatur, ut homo perseveraret, virtutesque excoleret. Habuit, quo culpam declinaret, quo pie quo sancte viveret; quid praeterea sibi a Deo deberi contendit? Lapsus Adami gratiae per se efficacis necessitatem ad summum induxit. Si sufficientia gratiae dona inutilia evasere, id homo abusu libertatis effecit. Quid porro? an divina bonitas eo adigitur, ut uberiora efficacioraque dona concedere ea de caussa debuerit, quod homo abusus fuerit donis jam obtentis, quod Deum ipsum patrem amantissimum contempserit, quod legem violaverit, impietatem foverit, scelestior iniquior pervicaciorque evaserit? Si dona haec concessisset Deus aut concederet, beneficium esset, non debitum; si negaret, justissimum esset sapientissimumque. Vides ergo, quam temeraria ea sint quamque futilia, quibus Baylius Manichaeorum caussae patrocinatur.

138. R. *ad* 3. Quidquid hominibus concessit Deus, animo benefaciendi atque ut ipsi bona sibi compararent, procul dubio concessit. At hostis maligno animo, atque ut mala inimico adveniant, eidem inimico bona sua elargiretur. Tum

Deus est provisor universalis, qui propterea debet legem agendi non ex unius vel alterius hominis, sed ex bono communitatis desumere: bonum autem communitatis legem libertatemque postulabat, unde praesto erat Deo sufficiens ratio ac sapientissima, cur hominibus et legem et libertatem concederet. At hostis nullum, quod rationale sit, motivum habet, quo dona sua inimico, quem iis abusurum praevidet, elargiatur. Vana est itaque nihilque omnino ad rem pertinet instituta paritas.

139. R. *ad* 4. Epicuri argumentum, quo adeo delectatur Petrus Bayle, et cum ipso alii quique Increduli, quamvis prima fronte vim aliquam habere videatur, nos tamen ne hilum quidem ipsum reformidamus. Imprimis namque retorqueri vel in ipsos Adversarios jure merito potest (§. 111.). Sed illud idem accuratius distinctiusque enucleemus. Duplex in Deo distinguenda est potentia, *absoluta* seu *physica*, qua efficere potest quidquid in se non repugnat, sive quidquid est intrinsecus possibile; et *ordinata* seu *moralis*, quae ad ea tantum se se extendit, quae sapientiae suae, justitiae, bonitati, aliisque ceteris attributis sunt consona. Perspicua haec sunt. Ad rem. Deus ne potentia quidem *absoluta* potest tollere malum metaphysicum, cum illud sit creaturarum naturae plane essentiale, ejusque ablatio intrinsecus impossibilis. Neque propterea imbecillis est Deus: non enim ad divinam omnipotentiam ea pertinent, quae sunt pugnantia (*Ontol. Annot. ad* §. 22.). Ad malum physicum et morale quod attinet; potest equidem Deus *absoluta* potentia eadem tollere, sed tamen non vult; quod cum non velit, sapientissime non vult, quamvis cur non velit, nos lateat, sicuti superius quoad malorum permissionem demonstravimus (§. 121.) Hinc porro deducimus, Deum mala illa tollere potentia *ordinata*, quae sapientiae suae non adversetur, non posse. Neque idcirco aut imbecillis est aut invidus. An ipsum imbecillem dixeris, si non possit potentia *ordinata* hominem innocentem velut reum excruciare? Haec impotentia idem omnino est ac *moralis impossibilitas*, quae cum impossibilitate *metaphysica* seu *absoluta* in Deo aequiparatur (*Ontol. Annot. ad* §. 42.). Sed neque est invidus. Si enim repugnat, quod ipse contra sapientiam suam se gerat, repugnat quoque, quod mala tollat, cum uti mox dicebamus, ea tollere non possit, quin suae sapientiae adversetur.

tur. At mala non tollere, quae tolli sine repugnantia absurdoque non possunt, invidia profecto non est. Deinde invidia est tristitia orta ex alterius perfectione, quatenus illam nobis vel amatis evenire peroptamus (*Psychol.* §. 601.). At id genus tristitia cadere in Deum non potest, quemadmodum paullo inferius invicte demonstrabimus.

140. Praecipua extricavimus Manichaeorum argumenta. Ceterea mittimus atque ea potissimum, quae ipsi ex sacris Scripturis desumunt, quaeque in unum collegit, solvitque Cl. Genuensis (*a*). Addimus, totum hujusce disputationis nodum in eo esse, quod rationes, cur mala sinit bonus Deus, non perspiciamus. At nihil mirum, si brevissima mentis nostrae acies spectetur. Temerarium est, quin et impossibile divina haec super consilia uno rationis lumine perspecta habere. Ceterum vel ipsi Manichaei malorum originem extricare perspicue non possunt (§. 111. et seqq.); immo vero nulla prorsus ratione. Nam, Baylio ipso concedente, illorum hypothesis, si *a priori* sive ex suis intrinsecis spectetur, *contradictoria* omnino est, atque impossibilis. Ergo ne est quidem hypothesis, cujus character praecipuus necessariusque esse debet, quod si non vera, saltem absolute possibilis sit. Etenim explicare malorum originem per aliquid, quod absolute repugnat, non explicare est, sed insanire. Hinc plures increduli objectis argumentis non eo spectant, ut stultissimae Manichaeorum caussae, bene vero ut *Deismo*, in quo unius Dei summe boni providentia rejicitur, patrocinentur. Id in caussa fuit, cur nos praesentem disputationem longiori oratione adornavimus, ut nempe saltem plures Deistarum cavillationes ac querimonias vel hoc loci praefocaremus.

SECTIO II.

De divinis attributis.

141. *Def. Divina attributa* ea nobis sunt Dei praedicata sive perfectiones, quae physicam ipsius naturam atque essentiam constituunt (*).

(*a*) *Met. tom. 5. Dissert. 4. quae est de origine malorum.*

(*). *Auctor Libri* de la nature (part. 5.), *Mirabaud* (systeme de la nat. part. 2. chap. 2.), *et Auctor Libri* contagion sacrée ou l'histoire naturelle de la superstition (chap. 1.)

142. *Schol.* Aliquod attributa essentialia inter et proprietates intercedit discrimen: illa enim rei essentiam constituunt; hae vero essentiam ipsam non ingrediuntur, sed tamen necessario ab eadem dimanant (*Log.* §. 43. 58. *Ontol.* §. 82.). Nihilominus cum omnia, quae in Deo sunt, ad physicam ejus essentiam pertineant, idcirco ipsa eodem plane vocabulo *attributa divina* nuncupabimus. Haec porro veluti in plures classes discernuntur. Alia dicuntur *negativa*, velut infinitas immensitas similia, non quod aliquam in Deo negationem significent, bene vero quod ipsa nisi negativis non exprimamus vocabulis, aut nisi per negationem alicujus imperfectionis non concipiamus. Duo itaque, nempe et positivam divinam perfectionem, et cujusvis imperfectionis ab eadem remotionem innuimus. Alia *positiva*, velut misericordia justitia cetera, per quae aliquam perfectionem sine negatione ulla Deo tribuimus. Quae quidem vel *absoluta* sunt, ut ratio, quae concipiuntur sine relatione comparationeve ad res alias; vel *relativa* sive *comparativa*, ceu justitia misericordia beneficentia, quae ad res creatas referuntur. Alia praeterea sunt *inactuosa* sive *quiescentia*, ut simplicitas, quae scilicet nullam actionem in suo conceptu involvunt; quae autem involvunt actionem aliquam, veluti omnipotentia, *actuosa* sive *operatoria* nuncupantur. Alia *physica*, ut aeternitas, ex quibus realis et physica ipsius Dei essentia emergit; et alia *moralia*, quae praeterea Deum in suis operationibus velut dirigunt, nostrisque humanis actionibus praebent normam, ut veracitas justitia sapientia. Alia denique *communicabilia*, quae scilicet aliqua ratione tribui a Deo possunt hominibus, ut *intellectus*, *et voluntas*; *incommunicabilia* vero alia, quae communicari rebus creatis non possunt, ut immensitas. Ne minutiori discrimine ullus

---

(chap. 1.) *contendant*, *nos Deum spectare non posse nisi sub una* primae caussae *seu* Creatoris *ratione*, *Theologosque*, *qui de aliis ejusdem attributis disserunt* antropomorphitas *appellant eo quod*, *inquiunt*, *ex naturae hominis ejusque facultatum consideratione ideam de Divinitate sibi effingant*. *Hinc porro sequitur*, *cultum*, *leges*, *vitia*, *virtutes*, *proemium vel poenam*, *cetera ad Religionem nihil omnino pertinere*. *Sed effutiunt*, *uti ex infra dicendis manifeste constabit*.

ullus detur confusioni locus, divina attributa in *negativa* tantum et *positiva* universim distribuimus.

CAPUT I.

De attributis Dei negativis.

PROPOSITIO I.

Deus est omnino independens.

143. *Pr.* Deus est ens *a se* sive absoluta necessitate existens; tum aliarum omnium rerum primum ac supremum principium (§. 4.). Hujuscemodi porro non esset, si ab alia re vel minimum penderet, uti perspicuum per se est. Est igitur omnino independens. *Q. E. P.*

144. *Schol.* Divinam hanc omnimodam independentiam seu existentiam *a se*, quam Scholastici *aseitatem* adpellant, esse metaphysicam ipsius Dei essentiam, facile concedunt Philosophi plerique ac Theologi. Nam est inseparabilis a Deo; tum primum illud, quod in Deo ipso est; fons quoque et origo aliorum attributorum ac proprietatum essentialium, quae in eodem Deo habentur; postremo Deus per ipsam velut per quid primum ab aliis quibusque rebus essentialiter seu specie diversis distinguitur, quemadmodum ex iis, quae hactenus dicta sunt, et quae dicemus postea, manifeste constabit. At illa sunt realis essentiae characteres (*Ontol.* §. 94. *et seqq.*). *Essentiam*, inquam, *metaphysicam*: nam *physica* hoc loci intelligitur illa, quae ex iis omnibus, quae ad realem Dei naturam pertinent, coalescit.

PROPOSITIO II.

Deus est sibi sufficientissimus.

145. *Pr.* Deus est a quibusvis aliis rebus omnino independens (§. 143.). At si non esset sibi sufficens, ab ente alio pendere deberet vel saltem posset, ut ea, quae ipsi desunt, sibi compararet. Ergo est sibi sufficentissimus. *Q. E. P.*

PROPOSITIO III.

Deus est impassibilis.

146. *Pr.* *Passibile* universim dicitur, quod aliquid ab alio recipit vel recipere potest; quod autem recipit aliquid ab alio vel potest recipere, ab eodem pendet vel pendere potest.

test; neque est sibi sufficintissimum. Cum itaque Deus ab alio nullimode pendeat (§. 143.), sibique sufficientissimus sit (§. 145.); est quoque impassibilis. *Q. E. P.*

147. *Corol.* Quum igitur aliquid *passivi*, puta *amari* aut *timeri*, de Deo pronunciamus, non quidpiam divinae naturae accedere dicimus, sed tantum quamdam relationem plane extrinsecam exprimere in animo nobis est.

PROPOSITIO IV.

Deus est infinitus.

148. *Pr.* Deus existit *a se* (§. 4.). Sed id genus existentia est perfectio infinita: quippe nulla alia, quae in eodem genere melior sit, esse vel concipi unquam potest. Jam vero infinita perfectio nequit nisi enti infinito convenire; secus enim ens, cui illa convenit, infinitum simul esset et finitum; infiinitum quidem, cum infinitam perfectionem in se complecteretur; finitum autem, cum ex hypothesi finitum in se esset. Quod cum repugnet; manifestum est, quod Deus est infinitus. *Q. E. P.*

PROPOSITIO V.

Deus habet omnes possibiles seu infinitas perfectiones.

149. *Pr.* Nulla est ratio sufficiens, cur Deus si unam infinitam perfectionem habet, non habeat et alteram aeque possibilem, atque ita porro in infinitum. Deinde a quonam quaeso limitari in suis perfectionibus aut debet aut potest? Non equidem ab ente alio, cum ipse sit omnino independens (§. 143.), Sed neque a se cum enim sit infinitus (§. 148.) ejus quoque essentia infinita sit oportet: quandoquidem attributum cum essentia, in qua inest vel a quo procedit, concordet necesse est. At infinita essentia sicuti est sufficiens ratio unius attributi infiniti, ita etiam plane sufficit, ut alia omnia attributa, quae perfectiones sint, in se complectatur. Tum nihil certe est, quod seipsum quoad suas perfectiones limitet; quin potius res quaelibet, quantum ex se est, seipsam perficere, si quidem perfici potest, suapte natura conatur. Postremo si Deus aliqua careret possibili perfectione, esse vel saltem concipi posset aliud ens ipso longe melius perfectiusque, quod Deo ipsi possit, quod eidem deest estque possibile, concedere. At in hac hypothesi Deus esset vel concipi ad minus posset ab alio dependens, non sibi sufficientissimus, neque demum impassibilis. Quae cum repugnent (§. 143. 145. 146.); Deus habet omnes possibiles sive infinitas perfectiones. *Q. E. P.*

PROPOSITIO VI.

Quaevis perfectio, quam habet Deus, est infinita.

150. *Pr.* Id ex iis ipsis momentis, quae mox recitavimus (§. 149.), manifeste constat. Scilicet nulla adest sufficiens ratio, cur si una Dei perfectio est infinita, altera, atque ita porro infinita non sit. 2. Nihil est, quod ullam Dei perfectionem coarctare limitibus possit; quin potius infinita ejus essentia postulat, ut unaquaeque ejusdem perfectio sit infinita. Tandem si aliqua Dei perfectio esset finita, concipi sane posset ens aliud Deo perfectius, a quo Deus ipse pendere possit; quo quidem fieret, ut is non esset ab alio omnino independens, non sibi sufficientissimus, non denique impassibilis. Quaevis igitur perfectio, quam habet Deus, est infinita. *Q. E. P.*

151. *Coral.* I. Deus est tum *extensive*, ut ajunt, cum *intensive* infinitus. *Extensive* quidem, quatenus omnes possibiles seu infinitas perfectiones in se complectitur (§. 149.); *intensive* autem, quatenus unaquaeque ipsius Dei perfectio est infinita (§. 150.).

152. *Corol.* II. Deus est undequaque infinitus seu perfectissimus et optimus. Nulla enim perfectio aut perfectionis gradus eidem deest (§. 149. 150.).

153. *Schol.* Omnes quidem perfectiones, sed ratione Deo digna, Deus ipse in se complectitur. Quod ut perspicuum fiat, triplex perfectionum genus cum nonnullis Theologis distinguamus oportet, *simplices*, *simpliciter simplices seu puras*, *et simplices secundum quid* seu *mixtas* vel etiam *impuras*. Priores eae dicuntur, quae aliquam habent cum alia aequali perfectione repugnantiam, adeo ut in uno eodemque supposito esse simul non possint. Hujusmodi sunt divinae relationes personales, puta *paternitas et filiatio* in divinis. Deus si ut *unus* atque essentialiter spectetur, perfectiones simplices *formaliter*, ut ajunt (*Ontol.* §. 265.), in se non continet; formaliter nisi perfectiones illas, quae ad naturae divinae conceptum pertinent. At filiatio non pertinet ad divinae naturae conceptum; natura enim tota in Patre est, in quo tamen non est filatio. Tum secus Deus ut unus ea in se haberet, quae secum invicem pugnant. Verum si Deus ipse ut *trinus* spectetur, easdem formaliter continet: per ipsas enim formaliter constituitur ut trinus, atque a nobis concipitur.

Per-

Perfectiones *simpliciter simplices* dicuntur illae, quae, ut loqui amant scholae, meliores sunt ipsae quam non ipsae, seu quae neque ullam imperfectionem in conceptu suo involvunt, neque majori perfectioni opponuntur, velut *sapientia*. Has Deus formaliter in se continet: secus enim non omnes haberet possibiles perfectiones, aliudque esse et concipi posset ens ipso longe melius perfectiusque.

Denique perfectiones *simplices secundum quid* eae sunt, quae in conceptu suo formali aliquam involvunt imperfectionem, aut majorem perfectionem a subjecto, in quo insunt, excludunt, velut *cognitio ratiocinativa*. Eas non formaliter in se continet Deus: aliter enim cum aliquam imperfectionem necessario involvant, Deus ipse non esset undequaque infinitus ac perfectissimus; sed tantum *eminenter* (*ibid.*), hoc est, nobiliori eminentiorique ratione, sine imperfectione ulla aut limitatione; ac *virtualiter* quatenus ipsas virtute sua in creaturis produxerit. Hoc modo Deus omnes creaturarum vires ac perfectiones in se complectitur. Puta homo res aliquas ratiocinatione cognoscit; at Deus eas ipsas novit unico intuitu et omniscientia sua; quod procul dubio perfectius est atque nobilius.

PROPOSITIO VII.

In Deo nulla est imperfectio.

154. *Pr.* Imperfectio est perfectionis vel saltem ulterioris gradus ipsius perfectionis carentia. At perfectio nulla nullusque ulterior perfectionis gradus in Deo desideratur: habet siquidem omnes omnino possibiles seu infinitas perfectiones, quarum unaquaeque est in se infinita (§. 149. 150.). In Deo itaque nulla est imperfectio. *Q. E. P.*

PROPOSITIO VIII.

Deus est quoddam per essentiam suam summum bonum.

155. *Pr.* Bonitas et perfectio a Philosophis promiscue usurpantur (*Ontol.* §. 109.). Illud igitur esset per essentiam suam summum bonum; quod non ab alio sed a se naturaque sua infinitas perfectiones, quarum unaquaeque infinita sit, haberet. Hujusmodi porro est Deus (§. 149. 150.). Est igitur quoddam per essentiam suam summum bonum. *Q.E.P.*

PROPOSITIO IX.

Deus est sanctissimus.

156. *Pr.* Sanctitas in perfectionibus praesertim moralibus sita est. Ibi igitur est summa sanctitas, ubi omnes habentur

tur morales perfectiones, in quibus nulla omnino insit perfectionis negatio sive imperfectio. Jam vero in Deo sunt perfectiones plane omnes (§. 149.) sine ulla omnino imperfectionis mixtione (§. 154.): ergo in Deo est summa sanctitas, seu Deus est sanctissimus. *Q. E. P.*

PROPOSITIO X.

Deus est nobis incomprehensibilis.

157. *Pr.* Illud *comprehendi* a Theologis dicitur, de quo plenissima habetur cognitio, seu quod cognoscitur eo omni modo, quo cognosci in se potest. Deus porro undequaque infinitus est (§. 152.); nostra autem cognitio non est nec esse potest nisi finita. Cum igitur infinitum inter et finitum nulla adaequata proportio sit ratio nulla; Deus est nobis incomprehensibilis. *Q. E. P.*

PROPOSITIO XI.

Deus est omnino immutabilis.

158. *Pr. Immutabile* dicitur quod aliter ac est, esse non potest (*Ontol.* §. 46.). Hujusmodi porro est Deus: si enim esse posset aliter ac est, jam vel ad meliorem, vel ad deteriorem, vel demum ad aequalem statum posset transire. Non primum neque alterum: secus namque Deus aut antea fuisset imperfectus, aut postea imperfectus redderetur, quorum utrumque prorsus repugnat, cum ipse essentia sua atque ideo necessario sit undequaque infinitus, perfectissimus, optimus (§. 152.), nullaque omnino imperfectio esse in eodem possit (§. 154.). Repugnat quoque postremum. Nam ad aequalem statum transire est amittere perfectionem aliquam, aliamque plane aequalem comparare. Verum 1. nulla est sufficiens ratio, cur Deus unam perdat, ut alteram prorsus aequalem sibi acquirat. 2. Aliqua extra Deum supponeretur possibilis distincta positiva perfectio infinita, quae in amissae locum sufficiatur; infinita, inquam, cum quaevis Dei perfectio infinita sit oporteat (§. 150.). At nihil extra Deum vere proprieque ac positive infinitum esse potest, cum certo certius nonnisi unus sit Deus (§. 92.), cetera vero sint contingentia atque omnino finita. Deus est essentia sua ideoque necessario infinite perfectus (§. 152.) igitur necessario fuit est atque erit quidquid potest esse, nihilque proinde detrahi eidem potest, in cujus locum aliud etiam aequale substituatur. 4. Denique tum quod amittitur tum quod substituitur in amissi locum, nonnisi contingenter divinae

 na-

naturae conveniret: Deus enim in hac hypothesi esset plane indifferens, ut illud potius quam istud haberet. At vero quidquid divinae naturae convenit, necessario eidem convenit, cum ipsa, uti mox dicebamus, necessario sit id quod esse potest. Deus igitur non potest esse aliter ac est, atque ideo est omnino immutabilis. His accedit, immutabilitatem esse perfectionem et quidem puram, quae idcirco in Deo formaliter continetur (§. 153.).

159. Haec universim. Sed rem eamdem, quae maximi momenti est, distinctius enucleemus. Itaque siqua effingi in Deo posset mutatio, haec vel existentiam, vel perfectionem seu, ut ajunt, formam, vel denique operationem spectaret. At nequit Deus quoad existentiam mutari; eam namque non potest de novo accepisse aut amittere. Non quidem accepisse: non enim ab alio, cum sit omnino independens (§. 143.); non a seipso, cum res nulla esse possit suimetipsius caussa (*Ontol.* §. 268.). Sed neque amittere: nam non vi propria, cum unumquodque ens suapte natura ad sui conservationem tendat: Tum nulla inter intrinsecas unius ejusdemque simplicissimi entis vires proprietatesque esse potest pugna: et quamvis esset aliqua, attamen cum vis praevalens adhuc perseveret eo ipso quod praevaleat, perseverare autem nequeat sine ente, cujus est vis; profecto Deus adhuc subsisteret. Denique privatio existentiae esset in Deo maxima ac summa imperfectio, quae eidem Deo prorsus repugnat (§. 154.). Non vi aliena; cum Deus ab alio quovis ente pendere nullatenus possit (§. 143.). Nulla igitur in Deo est nec esse potest quod ad ejus existentiam mutatio.

Sed neque quoad perfectionem; siquidem Deus neque ad meliorem, neque ad deteriorem, neque demum ad aequalem statum transire unquam potest, quemadmodum mox dicebamus (§. 158.).

Non tandem quoad internas ejusdem operationes. Non equidem quoad eas, quae ad intellectum pertinent: aliter enim cognoscere deinceps posset quod antea ignorabat, vel postea ignorare quod prius cognoverat; quorum utrumque aliquam imperfectionem involvit, quae ceteroqui Deo repugnat (§. 154.). Hoc idem dicendum de divinae voluntatis operationibus: si enim posset Deus quoad ipsas mutari, jam vel sine ulla ratione vel ratione aliqua mutaretur. Si primum;

mum; ergo levitas et inconstantia in Deum caderet: sin autem alterum; ergo nova ratio eidem innotesceret, quam antea non habuisset. Utrumque porro est imperfectio. Quae cum ita sint, Deus est omnino immutabilis. *Q. E. P.*

160. *Schol.* Perspicua haec sunt: nihilo tamen minus Stoici apud Origenem (*a*), Deum mutationi alterationique obnoxium traducebant: Vorstius autem et Sociniani quamdam non quidem ratione substantiae naturaeque, sed tantum decretorum mutationem in Deo agnovisse videntur. Non itaque erit abs re, praecipua eorumdem argumenta hoc loci extricasse, praesertim cum Mirabaud (*b*), aliique nostrorum temporum Increduli ex quo, ut putant, conciliari Dei immutabilitas cum ejusdem libertate non possit, argumentum inde desumant, ens plane optimum perfectissimumque, hoc est Deum denegandi.

Solvuntur objectiones.

161. *Ob.* Illud mutari dicitur, quod ex non operante fit operans: ab uno enim ad alium statum transit. At Deus ex non operante factus fuit operans, dum in tempore hunc Mundum conderet ac fieret creator.

2. Alternis quoque vicibus modo justum hominem diligit, modoque eumdem ipsum injustum odio habet. Amor porro et odium Dei naturam intrinsecus afficiunt: sunt enim interni ejusdem Dei affectus.

3. Divina Incarnatio seu hypostatica Verbi divini cum humana natura unio intrinseca ipsi Verbo est, adeo ut jure dicatur Deus factus homo. Quae cum in tempore peracta fuerit, sane intrinseca aliqua in eodem Verbo mutatio acciderit necesse est.

4. Divina quoad res creatas libertas intrinsecam ipsius Dei mutabilitatem manifeste ostendit. Profecto libera Dei decreta quamvis ex aeternitate edita fuerint, attamen cum sint libera, non esse in Deo absolute potuerunt. Esse quoque ac dici debent ipsi Deo intrinseca: sunt enim internae ejusdem volitiones. Jam vero, aut ea perfectio sunt aut imperfectio. Non equidem hoc alterum: secus namque aliqua in Deo imperfectio esset, quod omnino repugnat (§ 154.). Ceterum in hac etiam hypothesi divina essentia foret absolute mutabilis.

(*a*) *Lib.* 3. *cont. Celsum n.* 75.
(*b*) *System. de la nat. part.* 2. *chap.* 7.

bilis, cum evasisset imperfecta per imperfectionem liberam, quam eidem laudata decreta adtulissent. Sunt igitur perfectio. Nec sane immerito: sunt enim ipsi Deo instrinseca, aliunde vero quidquid intrinsecum eidem est, nisi perfectio esse non potest, Tum volitio, qua Deus ex aeternitate Mundum decrevit, cujusque vi Mundus ipse emersit in tempore, est procul dubio quid positivum, atque *actus*, ut ajunt, *vitalis*, proindeque perfectio intrinseca. At si perfectio est, Deus profecto est absolute mutabilis. Quamvis enim intrinsecam hanc perfectionem ex æternitate habuerit, nulloque unquam tempore eamdem amitteret eo nempe quod nunquam emissum decretum mutet; cum tamen fuerit libera, ita eamdem habet, ut ipsam non habere absolute potuerit. Deus igitur poterat esse aliter ac est; quod quidem absolutam mutabilitatem omnino sapit (*Ontol.* §. 46.). Quocirca vel Deus non est liber, vel est absolute mutabilis. Non equidem primum illud: ergo hoc alterum.

5. Quid si mutatus re ipsa fuerit? Nam priora de Ezechiæ morte, ac de eversiona Ninive decreta rescidit Deus (*a*). Tum sive quoad hominum creationem, sive quoad electionem Saul in regem, Deum poenituisse in sacris Scripturis legimus (*b*).

162. ℟. *ad* 1. Duplex distinguenda est divina operatio, *immanens* quae intra ipsum Deum fit atque est, et *transiens* sive externa, quae fit extra Deum ac reperitur. Prior illa in Deo semper fuit, puta ex aeternitate voluit quidquid vult: unde eleganter Augustinus, Deus, inquit (*c*), *cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit*; quod etiam in humanis interdum fit, dum nempe una voluntate eaque non mutata res plures mutantur. Altera vero nihil aliud est, quam quod fit in creaturis: scilicet res externae ad incommutabilem aeternumque Dei nutum aliquid pro designata temporum differentia habent postea, quod antea non habebant. Res itaque extra Deum positae mutantur atque ab uno ad alium statum transeunt, dum aut creantur aut producuntur; non autem Deus, dum eas aut creat aut producit; ac denominationes *creatoris conservatoris* similes, quae ad id genus ope-

(*a*) *4. Reg. cap.* 20. *Jonae cap.* 3.
(*b*) *Genes. cap.* 6. *Lib.* 1. *Reg. cap.* 15.
(*c*) *Lib.* 2. *ad Simplicianum q.* 2. *n.* 4.

operationum positionem seu ad mutationem terminorum ipsi Deo adveniunt, nonnisi extrinsecae eidem sunt.

163. ℟. *ad* 2. Deus quum modo justum hominem diligit, modoque eumdem injustum odio habet, non id praestat ratione affectuum diversorum, quasi nempe ab uno ad alium affectum alternis vicibus transeat, sed tantum ratione diversorum effectuum, quos in eodem homine pro diverso, in quo est, sive justitiae sive injustitiae statu producit ex eodem aeterno immutabiliqne amore justitiae atque injustitiae detestatione. Tota itaque mutatio in creaturis est. Exemplo solis rem hanc illustrat S. Augustinus (*a*); nempe idem ac plane non mutatus sol *oculos puros sanos vegetes fortes habenti tranquillus apparet; in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur*.

164. ℟. *ad* 3. Divina Incarnatio facta fuit, quatenus æternum Verbum ita humanam naturam *hypostatice* sibi assumpsit copulavitque, ut ipsam perficiat compleat sustentet, vicesque omnes gerat personae humanae. Haec itaque mutata fuit, non Deus: neque enim divinitas in humanitatem conversa fuit, unde deterior evaderet; neque per hmanitatis assumptionem quidquam sibi comparavit de novo, unde perficeretur. Nam Deus a nulla omnino re dependet (§. 143.); nihil a re nulla recipere potest (§. 145.); denique humana Christi natura est finita: finitum igitur esset, quod Deo communicaret. At in Deo repugnat perfectio finita; haec enim imperfectionem aliquam in negatione ulterioris possibilis gradus perfectionis sitam necessario involvit, quae esse in Deo nullatenus potest (§. 154.). Si itaque divinum Verbum per assumptionem humanitatis neque deterius factum fuit neque perfectius; nullam profecto mutationem ne minimam quidem in eodem contigisse dicendum est.

165. ℟. *ad* 4. Qui hujus difficultatis fundum perspexerunt, mirum quantum torquentur, ut eamdem si non evidente, plausibili saltem ratione extricent. Alii, inter quos Nicolaus l' Herminier (*b*), putant, divinam quidem libertatem esse perfectionem, at non libera divinae voluntatis decreta, eo praesertim quod quidquid loco perfectionis in Deo, scilicet in ente necessario est, necessarium seu necassario existens esse

(*a*) *In ps.* 72. *n.* 7.

(*b*) *Tom.* 1. *de immutabilitate et libertate Dei*.

esse et ipsum debeat. Hinc Deus sive Mundum libere decreverit sive non, idem semper manet, cum in priori hypothesi nulla ipsi Deo accesserit perfectio; in posteriori autem nihil omnino perfectionis eidem deesset.

Hanc Recentiorum opinionem pluribus refellit Honoratus Tournely (a) cum aliis bene multis, quorum doctrina huc redit. Duplici modo spectari potest divina volitio: 1. ratione substantiae seu entitatis divinae, quatenus nempe in Deo atque intra Deum est. Hoc sensu est omnino necessaria, intrinseca, et a divina entitate non distinguitur. 2. Ratione terminationis, quae duplex esse potest; scilicet termini volitionis divinae vel sunt ea ipsa, quae intra Deum sunt, puta generatio aeterni Verbi, Sanctique Spiritus processio; atque in hac hypothesi Dei volitio rursus est omnino necessaria: vel sunt ea tantum, quae sunt extra Deum, velut creaturae; et in hac hypothesi laudata volitio est ac dicitur libera: cum enim Deus nullis creaturis opus habeat, nulla quoque necessitate ad ipsas creandas compellitur. Quare divinum decretum liberum quatenus est *decretum*, est etiam quid intrinsecum, necessarium, vitale, positivum, proindeque vera propriaque dicta perfectio; quatenus autem est *liberum*, non est nisi extrinseca quaedam non necessaria habitudo seu respectus ad creaturas. At sive habeatur sive non extrinseca haec ad creaturas habitudo, nulla propterea inducitur in Deum mutatio: haec enim esse in ipso non potest, nisi aliquid eidem intrinsecum aut de novo acquirere valeat aut amittere; sed mutatio tota ad creaturas pertinet, ad quas laudatum intrinsecum, quod in Deo est, terminatur. Haec quidem sunt subtiliter dicta, an porro etiam vere? Vel ipse Tournely fatetur ingenue, exponi perspicue non posse, quid sit illud *intrinsecum* in Deo, quod ad *extrinsecum* terminari adseritur. Sed ne intelligi quidem potest quomodo *intrinsecum* illud ad *extrinsecum* terminetur: nisi enim *aliquid* in Deo supponamus, quod terminationem illam inducat, profecto laudatum *intrinsecum* cum res omnes possibiles aeque spectet, ad ipsas omnes terminari aeque potuisset. Quid porro est illud *aliquid*, per quod memoratum *intrinsecum* ad hasce potius res quam ad illas re ipsa terminaretur? Sane in Deo sit oportet et quidem liberum, atque ideo prior inqui-

(a) *Tom. 1. tract. de Deo q. 8.*

quisitio rursus viget ac difficultas. Quocirca fateamur necesse est, veram divinae liberae actionis rationem mysterium esse humanae menti quoad vivimus mortalem hanc vitam prorsus impervium. Illud saltem facile concedent prudentiores quique Philosophi ac Theologi, quod cum memoratae sententiae, aliaeque hactenus hac super re excogitatae vim opinionis non excedant; facile quoque nobis dabunt, non omnino causae nostrae consultum iri, si uni vel alteri adhaerescemus. Nos certe ridebunt Increduli, illudque quamvis impie concludere non verebuntur, tantum nempe veram esse divinam immutabilitatem, quantum vera esse creditur haec vel illa Scholasticorum opinio. Quamobrem nos, quibus cordi est, ipsos nostrorum praesertim temporum Incredulos refellere, aliam inimus viam, quae licet indirecta sit, planior tamen tutior pressiorque esse videtur.

166. Itaque certum est ac metaphysice evidens, ex demonstratis, Deum, si existit, esse omnino immutabilem. Certum praeterea est evidensque metaphysice, ex demonstrandis, Deum ipsum quoad res, quae extra eundem sunt, esse plane liberrimum. Est denique certum metaphysicaque evidens, nullum ens constare ex iis posse, quae sese mutuo destruunt (*Ontol.* §. 13.), seu quae secum invicem pugnant. Igitur aeque certum ac metaphysice evidens esse debet, absolutam Dei immutabilitatem cum ejusdem libertate liberisque quoad creaturas decretis atque operationibus simul re ipsa conciliari. Certitudo haec atque evidentia a nullo sano homine negari potest, qui argumentationis vim sentiat, totaque oppositio non est nisi apparens, neque aliunde nisi ex brevissima mentis nostrae mole atque inscitia procedit. Stultissimum porro est, id genus certitudini evidentiaeque apparentem oppositionem nostramque ignorantiam quoad modum, quo absoluta Dei immutabilitas ac libertas simul concilientur, praeferre. Probatissimum itaque cuique sit oportet, Deum, quamvis aliunde fuerit quoad res contingentes liber, esse tamen omnino immutabilem.

167. *ad* 5. Deus revocare non potest absoluta voluntatis suae decreta nisi aut ex levitate aut ex ignorantia (§. 159.), quae cadere in Deum non possunt. Itaque Ezechiae mortem et eversionem Ninive non tamquam reapse futuras praenunciavit Deus, sed tantum sub conditione. Consulantur hac super re Patres sacrorumque Scripturarum Interpretes.

Poeni-

Poenitentia vero proprie accepta in Deo esse non potest: nam dolorem animi, pristinaeque voluntatis revocationem involvit. Quum itaque poenituisse legitur in Scripturis, mos tantum humanus in persimilibus rebus, quae nos ad poenitudinem provocarent, exprimitur. Prae ceteris consulatur S. Augustinus (*a*).

PROPOSITIO XII.

Deus est purus ac totus actus.

168. *Pr.* Deum esse *purum* ac *totum* actum nihil praeterea est, quam quod internae ejusdem actiones a facultate seu potentia, qua fiunt, nullimode distinguantur, sed ad ipsius Dei essentiam omnino pertineant, adeo ut in Deo reapse insit, quidquid inesse in eodem potest. Deum porro esse hujusmodi, quam facile constat. Si enim actio divina distincta esset a potentia; haec profecto in se spectata infinita non esset: nam actus, quem *formam* appellant Scholastici (*Ontol.* §. 157.), potentiam suam perfici, unde melior est potentia in exercitio posita quam sine ipso, puta melius est re ipsa scire quam tantum scire posse. At potentia, quae per distinctum ejusdem actum reddi potest melior, non est equidem per sese infinita, cum per actum ipsius ulterius perficiatur. Cum igitur quaevis Dei perfectio, atque idea quaevis etiam ejusdem potentia infinita sit (§. 150.); manifeste sequitur, Dei potentiam esse ipsum actum, actum esse ipsam potentiam, utrumque demum ad divinam essentiam pertinere, atque ideo Deum esse purum ac totum actum. *Q. E. P.*

PROPOSITIO XIII.

Deus est aeternus.

169. *Pr.* Vere proprieque *aeternum* illud dicitur, quod ita existit, ut neque initium habuerit, neque habiturum sit finem, neque demum ullam proprie acceptam in se habeat successionem. Est enim aeternitas *interminabilis tota vitae simul et perfecta possessio*, inquit Boetius (*b*) vel ut aliis placet, *permanentia in esse omnino immutabilis*. Hujusmodi porro est Deus. Imprimis enim cum *a se* seu absoluta necessitate existat (§. 4.); eidem absolute repugnat non existere. At si aut initium aut finem habere posset, posset quoque vel aliquando non extitisse, vel non existere aliquando. Tum

(*a*) *Lib.* 2. *ad Simplicianum q.* 2.

(*b*) *Lib.* 5. *de consolat. Philos. prosa* 6.

Tum a quonam, quaeso, aut initium aut finem haberet? Non equidem a seipso: nihil enim potest esse suimetipsius caussa (*Ontol.* §. 268.), neque Deus seipsum potest destruere (§. 159.). Non ab alio: est enim omnino independens (§. 143.). Postremo Deus est plane immutabilis (§. 158. *et seqq.*). Jam vero si vel potuisset aliquando recipere existentiam, vel eamdem deinceps amittere, posset quoque a *non esse* ad *esse*, aut ab *esse* ad *non esse* transire, habereque postea quod non habebat antea, vel postea non habere, quod antea habebat; quae profecto mutationem aliquam manifeste involvunt. Sed ne ulla quidem in Deo esse potest proprie accepta successio: haec enim natura sua postulat, ut aliud alteri et quidem distincto succedat; quod autem ea habet, quorum alterum succedit alteri eique distincto, est procul dubio mutabile: habet enim postea quod antea non habuisset. At Deo quaevis mutatio omnino repugnat. Deus itaque initio, fine, successioneque prorsus caret, atque ideo est et esse debet aeternus. *Q. E. P.*

170. *Schol.* Æternitas Dei plurimum ab ea distat, quam ens ex aeternitate creatum, si quidem creari potuisset, atque aeternum duraturum haberet. Illa namque est Deo essentialis atque independens, haec autem essentialis non est enti creato, ac pendet a Deo. Tum illa quamcumque vere proprieque dictam successionem excludit, adeo ut in Deo nihil sit prius aut posterius, nihil praeteritum aut futurum, nihil antecedens aut consequens, sed omnia omnino praesentissima. Si quamdam velut successionem concipimus ac nominamus, puta quum dicimus, Deum antea diligere hominem justum, postea vero eumdem injustum odio habere; haec nonnisi comparate ad nos dicuntur. Si aeternitatem Dei appellamus *durationem*, non eam sane intelligimus, quae successivis fluentibusque constet momentis, seu quae in successivorum ordine consistat, bene vero quatenus ipsa est continuata sine ulla interna successione *permanentia in esse*, sive, quod perinde est, *existentia*. At memorata entis creati aeternitas vel ex successivis momentis *temporis*, ut illa corporis; vel ex successivis *ævi* instantibus, ut illa Angeli, constaret.

PROPOSITIO XIV.

Deus est immensus.

171. *Pr.* Dei *immensitatem*, quae etiam *omnipraesentia*

 dicitur,

dicitur, illud ejus attributum adpellamus, quo Deus ipse non modo sapientia potentiaque (qua de re nulla hoc loci est disputatio), sed etiam essentia sua seu substantia sine limitatione ulla ubique locorum totus existit seu praesens est (*). Atqui ubique locorum substantia sua sine ullo omnino termino totus existit Deus. Profecto si in aliquo tantum loco esset; vel ibi esset necessario vel contingenter seu libere. Non primum illud: nulla namque est sufficiens ratio, cur in uno potius loco quam in alio existat; imo vero si ejus natura postulat, ut in uno sit loco, postulat quoque, ut in aliis ceteris plane similibus reperiatur. Tum Deus non esset perfectissimus: nobilius quippe est perfectiusque esse ubique locorum quam tantum alicubi. Sed neque alterum: secus namque ab uno ad alium locum transire posset, ejusque praesentia loco ipso successive finiri circumscribique aliqua ratione. Praeterea hic transitus fieri non posse videtur, nisi per novam aliquam vis internae modificationem. Per *novam*, inquam, *modificationem*, cum id fiat successive: *vis* etiam *internae*; neque enim nisi vi sua ab uno ad alium locum potest transire. At Deus est immutabilis (§. 158. 159.). Quare vel substantia sua nullibi est; quod perinde esse videtur ac non existere; quod enim nullibi est, non est; vel est ubique locorum praesens, et quidem totus, cum simplicissimus sit, ut dicemus postea, atque ideo est immensus. *Q. E. P.*

172. *Schol.*

(*) *Quidam ex Theologis* immensitatem *ab* ubiquitate *in Deo distinguunt. Illam esse ajunt* virtualem *divinae substantiae diffusionem, per quam apta nata est ubique esse, idque omne, quod existit, pervadere implere penetrare, unde est quoque aeterna absoluta necessaria: hanc autem esse* actualem *ejusdem divinae substantiae in omnibus creatis rebus praesentiam, quae idcirco, sicuti res ipsae creatae, temporaria est relativa ac libera. Quidquid hac de re sit, quae pendet ex loci natura; satis nobis est ostendisse, Deum substantia sua esse ubique locorum prorsus debere.*

Aliam quamdam divinae immensitatis speciem nonnulli agnoscunt, nempe quoad ejus perfectiones, quatenus ipsae et extensive *et* intensive *infinitae in Deo sunt* (§. 151.) *: hanc enim ob caussam Deus nulli mensurae subjicitur, et vocabulo negativo* immensus *adpellatur.*

172. *Schol.* Quaeri a nonnullis solet, an per Dei operationem demonstretur ejusdem in rebus praesentia? An praeterea haec ipsa Dei operatio sit *formalis*, ut ajunt, ratio, per quam rebus omnibus praesens constituitur? An denique extra Mundum seu in spatiis Deus existat? Viderint haec, quibus varias Scholarum opinationes discutere in animo est. Nos iis contenti sumus, quibus divina natura statuitur adversus Incredulos, et vindicatur.

Contrarii scrupoli eximuntur.

173. *Ob.* Indignum videtur Deo, ipsum locis etiam foedis obscenisque esse sanctissima purissimaque substantia sua præsentem.

2. Si praesens est rebus omnibus; sicuti res ipsae dividuntur in partes, ita quoque Deus in partes dividi scindique videretur.

3. Deus praeterea extensus esset: locis enim et corporibus quibus esset praesens, coextendi oporteret.

4. Si totus Deus est substantia sua in qualibet loci parte, divina ipsa substantia, quae ceteroqui infinita est, in partem illam loci seu in angustum cogeretur.

5. In Scripturis Deus sedem habere dicitur *in coelis*, *in excelsis*, *in altissimis*, *in templo*: non igitur ubique locorum existit. Dicitur quoque *descendere*, *ambulare*, *venire*, et apud nos *mansionem facere*. Itaque ab uno ad alium locum transit, neque proinde est nec dici potest immensus.

174. ℞. *ad* 1. Indignum non est Deo foeda corpora condidisse ac conservare; cur indignum ea ipsa pervadere? Neque enim in locis aut in corporibus est tamquam materia aut forma, unde illorum fœditate contagioque aliqua ratione inquinetur. Est namque purissimus spiritus ab omni materiae concretione secretus, qui idcirco nullam maculam contrahere ex corporibus potest. Exemplo sint vel ipsi solares radii, dum loca etiam lutulenta collustrant.

175. ℞. *ad* 2. In Deo nullae sunt reales partes, in quas dividatur: est enim simplicissimus, proindeque totus in toto loco, totusque in qualibet loci parte existit. *In eo ipso quod dicitur Deus ubique diffusus*, inquit Augustinus (a), *carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur*

Deum

(a) *Epist.* 187. *cap.* 4. *n.* 11. *ad Dardan alias* 57.

Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur: omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte quam in toto.

176. ℟. *ad* 3. Hinc divina extensio, si quidem extensio dici potest, concipi non debet, qualis esse et concipi solet in corporibus: neque enim habetur per partium extra partes positionem, uti est illa corporum, sed quatenus Deus est ubique totus sine partibus, quae partibus loci coextendantur.

177. ℟. *ad* 4. Deus non ita in una loci parte totus existit, ut aut ipsam per impenetrabilitatem occupet, velut corpus: aut eadem parte loci finiatur, velut Angelus; sed ita in ea est, ut in quibusvis aliis loci partibus sine ulla limitatione (§. 171.) totus aeque reperiatur. Non itaque in angustum cogitur.

178. ℟. *ad* 5. Deus *in coelis*, *in excelsis*, *in altissimis*, *in templo* sedem habere dicitur, non quasi in aliis locis non existat: nam dicitur quoque *excelsior coelo*, *inferno profundior*, *longior terra*, *mari latior*, coelum ipsum et terram *implere*, uno verbo, *immensus* (a); bene vero quatenus speciali quadam ratione in laudatis locis attributa sua, gloriam potentiam misericordiam bonitatemque manifestat.

Descendere autem, *ambulare*, *venire*, *manere*, aliaeque id genus locutiones metaphorice intelligendae sunt: humano siquidem exprimuntur more, ut specialia quaedam ipsius Dei opera significentur.

PROPOSITIO XV.

Deus est simplicissimus.

179. *Pr.* Si Deus non esset simplicissimus, sed aliqua in eodem foret compositio, quae sive ex distinctis substantiis, sive ex una quidem numero sed simul ex accidentibus ad ipsam spectantibus fieret, de qua una compositione, quae *physica* adpellatur (*Ontol.* §. 125.), sermo hoc loci est; jam Deus in priori hypothesi discerpi in partes posset, aliter aliterque disponi, subjicique internis mutationibus; quod omnino repugnat (§. 158 159.). Tum laudatae substantiae vel omnes essent necessariae, vel solum aliquae, vel una tantum, vel demum nulla. Si primum; ergo tot essent dii, quot sunt distinctae illae substantiae; unaquaeque enim per sese existeret, cum sit substantia (*Ontol.* §. 158.); et a-

sé,

(a) *Baruch cap.* 3. *v.* 25.

se, cum esset necessaria; quod autem per se et *a se* existit est Deus (§. 4.). At Deus non est nisi unus (§. 92.). Si alterum; ergo saltem illae aliquae *a se* existentes forent, atque ideo plures essent dii. Nulla praeterea est sufficiens ratio, cur aliquae tantum, non vero omnes substantiae, ex quibus Deus coalesceret, sint necessariae. Postremo si aliquae ex iis necessariae non essent, ob eas Deus esset aliqua ratione contingens, dependens, intensive finitus, imperfectus, mutabilis; quod rursus repugnat (§. 4. 143. 151. 154. 158.). Haec duo posteriora etiam locum habent, si una tantum substantia dicatur necessaria, ceterae vero contingentes, dependentes. intensive finitae, imperfectae, mutabiles. Superest ergo, ut nullá omnino ex laudatis substantiis sit necessaria. At hoc ipso ne ullus quidem esset Deus, uti perspicuum per se est: siquidem non existeret *a se*, cum nihil, quod necessarium sit, in se complecteretur. In altera quoque hypothesi, si nempe Deus ex substantia et accidentibus constaret, Deus ipse foret mutabilis: accidentia namque sive accidentales modi in suis subjectis inesse aeque possunt atque ab iisdem abesse (*Log*. §. 60.). Igitur Deus esse posset aliter ac est, seu esset mutabilis (*Ontol*. §. 46.); quod divinae naturae omnino repugnat (§. 158.). Quae cum ita sint, nulla in Deo est vel esse potest compositio, atque ideo est simplicimus. *Q. E. P.*

180 *Schol.* Praeter *physicam*, de qua hactenus disputavimus, duplex alia a Philosophis concipi solet compositio, *logica* nempe et *metaphysica* (*Ontol*. §. 125.). Deus esset *logice* compositus, si ex genere constaret et ex differentia; esset autem compositus *metaphysice*, si ejusdem attributa a se invicem *formaliter* distinguerentur. Pro utraque id genus compositione, praeter Scotum ejusque discipulos, acriter pugnat etiam Nicolaus l' Herminier (*a*). Nobis quoque adridet haec opinio, uti ex iis, quae in Ontologia disseruimus, colligi quam facile potest: cum tamen hoc Opere nostro eo potissimum spectemus, ut refellamus Incredulos, non ut controversias, quae hinc inde salva fide agitantur in Scholis, discutiamus; non est necesse rem hanc ulterius promovere.

PROP.

(*a*) *Tom*. 1. *de essentia et natura Dei, de attributis divinis, et de simplicitate Dei*.

PROPOSITIO XVI.

Deus est indivisibilis, et incorruptibilis.

181. *Pr.* Illud *divisibile* dicitur, quod discerpi in partes; *corruptibile* autem, quod perire per partium dissolutionem potest. Utrumque porro partes physicas necessario supponit. Exemplo sit corpus. At Deus quibusvis id genus partibus destituitur: est enim simplicissimus (§. 179). Igitur et indivisibilis est et incorruptibilis. *Q. E. P.*

182. *Schol.* Alia plane diversa corruptionis species adsignari non immerito potest in eo sita, quod res aliqua licet quoad substantiam entitatemque incorruptibilis sit, quatenus ex nullis partibus, quae substantiae sint et per quarum dissolutionem perire possit, constaret; ea tamen in se habeat, quibus privari non repugnet, vel quibus possit vitiari, veluti est mens nostra, quae idcirco ab Augustino (*a*) aliisque Patribus *corruptibilis* quandoque adpellatur. Hac etiam alia corruptionis specie destitutus est Deus: est enim plane immutabilis (§. 158.), neque ullum vitium aut imperfectio cadere in eumdem potest (§. 154.).

PROPOSITIO XVII.

Deus est per essentiam suam immortalis.

183. *Pr.* Illud est per essentiam suam *immortale*, quod ita extiturum est semper semperque victurum, ut existentia sua et vita privari nullimode et a nulla caussa possit, sed omnino repugnet (*Psychol.* §. 57.). Hujusmodi porro est Deus. Cum enim ipse ex necessitate naturae seu per essentiam suam existat (§. 4.); absolute repugnat, quod existentiam amittat (§. 159.), seu ipsa privetur. Sed aeque repugnat privari vita. Haec in intrinseca seu immanente virtute immanenter agendi, atque si *in actu*, ut ajunt, *secundo* spectetur, in actuali ipsa immanente actione est posita (*Psychol.* §. 56.). Jam vero quaelibet Dei virtus facultas potentia immanens ipsi est seu intrinseca: quidquid enim habet, necessario habet, proindeque ad ejus essentiam pertinet, cum nullus in Deo sit vel esse possit accidentalis modus (§. 179.). Quod autem pertinet ad rei essentiam, eidem rei intrinsecum immanensque sit opportet: essentia enim est id, per quod res est id quod est (*Ontol.* 81.). Sed progrediamur. Potentia in Deo ab ejus actu non distinguitur, cum ipse sit totus ac purus

(*a*) *Disput.* 1. *contra Fortunatum Manichaeum n.* 11.

purus actus (§. 168.). Quare sicuti potentia, ita quoque et hujus actio pertinet ad Dei essentiam, eique est prorsus immanens. Porro absolute repugnat, Deum iis privari, quae ad ejusdem essentiam pertinent. Ergo repugnat quoque, Deum existentia sua aut vita et quidem etiam *in actu secundo* spectata privari, proindeque est atque esse debet per essentiam suam immortalis. *Q. E. P.*

PROPOSITIO XVIII.

Deus est incorporeus.

184. *Pr.* Quod corporeum est vel sumitur quatenus ex pluribus materialibus substantiis coalescit; vel quatenus est quidem physice simplex, sed tamen notis materiae attributis donatum, veluti essent, juxta quorumdam Philosophorum placitum, omnium prima corporum principia. At neutro in sensu Deus est corporeus. Non quidem in priori: est enim simplicissimus (§. 179.). Tum si esset, tangi posset videri vapulare mutari corrumpi locoque circumscribi; quae Deo repugnant. Sed neque in altero: nam Deus percipit, judicat, vult, et quoad creaturas est liber, uti ex demonstrandis manifeste constabit; tum nemo haec de Deo negaverit, qui animadvertat, ipsa esse veras proprieque dictas perfectiones, quae proinde in Deo continentur (§. 149.). Jam vero perceptio, judicium, volitio, libertas cum notis materiae attributis ac proprietatibus pugnant (*Psycol.* q. 1.). Itaque Deus est incorporeus. *Q. E. P.*

185. *Schol.* Errarunt itaque Epicurei, Stoici, Increduli, iique omnes, qui Deum esse vel ignem, vel citatum aerem, vel gyrum stellarum, vel Mundum ipsum, vel materiam, vel materiae formam vim aut energiam. Sed errarunt quoque Antropomorphitae, qui Deo ceteroqui non corporeo corpus ipsi proprium humana effigie membrisque conformatum adscripserunt. Cum enim corpus esse non possit nisi contingens atque a Deo ipso creatum; eidem adscititium plane esset. Non itaque corpore opus habet Deus, ut sit quod in se est, aut ut operetur, cum ipse sine eodem fuisse quod in se est, et operatus esse supponatur. Ut quid ergo corpus? Quod si dixerint Antropomorphitae. Deo per adjunctum sibi corpus aliquid de novo accedere; sequeretur, Deum ipsum aliquid posse sibi de novo comparare, proindeque esse mutabilem; quod repugnat (§. 158.). Praeterea si habet corpus, jam ab eodem circumscriberetur, et sicuti corpus ipsum.

psum, ita etiam Deus moveri ab uno ad alium locum posset; quod profecto divinae immensitati adversatur. Si Deus in Scripturis dicitur habere humana membra, id non proprio sed metaphorico in sensu intelligendum est; nempe sicuti per alas Dei *protectio* designatur, ita per manus *operatio*, per pedes *praesentatio*, per oculos *visio* qua cognoscit, per faciem *notitia* qua innotescit, quemadmodum scite observat S. Augustinus (*a*). Si homo ad Dei imaginem factus fuit, imago haec non in eo constituenda est, quod hominis corpus ad corporis Dei formam elaboratum fuerit; bene vero in rationalibus, iisque naturalibus mentis humanae facultatibus, uti sanioribus doctioribusque Theologis probatissimum est.

PROPOSITIO XIX.

Deus est spiritualis.

186. *Pr.* Substantia *spiritualis* ea vocatur, quae et incorporea est, et praedita facultate cogitandi (*Psychol.* §. 10.). Deus et facultate cogitandi est praeditus, et est incorporeus. (§. 184.). Ergo est spiritualis. *Q. E. P.*

CAPUT II.

De attributis Dei positivis.

Positiva Dei attributa in duplicem veluti classem dividi jure possunt ac solent: nam ad intellectum alia, et alia ad voluntatem pertinent.

ARTICULUS I.

De positivis Dei attributis ad intellectum spectantibus.

PROPOSITIO I.

Infinito intellectu praeditus est Deus.

187. *Pr.* Intellectum esse veram proprieque dictam ac puram prefectionem, nemo unus negaverit: melius namque est nobiliusque ens intelligens, quam ens plane brutum omnisque et cujusvis intelligentiae expers. In Deo autem omnes omnino possibiles perfectiones continentur (§. 149.), et quidem ita, ut unaquaeque sit infinita (§. 150.). Itaque infinito intellectu praeditus est Deus. *Q. E. P.*

188. *Schol.*

(*a*) *Epist.* 148. *alias* 111. *ad Fortunatianum cap.* 4. *n.* 15.

188. *Schol.* Colligi etiam hoc idem potest ex adeo mira hujus Universi structura pulchritudine ordine et harmonia, ut homines ipsi quamvis intelligentia exornati non modo non omnia, quae sunt, sed ne vel minimam quidem illius partem, puta aut unam atomum aut viliorem plantulam adaequate dignoscant. Caussa itaque a qua res omnes creatae processerint fuerintque ordinatae, sapientissima sit oportet. Asserere namque hanc rerum universitatem ex fortuita prodiisse atomorum concursione casuque, stultissimum est (§. 17. 61 *et seqq.*). Colligitur quoque ex quo mentes humanæ praeditae sint intelligentia: Deus enim omnes creaturarum perfectiones aliqua ratione in se se complectitur (§. 153.). Ita profecto, inquiunt Toland (*a*) et Gildon (*b*): sed tamen novimus, materiam colores aut sonos, quos in se non habet, efficere: imo vero Deum ipsum, per vos, producere divisibilem materiam mobilemque, quamvis immobilis ipse sit et indivisibilis: cur ergo non poterit idem Deus licet omnis cogitationis intelligentiaeque expers mentem cogitantem atque intelligentem procreare? Sed futile est sophisma. Potest quidem perfectior caussa gignere effectum imperfectiorem; at nequit caussa imperfectior perfectiorem effectum producere: effectus enim esse non potest sua totali seu adaequata caussa nobilior (*Ontol.* §. 266.). Cum igitur substantia intelligens sit non intelligente perfectior; poterit Deus intelligens materiam divisibilem mobilem omnisque intelligentiae expertem efficere, non poterit tamen, si intelligens non fuerit, mentes humanas intelligentia praeditas creare. Porro sonus vel sumitur quatenus est certus quidam sive sonori corporis sive aeris motus, atque in hac hypothesi falsum est, ipsum in materiae viribus non contineri; vel sumitur quatenus est auditio animae, et in hac hypothesi haec sensio seu cogitatio continetur in anima, quae est cogitans.

PROPOSITIO II.

Divinus intellectus semper agit.

189. *Pr.* Si intellectus divinus non semper ageret; jam vel nunquam egit acturusque est, vel tantum aliquando et interrupte. Si primum; ergo numquam seipsum resque alias cognosceret, summaque laboraret ignorantia, quae procul dubio est

(*a*) *Lettre 3. sur le mouvement.*

(*b*) *Oracles de la raison.*

est imperfectio. Haec autem cadere in Deum non potest (§. 154.). Tum intellectus, qui nihil unquam cognoscit, est plane inutilis, aliunde vero quidquid ad Dei naturam pertinet, omnino necessarium sit oportet. Si tantum aliquando et interrupte; ergo aliquando ignorantia laboraret Deus, essetque idcirco imperfectus; mutaretur quoque, neque foret per essentiam suam purus ac totus actus; quae quidem naturae divinae manifeste adversantur (§. 152. 158. 168.). Quare divinus intellectus semper agit. *Q. E. P.*

PROPOSITIO III.

Deus est omniscius.

190. *Pr.* Si Deus non omnia omnino cognosceret, seu non esset omniscius, nova aliqua cognitio accedere eidem posset, proindeque mutari; quod esse nequit (§. 158.). Praeterea non esset perfectissimus, cum aliud concipi posset ens ipso sapientius; quod aeque repugnat (§. 152.). Postremo Deum esse omnipotentem, subinde demonstrabimus. At omnipotens non esset nisi omnia posset efficere, efficere autem non posset omnia nisi ea ipsa cognosceret: non enim caeco modo impetuque operatur Deus. Itaque si omnipotens est, est quoque omniscius. *Q. E. P.*

191. *Schol.* 1. Tria potissimum investigari hoc loci possunt. 1. Quotuplex sit divina scientia? 2. quaenam sint ipsius divinae scientiae objecta? 3. demum in quonam *medio* Deus objecta haec cognoscat? Ad primum quod attinet, multiplex distingui in Dei solet scientia. *Speculativa*, quae in mera sita est obiecti cognitione, quin nempe aliqua in objectum ipsum operatio supponatur; cujusmodiest cognitio, quam Deus de seipso habet, deque rebus mere possibilibus. *Practica* ea est, quae Deum ad aliquod efficiendum opus dirigit, veluti est de creatis rebus cognitio.

Necessaria sive *naturalis*, quae omne liberum antecedit Dei decretum, proindeque non potest non esse in Deo, velut cognitio de seipso ac de rebus quatenus sunt mere possibiles. *Libera*, quae liberum aliquod Dei decretum supponit, quaeque idcirco, sicuti decretum illud, ita et ipsa potuit non esse in Deo. Hujusmodi est cognitio, qua Deus res omnes creatas novit.

Omnium celeberrima est divinae scientiae in scientiam *simplicis intelligentiae*, *visionis*, ac *mediae* divisio. Scientiam *simplicis intelligentiae* eam omnes adpellant, qua Deus res

mere

mere possibiles seu nunquam futuras cognoscit; scientiam autem *visionis* eam, qua cognoscit res in aliqua temporis differentia existentes, sive praesentes sint, sive praeterietae, sive demum futurae: Deus enim, ut inquit Augustinus (a), *omnia supergreditur tempora*, unde vel illae ipsae res, quas futuras adpellamus, *non sunt ei futurae*, *sed praesentes*. Nihilo tamen minus scientia, quae res uti futuras spectaverit, dici etiam solet *praescientia*.

Non conveniunt quoad scientiae *mediae* notionem. Quidam putant eam ipsam esse, quae dicitur *conditionata*, quaeque in eo sita est, quod Deus noverit quid futurum esset, si certa quaedam poneretur conditio, quamvis neque conditio ponenda re ipsa sit, neque futurum quod ex illius conditionis positione consequeretur. *Mediam* ea de caussa vocant, quod neque de mere possibili sit, ut scientia simplicis intelligentiæ, neque de vere futuro, ut scientia visionis, bene vero de quodam, quod mere possibile inter et vere futurum mediat, ac de utroque velut participat. Sed alii scientiam mediam a conditionata in eo distinguunt, quod 1. per illam Deus exploret, quid factura sit libera hominum voluntas, si in his aut illis fuerit circumstantiis, si his aut illis praeveniatur gratiae auxiliis; quodque 2. Deus ipse a scientia hac media in edendis absolutis quoad liberas hominum actiones decretis dirigatur. Plures itaque, inter quos Nicolaus L' Herminier, scientiam *conditionatam* concedunt, negant autem *mediam*. Hujus controversiae solutio ex natura divinae gratiae et efficacia pendet, de qua longa oratione contentioneque Teologi. Quod pertinet ad Philosophos, nonnulli scientiam *conditionatam*, quam ceteroqui in Deo admittunt, distinguendam non esse a scientia *simplicis intelligentiae* aut *visionis* arbitrantur. Nam vel conditio, inquiunt, a cujus positione futurum conditionatum dependet, est reapse futura, vel tantum possibilis. Si primum; ergo futurum erit etiam conditionatum, proindeque et conditio et conditionatum ad scientiam *visionis*, quae est de futuro, pertinet dicenda sunt. Si alterum; ergo conditionatum quoque non erit nisi possibile, atque ideo non minus conditio quam conditionatum ad scientiam *simplicis intelligentiae*, quae est de mere possibili, pertinebunt. Sed hæc viderint ii, quibus plus otii dii fecerunt.

192. *Schol.*

(a) *Lib.* 2. *ad Simplicianum q.* 2. *n.* 2.

192. *Schol.* 2. Objecta divinae scientiae sunt Deus ipse, res omnes possibiles, omnesque creaturae, secreta cordium, quaeque sive naturae sive culpae mala, futura quoque sive necessaria sive libera, sive absoluta sive conditionata, uno verbo, plane omnia. Dei namque scientia est perfectio; quælibet autem, quae in Deo est, perfectio infinita sit oportet (§. 150.): ergo etiam scientia. At haec infinita non esset, si Deus aliquid, quod cognosci in se potest, ignoraret: ergo omnia omnino perfectissimeque et quidem ex aeternitate noverit necesse est. Perspicua haec sunt; nihilo tamen minus Tullius (*a*) sustulit divinam de liberis futuris contingentibus praescientiam, ne humanam libertatem, quam cum praescientia ipsa conciliare non poterat, denegaret. Eamdem sustulit quoque Marcion apud Tertullianum (*b*), eo quod Deus, ut ipsi quidem videbatur, non permisisset sane primum hominem in culpam labi, si ejusdem lapsum ipse prænovisset. Socinus denique (*c*), et Crellius (*d*) putarunt, Deum non certa scientia, sed conjecturis tantum verisimilibusque rationibus lauduta futura praescire, ex quo nimirum haec ipsa futura determinatam veritatem non habeant antequam sint. Nam non eam habent in seipsis, cum necdum existant; non in eorum caussis, cum aut non haduc existant, aut si existunt, eo ipso quod liberae sint, sint quoque indeterminatae ad agendum vel ad non agendum planeque indifferentes. Triplex igitur habetur objectionum caput. Verum prius satis superque alibi extricavimus (*Psycol.* §. 576. *et seqq.*), ubi divinam praescientiam cum humana libertate conciliari simul posse manifeste evicimus. Alterum quoque exposuimus solvimusque paullo superius (*q.* 4.): ex iis enim constat, nihil omnino detrahi Deo debere ex quo permiserit mala culpae, nimirum praescientiam cum Dei quoad mala haec permissione ejusque bonitate, sapientia, potentiaque conciliari simul posse. Quare superest postremum. Sed facile diluitur: quamvis enim futurum liberum non esset in se pro aeternitate determinatum; determinatum tamen pro eo tempore est, quo est futurum: tunc enim temporis determinate

(*a*) *Lib.* 2. *de divinat. cap.* 7.
(*b*) *Lib.* 2. *cont. Marcion. cap.* 5.
(*c*) *Praelect. cap.* 11.
(*d*) *Lib.* 1. *cap.* 24.

determinate erit. Porro Deus cognitione sua infinita quamlibet temporis differentiam complectitur, omniaque supergreditur tempora, ut antea cum Augustino dicebamus. Etsi igitur futurum liberum necdum existat, ejusque caussa adhuc indifferens sit ad agendum vel ad non agendum et indeterminata; attamen in futuro illo sicuti determinata pro futuro tempore existentia, ita quoque veritas determinata adparet, eamque certo atque infallibiliter praenoscit omniscius Deus (*).

193. *Schol.* 3. Postrema inquisitio, in quonam scilicet medio Deus res videat, est ceteris longe implicatior difficiliorque. Quaedam delibasse sufficiat: pluribus namque hac super re disserere, ad Theologos pertinet. Imprimis itaque Deus in nullo medio, sed plane immediate seipsum cognoscit. Quod ut constet, cum melioris notae Philosophis advertendum est *medium*, in quo Deus res videat, idem esse ac id, per quod res ipsae cognoscuntur: id autem per quod cognoscuntur res, nihil aliud esse videtur quam caussa vel ratio, ob quam res ipsae sunt id quod sunt. Cum igitur Deus nullam habeat sui caussam, et ratio, ob quam est id quod est, non aliud sit nisi propria ejusdem essentia, quae est Deus ipse; Deus non in medio ullo, sed immediate seipsum procul dubio cognoscit. Haec ipsa doctrina aliquam ad minus praebet facem, ut *medium*, in quo Deus res alias cognoscat, designare aliquo saltem modo valeamus. Ita profecto ex quo prima ratio intrinsecae possibilitatis rerum sit absoluta earumdem non repugnantia, prima autem ratio possibilitatis extrinsecae sit divina omnipotentia (*Ontol.* §. 22. *et Annot.*); Deus res intrinsece possibiles in earum non repugnantia, in sua porro omnipotentia res extrinsece possibiles cognoscit.

De futuris a Deo solo pendentibus aut etiam a creaturis, absolutis aut conditionatis, necessariis aut liberis, naturalis ordinis aut supernaturalis, et quidem de his postremis ad innocentiae aut ad naturae lapsae statum spectantibus quaestio est solutu difficillima, atque a Theologis diu multumque disputata, nec tamen hactenus certo tutoque definita. Deum nulla futura videre in *reali* eorum cum aeternitate *coexistentia*, uti quibusdam placuit, facile concipimus: futura

---

(*) *Consulantur quae diximus in Logica* (Annot. ad §. 162.).

tura namque eo quidem tempore quo reapse erunt, coexistura sunt cum aeternitate, non autem cum ea coexistunt quum realem existentiam necdum habent. Consulatur doctissimus Petavius (*a*), Putarem quoque Deum futura illa, quae ab ipso tantum pendent, in decretis suis cognoscere; haec enim sunt illorum futurorum caussa et princeps et unica. At vero definiri non potest medium, in quo Deus ipse videat futura, quae a libera pendent hominum voluntate, nisi prius definiatur, quaenam sit prima caussa vel ratio, an scilicet absoluta praedeterminantia Dei decreta, an potius ipsa hominum libertas, cur futura illa existant. Sin porro de futuris supernaturalis ordinis sermo fuerit, discutienda prius esset gratiae in utroque, innocentiae nimirum et naturae lapsae statu efficacia: quae quidem operosa sunt, atque ab instituto nostro plane aliena. Itaque *ne forte hoc a me fratres expectetis*, verbis utor magni ingenuissimique Augustini (*b*), *ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico: non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut angelus: et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum*. Satis sit, divinam omniscientiam adversus Incredulos me demonstrasse.

PROPOSITIO IV.

Deus unico simplicissimo actu omnia simul cognoscit.

194. *Pr.* Actuum immanentium distinctio et successio internam entis, cujus sunt actus, mutationem involvunt: siquidem actus praecedens non esset consequens, atque ideo ens illud postea haberet actum quem antea non habuisset. Cum itaque Dei cognitio sit eidem immanens, nullaque interna mutatio esse in eodem possit (§. 158.); manifestum est, quod Deus unico simplicissimo actu omnia simul cognoscit. *Q. E. P.*

195. *Corol.* I. Divina scientia *intuitiva* est, non *discursiva*. Discursus enim sive ratiocinatio actuum multitudinem distinctionemque involvit: fit namque quatenus aliud judicium ex aliis infertur (*Log.* §. 187.), adeo ut ex praecedente præmissarum cognitione subsequens consequentis cognitio eruatur. At Deus unico simplicissimo actu omnia simul cognoscit (§. 194.).

196. *Corol.* II. In Deo nulla est *sensio*; haec enim a sensibus

(*a*) *Lib.* 4. *de Deo cap.* 5. (*b*) *In Ps.* 49. *n.* 18.

sibus pendet (*Psicol.* §. 364.), quibus caret Deus (§. 185.). Nulla *imaginatio*, cum pendeat a sensione (*Psycol.* §. 368.), quae esse in Deo non potest. Nulla *memoria*; iteratam namque rei antea cognitae perceptionem postulat (*ibid* §. 479.). in Deo autem non est nisi unicus simplicissimusque intellectus sui actus (§. 194.). Nulla denique *abstractio*; fit enim, quatenus avocatur attentio ab aliis rebus, ut res alia attentius perspiciatur (*Psycol.* §. 375.), atque ideo quatenus res una sine alia cognoscitur. At Deus unico simplicissimoque actu omnia et quidem simul cognoscit (§. 194.). Has itaque aliasque id genus mentis humanae operationes non *formaliter*, sed *eminenter* tantum in se continet Deus.

197. *Corol.* III. Divina scientia est plane immutabilis: est enim actus unicus et simplicissimus (*ibid*), qui praeterea cum immanens sit, mutari non potest, quin Deus ipse mutetur, quod quidem omnino repugnat (§. 158.). Adde quod paullo superius hac super re dicebamus (§. 159.).

198. *Corol.* IV. Ex nostro tantum concipiendi modo eas plures, quas commemoravimus (§. 191.), scientias in Deo distinguimus: unicus siquidem simplicissimusque actus, quo Deus ipse omnia simul cognoscit (§. 194.), distingui in plures sane non potest.

PROPOSITIO V.

Deus summa pollet ratione.

199. *Pr.* *Ratio divina* in perfectissima atque intuitiva nexus plane omnium veritatum cognitione sita est (*Psycol.* §. 387.). Jam vero omnium veritatum nexum novit Deus, et quidem intuitive ac perfectissime. Novit, inquam; est enim omniscius (§. 190.): intuitive; scientia namque Dei nisi intuitiva non est (§. 195.): perfectissime denique; quandoquidem scientia est perfectio, quae in Deo esse debet infinita (§. 150.). Deus itaque summa pollet ratione. *Q. E. P.*

PROPOSITIO VI.

Quidquid vult ac facit Deus, fine sapientissimo seu optimo vult ac facit.

200. *Pr.* Velle atque agere propter finem aliquem, adeo proprium est entium ratione praeditorum, ut commune illud verissimumque in Scholis invaluerit proloquium: *omne agens rationale agit propter finem*: id enim est sapienter non brutorum instar aut lapidum velle atque operari. Jam vero Deus summa pollet ratione (§. 199.): vult igitur atque agit pro-

pter

pter finem. Hic porro finis esse non potest nisi sapientissimus seu optimus : quandoquidem debet divinae suae sapientiae rationique, quae summa est ac perfectissima, omnino respondere. Igitur quidquid vult ac facit Deus, fine sapientissimo seu optimo vult ac facit. *Q. E. P.*

PROPOSITIO VII.

Deus est summe verax.

201. *Pr.* Deus falli nequit, cum sit omnisoius (§. 190.); et nequit fallere, cum sit sanctissimus (§. 156.). Sed quod neque falli neque fallere potest, summe verax et est et dicitur. Itaque Deus est summe verax. *Q. E. P.*

ARTICULUS II.

De positivis Dei attributis ad voluntatem spectantibus.

PROPOSITIO I.

Deus voluntatem et quidem perfectissimam habet.

202. *Pr.* Voluntatem esse perfectionem, nemo unus negaverit. At Deus perfectiones omnes possibiles in sese complectitur (§. 149.). Praeterea voluntas arctissimo cum intellectu et ratione nexu conjungitur. Est autem in Deo infinitus intellectus et ratio (§. 187. 199.). Accedit, quod Deus prae aliis possibilibus Mundis hunc, quem incolimus, procreavit. Hoc autem fieri sine electione; electio autem sine voluntate non potest. Tandem si Deus voluntate careret, careret quoque bonitate morali, misericordia, justitia, amore, felicitate, ceteris, quae ad voluntatem pertinent, et sine quibus Deus non est, uti subinde demonstrabimus, facileque concedet quisquis infinite perfectam ipsius Dei naturam agnoverit. Porro divina haec voluntas esse debet perfectissima : quaelibet enim, quae in Deo est, perfectio infinita sit oportet (§. 150.). Deus igitur voluntatem et quidem perfectissimam habet. *Q. E. P.*

203. *Schol.* Multiplex juxta nostrum concipiendi modum in Deo distingui solet voluntas, scilicet voluntas *beneplaciti et signi*, *antecedens et consequens*, *efficax et inefficax*, *absoluta et conditionata*, *necessaria* demum et *libera*. Singulas brevissime explicemus.

Voluntas *beneplaciti* est proprius divinae voluntatis actus, puta

puta quo seipsum resque creatas sed bonas vult; *signi* autem est externum ipsum ejusdem voluntatis divinae signum, velut mandatum, quo praecipit ut nos ipsum diligamus: sicuti enim signum irae *ira* dicitur, ita etiam signum voluntatis *voluntas* adpellatur. Porro id genus voluntas quintuplex vulgo est, *praeceptum*, *prohibitio*, *permissio*, *consilium*, et *operatio*, unde illud:

Praecipit, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Antecedens, qua rem praecisis specialibus ejusdem circumstantiis generatim et in seipsa spectatam vult Deus, puta qua vult omnes homines aeternum beatos; *consequens* vero, qua rem speciatim suis ornatam praeditamque circumstantiis vult, puta qua vult electis aeternam gloriam re ipsa impertire.

Efficax, quae suum sortitur effectum; quae autem effectum suum non sortitur, *inefficax*.

Absoluta, qua sub nulla conditione seu hypothesi vult rem aliquam; qua vero rem aliquam vult sed sub conditione aliqua seu hypothesi, *conditionata*.

Necessaria demum, qua objectum aliquod, puta seipsum necessario vult seu non potest non velle; *libera* autem, qua objectum aliquod, puta Mundi hujus creationem conservationemque vult quidem, sed tamen libere; seu absolute potest non velle; Haec innuisse sufficiat.

PROPOSITIO II.

Omnia, quae vult Deus, unico et simplicissimo actu et quidem ab aeternitate vult.

204. *Pr.* 1. *pars.* Unicus divinae voluntatis actus, cum infinitus sit, omnino sufficit, ut plane omnia velit quae vult. Plures itaque distincti actus non necessarii essent, sed prorsus inutiles. At nihil inutile in Deo est vel esse potest, uti per se liquet. Ergo omnia, quae vult Deus, unico et simplicissimo actu vult. *Q. E.* 1. *pars.*

205. *Pr.* 2. *pars.* Si Deus ex aeternitate non omnia voluisset quae vult, sed successu temporis, aliquid saltem voluisset postea, quod antea non volebat. Hoc autem esse non potest. Nam 1. illud ipsum motivum, quod in tempore prae oculis habet cur velit, habuisset quoque ex aeternitate, cum ex eternitate omniscius fuerit (§. 190.). Nulla est igitur sufficiens ratio cur postea velit, quod antea non voluerat. 2. Volitio, de qua sermo nunc est, velut pro-

prius divinae voluntatis actus hoc loci sumitur. Itaque si vellet in tempore quod ex aeternitate non voluisset, aliqua ratione intrinsecus mutaretur; quod cum falsum sit (§. 158. 159.), manifestum est, quod omnia, quae vult Deus, ab aeternitate vult: Q. E. 2. *pars*.

206. *Schol.* Eodem actu, quo seipsum necessario vult Deus, vult quoque sed libere res alias futuras; cum voluntatis suae actus unicus sit ac simplicissimus (§. 204.). Quatenus porro hic idem actus ad creatas res terminatur, dici solet *decretum*. Multiplex in Scholis assignatur. *Positivum*, quo Deus aliquid puta Mundi hujus creationem intendit ac vult consequi. *Permissivum*, quo aliquid velut peccatum, quod ceteroqui quantum ex ipso est nollet, vult tamen permittere. *Antecedens*, *consequens*, *absolutum*, *conditionatum*, similia, quae facili negotio ex dictis (§. 203.) intelliguntur. Illud potius observandum hoc loci est, divina haec decreta esse plane immutabilia: quidquid enim vult Deus, ab aeternitate voluit decrevitque (§. 205.), neque illa ex aeternitate edita potest mutare nisi aut ex levitatis inconstantiaeque, aut ex ignorantiae suppositione (§. 159.); quod quidem cadere in Deum non potest. Observandum est praeterea, quaedam divina decreta sub conditione edita a Deo fuisse, proindeque inutilia non esse, sicuti quorumdam ignavia sibi fingit, vota nostra preces conatus opera, quorum positio conditionem ipsam constituit, quemadmodum praesertim ex sacris Scripturis saepenumero apertissime edocemur.

PROPOSITIO III.

Deus est per se beatissimus.

207. *Pr.* Deus omnes omnino perfectiones easque infinitas, in se complectitur (§. 149. 150.), adeo ut sit quoddam summum bonum (§. 155.), et quidem per essentiam suam, cum a nulla alia re dependeat (§. 142.). Habet quoque perfectissimam voluntatem (§. 202.), qua laudatis infinitis perfectionibus bonisque perfruatur summeque gaudeat: nam ex bonorum omnium possessione voluptas plenissima et gaudium omnium maximum nascatur necesse est. At vero quod voluptate maxima maximoque gaudio per essentiam suam perfunditur, beatissimum quoque per se est. Igitur Deus est per se beatissimus, Q. E. P.

208. *Schol.* Cum Deus sit per essentiam suam beatissimus; nihil profecto felicitatis gaudiique eidem accedit ex sive hominum

minum sive Angelorum consortio, adeo ut aeque beatus fuerit essetque futurus etiam sine ulla creatura, aut quamvis omnes Angeli hominesque aeternum perirent. Tum putandum non est, Dei voluptatem esse sensibilem: non enim aut corporeus est, aut corporeis membris sensibusque donatur (§. 184. 185.)

PROPOSITIO IV.

Deus quoad rerum creationem est liberrimus.

209. *Pr.* Necessitas quantum ad praesens institutum pertinet, alia *interna* est, *externa* alia, et alia *coactionis* (*Psychol.* §. 535.). At Deus nulla omnino quoad rerum creationem adigitur id genus necessitate. Non *interna*; nulla quippe alia re a se distincta indiget Deus neque ut existat cum existat *a se* (§. 4.); neque ut sit quod est aut melior perfectiorque, cum per essentiam suam sit plane independens (§. 143.), sibi sufficientissimus (§. 145.), per se beatissimus (§. 207.), undequaque infinitus perfectissimus optimusque (§. 152.). Indigeret autem, si interna necessitate ad res creandas adigeretur: hac enim in hypothesi existere esseque quod est sine his rebus non potuisset. Non *externa*: Deo namque res nulla dumtaxat possibilis inferre vim potest, ut ipsam necessario creet aut producat: non enim adhuc existit, estque ad existendum omnino indifferens, atque ideo, sicuti obsistere nequit sui creationi, ita etiam Deum ad creationem sui nequit adigere. Non demum *coactionis*: quippe id genus necessitas supponit necessitatem externam (*Psychol.* §. 535.), quam nullam esse in Deo antea demonstravimus. Nulla itaque adigitur necessitate. Sed praeterea vim habet sibi propriam sese determinandi; secus namque eam ab alio a se distincto accepisset, quod aliquam ab alio dependentiam imperfectionemque redoleret. Quocirca cum agens illud sit *liberum*, quod nulla omnino necessitate ad operandum adigitur, quodque ad agendum sese determinat vi sibi propria (*ibid.* §. 546.); apertissime sequitur, quod Deus quoad rerum creationem est liberrimus. *Q. E. P.*

PROPOSITIO V.

Liberrimus quoque est quoad externas suas in res creatas actiones.

210. *Pr.* Haec positio iis ipsis argumentis ostenditur, quibus invictissime praecedentem demonstravimus: nemo enim non videt, ea ipsa etiam in re, de qua agimus, locum habere,

bere. Deus igitur liberrimus quoque est quoad externas suas in res creatas actiones. *Q. E. P.*

211. *Schol.* Memorata divina libertas quoad res a Deo distinctas elucet etiam ex supremi perfectissimique in eas dominii idea, per quod possit alias aliasque res pro lubitu efficere, ipsasque his aut aliis modis possibilibus modificare: dominium siquidem, quod etiamsi res aliae aliique modi sint possibiles, ad hoc vel illud aut hoc vel illo modo necessario ac sine ulla libertate efficiendum adigitur, imperfectius est ignobiliusque, cum certis quibusdam limitibus coarctetur. Elucet quoque ex quo Deus mundum non ex aeternitate, sed in tempore condiderit, uti suo loco demonstrabimus; quod certe fieri sine libertate non potuit. Dicta sufficiant. Illud potius hoc loci animadvertisse juverit, scilicet libertatem Divinam non iis profecto scatere defectibus, quibus scatet humana, nempe non bonum, quod tantum apparens sit, spectare; non posse ad malum deficere flectique; non involvere plurium diversorum actuum successionem; non haerere suspensam; non demum esse incostantem versatilem mutabilemque; quae quidem omnia et singula ex hactenus dictis quam facile colliguntur.

Fatalistarum argumenta expenduntur.

212. *Ob.* Quod actu semper agit necessario, non est liberum; sed Deus vi decreti ex aeternitate editi ejusque immutabilitatis actu etiam *ad extra* semper agit necessario: ergo falsa utraque praecedens propositio.

213. ℟. *D. maj.*, quod actu semper agit necessario, simulque necessario sese ad agendum determinavit, non est liberum, *C.*, si non necessario sed libere sese ad agendum determinavit, *N. maj.*; *et D. min.*, Deus etc. ita tamen ut hoc decretum fuerit liberum, *C.*, necessarium, *N. min. et cons.* Ut aliquid *necessario* operari dicatur, oportet, quod etiam determinatio ad operandum *necessaria* fuerit. Nam si haec sit libera, liberum quoque erit quod vi ipsius fit, etiamsi actu fieret necessario. Profecto siquis libere sese ex alto praecipitaverit, ejus casus quamvis actu fiat necessario, vi tamen liberae determinationis et ipse esset liber. Porro Deus libere sese ad creandas efficiendasque res a se distinctas determinavit. Etsi igitur vi immutabilitatis suae actu operetur necessario quidquid operatur, nihilo tamen minus liberrimus quoad opera *ad extera* censendus est.

214.

214. *Inst.* Omne bonum, ut commune fert proloquium, est suapte natura sui diffusivum; sed Deus est summe bonus: ergo est quoque suapte natura sui diffusivus, proindeque necessario sese ad Mundi creationem determinavit.

216. ℞. *D. maj.*, omne bonum &c., hoc est, si rationale sit, quamdam habet ad sui diffusionem extra se habitudinem, ut ita dicam, propensionemque, non tamen necessario determinantem, *C.*, secus, *N. maj.*; et *C. min.*, *N. cons*. Ex quo Deus sit summe bonus, hoc unum sequitur, nempe ipsum certam quamdam habere ad res creandas habitudinem ac propensionem, non autem adigi necessario, cum nulla neque interna neque externa neque demum coactionis necessitate ad opera *ad extra* compellatur (§. 209.). Exemplo sit homo.

216. *Inst.* Si Deus bonitatem suam extra se re ipsa diffudit, aderat procuidubio summa ratio, cur id praestaret; quae equidem ratio esse debuit plane sufficiens. At posita ratione sufficiente, poni etiam et quidem necessaro debet ipsum *rationatum* (*Ontol. Annot. in* §. 214.): igitur Dei ad sui diffusionem habitudo veram necessitatem eidem Deo infert. Quod si secus, ergo potuisset Deus summae huic sapientissimaeque rationi obsistere, proindeque in creationis rerum negotio se gerere insipienter; quod sane omnino repugnat.

217. ℞. Aderat profecto ratio, cur Deus bonitatem suam extra se diffunderet: quidquid enim vult ac facit, fine sapientissimo seu optimo vult ac facit (§. 200.). Sed tamen cum idem Deus sit sibi sufficientissimus et nullius cujusvis rei indigus, resque extra ipsum sint finitae perfectionis; ratio illa fuit sufficiens effecitque tantum, ut posset sapienter velle, non autem ut vellet necessario.

Quod addebatur, nullius est momenti. Summae rationi non opponitur libertas, sed quinimmo libertas supponit rationem ipsam ab eaque procedit (*Psychol.* §. 582.). Quare ubi summa ratio habetur, ibi habetur quoque summa libertas, nisi forte aliquid aliud praeterea adfuerit, a quo necessario adigatur. At nihil in Deo vel extra Deum est, quod ipsum ad rerum creationem compellat. Itaque sapientissime per Mundi creationem se gessit Deus, simulque liberrime, adeo ut non se gessisset insipienter, si Mundum non creasset. Scilicet Mundi creatio beneficentia fuit, non necessitas. Illustrari id posset exemplo hominis, qui bona sua aliis communicare nulla lege nullaque necessitate teneretur.

218. *Dices*. Libertas est ad agendum vel non agendum indifferentia, ideoque quod liberum est, indifferens supponitur atque indeterminatum. At vero Deus nunquam quoad rerum creationem indeterminatus fuit atque indifferens : ergo nunquam liber.

219. ℟. Quod libertas haereat suspensa, defectus est libertatis finitae (§. 211.), quod propterea esse in Deo non potest. Itaque ad divinam libertatem plane sufficit, quod Deus eatenus indifferens sit atque indeterminatus, quatenus omnino nulla neque interna neque externa necessitate sese determinaverit, quamvis haec ipsa determinatio in eodem fuerit, ut esse debuit (§. 205.) ex aeternitate.

Alterum objectionis caput peti ex eo solet, quod Deus sit immutabilis, quasi nimirum divina immutabilitas conciliari simul cum ejusdem libertate non possit. Sed hunc etiam nodum jam solvimus (§. 165. 166.), quantum ex brevissima humana nostra ratione solvi posse putamus.

PROPOSITIO VI.

Deus est omnipotens.

220. *Pr*. Caussa illa, quae vim habet creandi rem aliquam, vim quoque habere debet creandi res plane omnes, quae sint absolute possibiles, aeque enim res una possibilis quam alia, quae creanda sit, in nihilo sui et subjecti est (*Ontol*. §. 305. 306.). Caussa praeterea, quae vim habet creandi res omnes, vim etiam habet res omnes possibiles producendi; plus namque est creare rem aliquam, quam eamdem dumtaxat producere (*ibid*. §. 305.). Jam vero Deus est prima ac suprema hujus Universi caussa (§. 4.), proindeque substantias, quae in eodem sunt, creavit. Habet igitur vim creandi producendique res plane omnes absolute possibiles. At vis isthaec *omnipotentia* est et adpellatur. Tum res quaevis possibiles a Deo distinctae aliquam habere in se debent ad reapse existendum relationem. Porro contingentes sunt: igitur sufficiens hujus relationis ratio non in ipsis sed in alio sit oportet. Sed hoc aliud esse non potest nisi Deus: ipse enim solus est prima existentiae cujusvis contingentis rei caussa; praesertim cum si Deus nequit laudatis rebus existentiam tribuere, multo sane minus hoc idem poterit qualecumque ens aliud Deo longe imperfectius ignobiliusque. Deus itaque ejusque potentia in se continet rationem sufficientem, cur res illae omnes et singulae possint reapse exi-

existere, atque ideo nihil omnino ejusdem virtutem fugit et efficacitatem. Postremo si Deus efficere non posset res plane omnes possibiles, ejus potentia non esset infinita: concipi enim posset alia, quae plus quam ipsa valeret, et aliqua res finita, ea nempe, quae fieri a Deo non posset, ipsam ejusdem Dei potentiam aut aequaret aut superaret limitaretque. At illud plane repugnat (§. 150.). Igitur Deus potest efficere omnia, sive, quod in idem recidit, est omnipotens. *Q. E. P.*

Solvuntur difficultates.

221. *Ob*. Deus efficere nequit, ut omnia omnino etiam absolute possibilia *actu* existant; nequit mori falli mentiri; nequit justum hominem, quatenus justus est, punire, aliaque id genus plura: ergo non est omnipotens.

2. Quaelibet potentia debet habere naturalem sibique proprium terminum, ad quem tendat ac referatur. Quare ut divina potentia dici possit infinita, infinitum terminum habere deberet. At nullus extra Deum esse potest terminus infinitus: quidquid enim extra ipsum est, finitum sit oportet. Igitur divina potentia infinita non est, neque proinde Deus dici potest omnipotens.

3. Deus nequit efficere nisi ea, quae reapse effecit aut facturus est. Siquidem potentia et voluntas in Deo sunt idem realiter. At voluntas non voluit nisi ea, quae re ipsa effecit Deus vel est facturus: ergo nonnisi haec eadem potest divina potentia. Jam vero praeter haec, sunt alia plura imo infinita, quae sunt absolute possibilia. Nam, omissis ceteris, dato uno possibili finito, alia sunt eaque infinita absolute possibilia eidem plane similia (*Ontol.* §. 137.). Cum itaque haec alia efficere non possit Deus, quamvis neque *impossibilia* in se sint neque *incompossibilia*; ne est quidem omnipotens.

4. Deus efficere non potest nisi meliora. Cetera itaque, quae innumera sunt quin et infinita, fieri a Deo non possunt.

222. ℟. *ad* 1. Sunt quaedam, quae quamvis seorsum accepta ac pro diversa temporum, status, objecti, similium conditione sint possibilia, simul tamen esse non possunt, velut libertas indifferentiae et inertia, quae idcirco incompossibilia a Philosophis adpellantur (*Ontol.* §. 28.), quaeque perinde sunt ac plane *impossibilia*: si enim simul ea essent in eodem subjecto, quae simul esse non possunt, subjectum

bjectum illud ex iis constaret, quae se mutuo destruunt; quod omnino repugnat (*ibid.* §. 13.). Haec itaque efficere non potest Deus, quamvis sit omnipotens: nam absolute impossibilia ad divinam omnipotentiam nullatenus pertinent (*ibid. Annot. ad* §. 22.). Jam vero nequeunt *actu* existere omnia, quae seorsum accepta sunt absolute possibilia, quin plura incompossibilia simul existant; puta possibile est, quod unus idemque lapis frigidus aut calidus sit; at incompossibile, quod frigidus simul sit et calidus. Quare ideo non potest Deus efficere, ut omnia etiam absolute in se possibilia *actu* existant, quia hoc idem est impossibile. Impossibile autem ad omnipotentiam divinam non spectat, uti antea dicebamus. Deus igitur esse potest estque re ipsa omnipotens, quamvis efficere illud non possit.

223. Deus praeterea nequit mori, falli, mentiri: haec enim posse non potentia, sed impotentia est et imperfectio: unde Augustinus, Deus, inquit (*a*) *dicitur omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult*: immo vero *ideo omnipotens est quia ista*, mori nimirum falli mentiri *non potest* (*b*).

224. Nequit demum justum hominem, quatenus justus est, punire, atque id genus alia, eo quod ipsa divinis ejusdem attributis adversentur; unde in Deo distinguenda est potentia *absoluta* seu *physica*, *et moralis* sive *ordinata* (§. 139.) Priori illa multo plura potest quam hac altera: quae quidem duo divinae naturae mirifice congruunt, eamque exornant. Primum illud, quia Deus est omnipotens; hoc autem alterum, quia optimus est ac perfectissimus.

225. ℟. *ad* 2. Divinae potentiae terminus est infinitus, non quatenus aliquis esse possit realis ac subsistens, a quo potentia ipsa penitus exhauriatur; bene vero quatenus potest Deus alia atque alia in infinitum, quin nempe unquam finis ullus ac limes poni possit, efficere. Sane si Deus creare potuit unum hominem, cur non etiam alium aliumque sine ullo prorsus fine ac limite in infinitum?

226. ℟. *ad* 3. Potentia et voluntas in Deo sunt unum idemque realiter quoad entitatem, non tamen quoad tendentiam et terminationem ad objecta. Voluntas enim non terminatur nisi

(*a*) *Lib.* 5. *de civit. Dei cap.* 10.

(*b*) *Serm. de Symbolo ad Catechum. cap.* 1.

nisi ad ea, quae Deus ipse ex infinities infinitis possibilibus efficienda liberrime elegit; potentia autem ad omnia ipsa infinities infinita possibilia. Unde voluntas est signum omnipotentiae, quia potest quidquid vult; non vero formalis ipsa ratio omnipotentiae, cum illa minus quam isthaec sese extendat. Falsum est igitur, Deum efficere non posse nisi ea, quae reapse effecit aut deinceps facturus est.

227. ℟. *ad* 4. Falsum quoque est, efficere Deum non posse nisi ea, quae non solum quoad finem aliosque respectus, de quibus ubi de *optimismo*, sed etiam in se inspecta fuerint meliora, quemadmodum paullo inferius demonstabimus. Ceterum Leibnitiani ideo contendunt, Deum efficere non posse nisi meliora, quia secus Deus ipse sapientiae suae adversaretur. Itaque ad summum non esset in Deo potentia *ordinata* quoad ea, quae optima non sunt. At vero, nihil omnino id officere divinae omnipotentiae paullo superius adnotavimus (§. 224.).

PROPOSITIO VII.

Deus est fidelissimus.

228. *Pr*. *Fidelitas* ea est virtus, qua quis non violat promissa seu datam fidem, sed constanter servat. Porro datae fidei violatio concipi in Deo non potest, nisi aut si ipse non sincere promiserit; aut si sine ratione ulla mutetur; aut si mutetur ratione aliqua; aut demum si ea, quae promisisset, adimplere non possit. Si primum: ergo non summe verax sed mendax esset. Si alterum; ergo esset levis et inconstans, quod est imperfectio. Si tertium; ergo eidem innotuisset nova ratio, quam antea ignoraverat, atque ideo non esset per essentiam suam omniscius. Si tandem postremum; ergo non foret omnipotens. At haec in Deo omnino repugnant (§. 201. 154. 190. 220.). Igitur Deus est fidelissimus. *Q. E. P.*

PROPOSITIO VIII.

Deus est beneficus.

229. *Pr*. *Beneficentia* est constans voluntas conferendi, quantum ad ipsam attinet, creatis rebus perfectiones, veramque, prout earum natura postulat, felicitatem ac bene esse. At Deus, quantum ad ipsum spectat, hanc habet voluntatem: nam perfectiones omnes omnisque felicitas, quam habent creaturae, quamque inhiant, tum bene esse a Deo procedunt, cum ipse sit prima totius Universi, omniumque o-

15. mnino

mnino rerum, quae in eodem sunt, caussa (§. 4.). Itaque est beneficus. *Q. E. P.*

230. *Schol.* Opus non est, ut contraria Incredulorum argumenta, quae ex malis peti solent, hoc loci extricemus. Multa namque jam antea praefocavimus (§. 115. *et seqq.*): alia vero, quae adhuc supersunt, opportunius, ubi nimirum de divina providentia, ad trutinam limamque revocabimus.

PROPOSITIO IX.

Deus est justus.

231. *Pr.* Divina *justitia* concipi potest vel quatenus in Deo est, vel quatenus hunc Mundum atque ea, quae in eodem sunt, spectat. Priori sensu accepta est ordinatissima ejusdem voluntas; accepta autem sensu altero est ordo ipse divinus ad rerum molitionem gubernationemque applicatus. Jam vero Dei voluntas ordinatissimo aeterno ipsius intellectui consonet necesse est, cum plane nulla voluntatem inter et intellectum, seu inter divina haec attributa esse possit pugna. Voluntas praeterea illum mutare nequit aut perturbare ordinem, quem intellectus voluntatem ipsam dirigens ex aeternitate conceperat, adeo ut praesens hic Mundus aeterno illi intelligibili, ut ita dicam, Mundo respondere ad unguem debeat. Igitur Deus est justus. *Q. E. P.*

232. *Schol.* Quidam divinam justitiam eo tantum in sensu spectant, quatenus ipsa ad res creatas pertinet, eamque esse ajunt *bonitatem sapienter administratam*; aut *virtutem, quae reddit unicuique quod suum est*. Ipsam in Deo esse nemo unus negaverit. Nam Deus bonus est sive beneficus (§. 229.) Est quoque sapientissimus (§. 190.). Igitur bonitatem suam nequit nisi sapientissime administrare. Sapiens autem administratio postulat, ut unicuique, quod suum est, reddatur. Duplex porro universim est justitia, *commutativa*, qua unum pro accepto datur; et quidem in aequalitate rei datae ad rem acceptam; et *distributiva*, qua pro meritis sive bonis sive malis vel praemium rependitur vel supplicium. Si supplicium pro malis meritis rependatur, justitia haec vocabulo sibi proprio *vindicativa* seu *vindex* dici consuevit. Prior illa in Deo non habetur: cum enim omnia ex Deo sint, nec quisquam quidpiam dederit, pro quo sibi a Deo retribuatur, jure in ipso justitia commutativa non est; unde

illud

illud Apostoli (*a*) : *quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Nihilo tamen minus cum Deus hominum opera gratiae auxilio elicita veluti si essent nostra recipiat, et inter haec opera et gloriam statuerit proportionem aliquam et aequalitatem; idcirco laudata justitia sed latiori sensu usurpata in Deo esse dici potest. Altera porro est in Deo: sicuti enim necessario diligit opera bona, et mala opera odio habet, ita etiam illis quidem praemium, his autem poenam adjudicat, nempe reddit unicuique secundum opera ejus.

PROPOSITIO X.

Deus est misericors.

233. *Pr. Misericordia* est ex Augustino (*b*) tranquilla Dei bonitas seu voluntas subveniendi aliis, eosque a miseria liberandi. Hanc bonitatem voluntatemque in Deo esse Natura ipsa ubique clamitat, adeo ut misericordia Domini plena sit terra. Sed constat praeterea ex quo Deus hominem ad perfectam felicitatem non condiderit modo, uti perspicuum est ex innato omnipotentique, quo ad illam ipsam tendit, irrequieto conatu; verum etiam quantum ad ipsum Deum pertinet, omnino ac sincere velit, ut homo eam assequatur (*Psycol*. §. 65.). Nam sincere non vellet Deus hominem felicem beatumque, nisi simul eam haberet voluntatem, qua subveniat eidem homini, ipsumque a miseria liberet, cum miseria felicitati plus minus adversetur. Porro voluntas haec ac bonitas tranquilla est, non turbida: nihil enim turbationis in Deo immutabili ac beatissimo esse unquam potest. Igitur Deus est misericors. *Q. E. P.*

PROPOSITIO XI.

Deus non est invidus.

234. *Pr. Invidentia* est tristitia orta ex alterius perfectione, quatenus illam nobis vel amatis evenire peroptamus (*Psycol*. §. 601.). At Deus neque tristari potest, cum sit beatissimus (§. 207.); neque sibi aut ejus amatis alterius perfectionem peroptare. Non equidem sibi, cum perfectio nulla eidem desit, sed plane omnes possibiles easque infinitas per essentiam suam complectatur (§. 149. 150.). Non ejus amatis: cum enim sit undequaque infinitus (§. 152.), independens (§. 143.), omnipotens (§. 220), ac liberrimus

---

(*a*) *Ad Rom. cap*. 11. *v*. 35.

(*b*) *Ad Simplicianum lib*. 2. *q*. 2. *n*. 3.

mus (§. 210.); potest quasvis perfectiones amatis suis elargiri sine ulla omnino alterius cujusvis rei injuria, et quin eas a rebus aliis, quibus ipsas jam concessit, auferre cogatur. Deus igitur non est invidus. *Q. E. P.*

235. *Schol.* Duos tantum innuimus affectus, quorum alter est in Deo, alter vero in Deo non est. Verum ut nihil, quod Deo indignum sit, eidem adjudicemus, operae pretium ducimus, quaedam hoc loci animadvertisse, quae facem præferant, ut recte de divinis affectibus sentiamus. Imprimis itaque sunt quidam affectus, qui vitiosi per se sunt, velut *libido*, *avaritia*, *invidentia*, similes: alii vero quamvis in hominibus laudabiles sint, uti *poenitentia*, *pudor*, *timor* Dei, aliique id genus, attamen plane dedecent divinam naturam. His igitur caret Deus. Porro alii quique affectus, qui in hominibus non minus quam in Deo esse possunt, non eodem sane modo eademque ratione in utrisque sunt. Aliter sunt in hominibus et aliter in Deo, quamvis idem omnino nomen penes nos sortiantur. Quatenus habentur in nobis, sunt *certae quaedam naturae commotiones, quae cum aliqua praeternaturali sanguinis, spirituum animalium, corporisque vel ejus partium perturbatione conjunguntur* (*Psychol.* §. 598.): Hinc successivi quoque sunt mutabilesque, sunt enim totidem distincti actus animi, quorum alii aliis succedunt. Atque haec in affectibus omnibus, etiam in iis, qui voluptate perfunduntur, veluti *hilaritas*, *gloria*, *acquiescentia*, locum habent. Quoad alios vero, qui conjunguntur cum dolore aliquo, velut *ira*, *misaricordia*, *zelus*, accedit praetetea internus quidam animi cruciatus. At in Deo nulla omnino esse potest naturae commotio, nulla perturbatio corporis, nulla actuum successio ac mutatio, nullus cruciatus, dolor nullus; nulla tristitia. Quid igitur universim sunt ac dici possunt affectus divini? Sunt nempe *aeterna quaedam divinae rationis decreta, immota prorsus Dei natura, seclusaque successione quavis ac mutatione, tristitia quoque dolore cruciatu, ex quibus quidem decretis bona vel mala in creaturis consequuntur*. Quod ut perspicue constet, eos potissimum affectus expendamus cum laudato Augustino (*a*), *iram* nempe *misericordiam et zelum*, qui cum dolore aliquo in nobis conjuncti sunt. Itaque *ira* hominis tur-

(*a*) *loco citato n.* 2. *et* 3.

turbida est, et non sine cruciatu animi; at *ira* Dei, ipso in tranquillitate jugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili aequitate vindictam, dicique jure potest ipsa justitiae aequitas seu lex aeterna, quae poenas statuit irrogatque (*). *Misericordia* hominis habet nonnullam cordis miseriam. Quis autem sano capite dixerit, ulla miseria tangi Deum? *Zelum* humanum non sine peste livoris intelligimus; zelantem vero Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo. Quare detrahendum ab humanis affectibus est, quod divinae naturae non convenit, ut affectus divinos rite concipiamus. De ira hominis, prosequitur S. Doctor, detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictae vigor. De misericordia si auferas compassionem cum eo, quem misereris, participatae miseriae, ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi et a miseria liberandi, insinuatur divinae misericordiae qualiscumque cognitio. Auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, et morbidam perturbationem animi, remaneatque illud solum judicium, quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, et adsurgimus ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei. Doctrina haec bona in luce collocat quid de aliis divinis affectibus sentire, uti par est, debeamus.

SECTIO III.

De Dei in res creatas actionibus.

Actiones omnes, quas Deus in res creatas exercet, quasque naturae lumine expendere possumus ac versare, triplici potissimum sub aspectu ipsum nobis exhibent, nempe velut *creatorem*, *conservatorem*, *provisoremque*. Hanc itaque Sectio-

(*) *Deus, qui ira eo sensu intellecta, quo ipsa divinae naturae convenire possit, omnino caruerit, est Deus Epicureorum, qualem nobis exhibuit epicureus Lucretius ita canens* (lib. 1. v. 57.):

Omnis enim per se natura divum necesse est
Immortali aevo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira,

ctionem in tria capita distribuimus, quibus eam, quae superest, Theologiae naturalis partem absolvemus.

CAPUT I.
De Deo Creatore.
QUÆSTIO V.

Utrum Deus hunc Mundum condiderit?

236. *Def. Mundi* seu *Universi* nomine hoc loci intelligimus rerum omnium corporearum universitatem, seu compagem ex coelo terraque, atque ex iis naturis, quae in coelo ac terra sunt, coagmentatam.

237. *Schol.* Alius est vulgi sensus, cui mundus nihil aliud est, quam haec nostra, quam incolimus, Tellus. Porro ad novam Universi molitionem non minus *creatio* proprie dicta quam *simplex productio* requirebatur. *Creatio* quidem sive eductio substantiarum ex nihilo tum sui cum subjecti (*Ontol.* §. 228.); sicuti enim substantia per sese existit, seu ut existat opus non habet subjecto ullo, cui inhaereat (*ibid.* §. 158.), ita antequam existeret, si quidem contingens fuerit, uti reapse est hujus mundi substantia (§. 14.), in nullo subjecto esse potuit, atque ideo ut primum existens fieret, ex nihilo tum sui cum subjecti educi debuisset. *Productio* autem: substantias namque a Deo creatas ita disponi oportebat ordinarique, ut tanta, quanta est atque in dies fit, rerum varietas ac vicissitudo haberetur. Itaque res plures eductae sunt ex nihilo quidem sui sed non subjecti, quales sunt plantae, animantia, atque id genus alia, quae antequam prodirent in lucem, in praexistente materia continebantur; quae quidem eductio dici *simplex productio* in scholis consuevit (*ibid.* §. 228.). Hinc mundus iste duplicem velut rerum classem, entia nimirum *permanentia*, uti sunt substantiae seu materia, et *successiva* ut plantarum ortus atque interitus, complectitur; jureque Wolfius mundum esse ait (a) *rerum finitarum simultanearum et successivarum seriem*. Quanam porro ratione velutque methodo atque ordine mundum fabricaverit Deus, si non omnino, saltem quantum pertinere ad philosophum catholicum possit, consen-

(a) *Theol. nat.* §. 834.

sentanee ad verissimam exploratamque Mosis narrationem alibi exposuimus (*Astron. phys.* §. 617.).

238. *Corol.* Si Deus hunc mundum condidit, est quoque creator.

Sensus quaestionis.

239. Quaerimus, num Deus adspectabilem hanc rerum corporearum universitatem, quam *mundum* adpellamus, condiderit?

Quid senserint Philosophi.

240. Epicurus, Lucretius, Mirabaud, omnesque Athei Deum, cum ejus existentiam negent, mundum condidisse aperte inficiantur. Mitiores fuerunt quidam alii praesertim ex Platonis schola, quibus non sine contradictione adhaesit Cicero apud Lactantium (a). Materiam aeternam esse et increatam, sed tamen Deum ex ipsa veluti ex præexistente subjecto mundum fabricasse docebant (*). Mittimus, qui Deum non immediate per sese, bene vero vel ipsis naturae legibus viribusque, vel daemonum aut Angelorum ut minorum Deorum ministerio mundum fecisse opinati sunt, ut Plato, et Thimaeus Locrensis: quo in luto haeserunt quoque plerique veteres haeresum architecti Simon, Menander, Saturninus, Basilides, Carpocrates, et Cerinthus: siquidem in hac etiam hypothesi Deus fuisset prima hujus Universi caussa artifexque sapientissimus. Ceterum saniorum omnium Philosophorum ac Theologorum sententia est, Deum et materiam creasse, et elaborasse per sese mundum. Moses namqne quod ad primam attinet rerum creationem molitionemque nonnisi Deum constanter nominat (**).

(a) *De origine erroris cap.* 9.

(*) *Materia haec ingenita, si ipsos audias, foeda erat obstipa ardua pervicax ac fere indomabilis. Hinc quamvis Deus eam expurgaverit expoliverit redegeritque in ordinem fieri tamen non potuit, quin aliquid mali foedique in eadem adhuc persisteret. Inde tota est infanda illa malorum physicorum, quae in mundo sunt, fons et origo. Sed quis haec non rideat? Videsis Antonium Genuensem* (tom. 5. Met. dissert. 4.).

(**) *Mentitur nuperus Auctor libri*, histoire naturelle de l' ame, *dum asserit, plerosque Philosophornm sive christianorum sive gentilium docuisse, mundi existentiam necessariam esse, independentem, ac per sese non finem modo, sed etiam initium omne excludere.*

PROPOSITIO

Deus hunc Mundum condidit.

241. *Pr.* Nihil eorum, quae ad hujus Universi compagem ac naturam pertinent, est ens *a se* (§. 14.). Quare mundus sive quoad substantias, sive quoad earum modificationes effectus phaenomena series ac vicissitudines spectatus est ens contingens. Oportet igitur, ut ab ente *a se* tanquam a prima ac suprema caussa existentiam suam receperit (§. 12). Haec autem caussa est Deus (§. 4.). Deus igitur omnes substantias creavit produxitque res omnes, atque ideo totum, quantum late patet, hunc mundum condidit. *Q. E. P.*

242. *Corol.* Deus est ac dici debet *creator*: est enim vero, si hunc mundnm condiderit (§. 238.). Reapse autem condidisse haud dubium est (§. 241.).

243. *Schol.* Nihil hoc loci moramur quae Increduli nobis obiiciunt sive ex creationis impossibilitate, sive ex essentiali, ut putant, materiae motu, sive ex fortuita atomorum concursione, sive demum ex iis, quae inordinata vel etiam noxia in mundo esse clamitant, quibus ostendere conantur, si superis placet, neque materiam, neque ejus formas effectusque a Deo prodiisse. Nam priora illa antea expendimus extricavimusque (*q.* 1.); postremum autem, ubi de divina providentia opportunius discutiemus. Cetera, quae supersunt.

Contraria argumenta exsufflantur.

244. *Ob.* Si Deus mundum condidit, aliquem haud dubium sibi praefixisset finem, ne insipienter se gessisse dicatur. At nullus finis praenosci a Deo poterat praefigique antequam mundus conderetur. Finis namque idem est atque usus: at usus mundi est posterior ipsius mundi creatione. Vel igitur mundus nunquam extitit, quod falsum est; vel non fuit a Deo conditus, sed natura sua propriisque viribus legibusque existit.

2. *Quid erat*, inquit Vellejus apud Tullium (*a*), *quod concupisceret Deus mundum signis et luminibus, tamquam aedilis, ornare? Si ut Deus ipse melius habitaret; antea, videlicet tempore infinito in tenebris; tamquam in gurgustio, habitaverat. Postea autem varietatene eum delectari putamus, qua coelum et terras exornatas videmus? quae ista potest esse oblectatio Deo? quae si esset, non ea tandiu carere*

(*a*) *Lib.* 1. *de nat. deor. cap.* 9.

carere potuisset. An haec, ut fere dicitis, hominum caussa a Deo constituta sunt? Sapientumne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio. An stultorum? et primum caussa non fuit, cur de improbis bene mereretur: deinde quid est assecutus, cum omnes stulti sint sine dubio miserrimi; maxime quod stulti sunt: miserius enim stultitia quid possumus dicere? Deinde quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre praesentia. Hactenus Villejus. Jam vero si Deus neque propter semetipsum, neque propter homines mundum procreavit, nullus profecto praesto ipsi fuit finis, cur eumdem moliretur, atque ideo ne condidit quidem, ne sine ullo omnino fine eumdem condidisse dicamus.

3. Quaerit praeterea idem Vellejus (a), quae ferramenta quasque machinas vectesque ad hujus Universi molitionem adhibuerit assertus summus artifex Deus?

4. Si concipi nequit mundus sine opifice Deo, qui ipsum condiderit, ubinam, quaeso, hunc ipsum opificem collocabimus? eritne intra vel extra mundum? Si in natura est, erit quoque corporeus solutionique obnoxius, cum nihil in eadem nisi materies in motu posita concipiatur. Si extra naturam, nulla profecto nobis est idea ejus loci, in quo demum consistat. Ita fere Mirabaud (b).

5. Ubi Latinus Interpres legit (c): *in principio creavit Deus coelum et terram*, vertunt Septuaginta: *in principio Deus fecit coelum et terram*. Sane hebraica vox *bara* significat vel *facere*, vel *formam indere*, vel *expolire*, aut *disponere*, vel *dividere*. Igitur saltem materia praeexistens fuerat atque increata, neque proinde a Deo condita. Profecto asserit Moses, Deum coelum quidem ac terram, non autem coeli terraeque substantiam procreasse.

245. R. *ad* 1. Hoc argumento utitur Lucretius (d), ut quae fiunt, non ex praestituto fine, sed *casu* fieri, et sibi et aliis persuaderet. At ineptissime. Omnis quidem usus est finis, sed non omnis finis est usus. An artifex, qui horologium facturus

(a) *loco citato cap.* 8.

(b) *System. de la nat. part.* 2. *chap.* 5.

(c) *Gen. cap.* 1. *v.* 1.

(d) *Lib.* 4. *v.* 823.

facturus est, ut horarum indicationem consequatur, hanc ipsam indicationem consequutus jam est? vel nequit sibi præfigere finem illum, nisi antea horologium elaboraverit? Immo vero prius in artificis animo praeconceptus esse debet finis postea consequendus, quam jam consequutus seu usus, ut in sui operis molitione sapienter se gessisse dicatur. Deus autem est sapientissimus; itaque fines omnes rerum in mente praehabuerit necesse est. Secus enim vel rerum usum noscit saltem eo tempore, quo usus ipse habetur, vel omnino nunquam. Si hoc alterum; ergo perpetuo aliquid, quod reapse est ac fit, ignoraret. Sin autem primum illud; ergo nosset postea quod antea ignorasset, proindeque saltem aliquando non fuisset omniscius; quae quidem falsissima sunt et absurdissima. Poterat itaque Deus, quin et debuit praenovisse, sibique praefixisse finem aliquem antequam mundus re ipsa conderetur.

246. R). *ad* 2. Miramur ac jure miramur hominum etiam sapientissimorum stultitiam ac loquacitatem, ubi nulla vera divinaque religione illustrati de Deo loquuntur. Quis enim objectum Velleji argumentum non riserit? Docet itaque religio, ratioque confirmat, Deum omnia propter semetipsum operatum fuisse; cum ultimus rerum finis esse non possit nisi Deus ipse: non equidem ut aliquid sibi inde compararet; cum sibi sufficientissimus sit (§. 145.), nullius cujusvis rei indigus, infiniteque perfectus (§. 152.): neque ut habitaret melius; nam in seipso est, nec melius esse quam in seipso potest: neque ut esset in lumine, quasi nempe sine mundo astrisque in tenebris caecutiret; quandoquidem ipse est lux vera, nec opus habet luce corporea qui corporeis sensibus membrisque caret (§ 185.): neque demum ut varietate rerum creatarum ac multitudine delectaretur: quippe est per se beatissimus (§. 207.); bene vero ut attributa sua non ex necessitate naturae, sed ex summa ejusdem libertate bonitateque manifestaret. Cum autem in suis operibus ordinatissimus sit; eo etiam fine mundum procreavit, ut is inserviret hominibus, eisque bona sua liberalissime impertiretur. Praeclare Lactantius (*a*); *fecit Deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum distat a pecude. Quis coelum suspicit, nisi homo? Quis solem, quis astra, quis*

(*a*) *Epitome divin. Institut. cap.* 69. *alias* 10.

quis omnia Dei opera miratur, nisi homo? Quis colit terram? quis ex ea fructum capit? quis navigat mare? quis pisces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in potestate, nisi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit, quia usui hominis cuncta cessere. Quod si hominum aliqui stulti sunt, id sibi imputent; si incommoda patiuntur ac mala physica, quid ipsi Deum incusant, cum ipsi ea magna saltem ex parte sibi comparaverint (§. 118.)? Sed de his alibi.

247. ℟. *ad* 3. Porro quaerere, quibus ferramentis instrumentisque usus sit Deus ad mundi hujus molitionem, ridiculum plane est ac stultissimum. Omnipotenti voluntate sua et creavit substantias omnes seu materiam, et rerum multitudinem varietatemque induxit.

248. ℟. *ad* 4. Deus in seipso est, neque opus habet mundo corporeo, in quo collocetur. Ceterum condito jam mundo, eidem, sicuti etiam ubique locorum, est praesens, quin aut cum ipso misceatur, aut ad ejus compagem naturamque pertineat, aut divisioni ulli solutionique sit obnoxius. Si nihil praeterea quam materiam in motu positam, nullumque materiae ipsius naturaeque auctorem agnoscit Mirabaud, ipse incuset sese, damnetque, quod tanta eaque libera mentis caecitate in re adeo perspicua laboret.

249. ℟. *ad* 5. Hebraica lingua nullum aliud habet vocabulum nisi *bara*, quo *creatio* exprimatur. At significat etiam *facere*, unde orta est Lectionum diversitas. Sed tamen in objecto Geneseos testimonio *creationem* significare; pluribus constare videtur. Imprimis Hebraei ut simplicem rei productionem indigitent, habent proprium vocabulum *asach*. Cur igitur Moses eo usus non est, si unam per laudata verba innuere voluisset rerum formationem? Mosem praeterea ea scripsisse, ut eos refelleret, qui mundum non a Deo conditum putassent, Patrum sententia est. Postremo, ut cetera missa faciamus, hoc in sensu ex constanti traditione objecta verba intellexerunt Hebraei quique, primique Christiani. Instar omnium sit piissima illa Machabaeorum mater: *peto*, inquit (a), *nate, ut aspicias ad coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt; et intelligas; quia ex nihilo fecit illa Deus.* Quis autem putaverit, ne Judaeos quidem intellexisse Mosis verba, cum ea de caussa is ea protulerit, ut ex instituto mundi

(a) 2. *Machab. cap.* 7. *v.* 28.

di genesim ipsos doceret? Quamvis itaque substantiarum creationem non expresse innuerit sacer Scriptor, ipsam tamen satis luculenter indicasse putandus est.

QUÆSTIO VI.

Utrum Deus hunc Mundum creaverit ex aeternitate?

250. *Animad.* Celeberrimum in Scholis est multumque disputatum, nec tamen fortasse definitum hactenus, an Deus potuerit mundum ex aeternitate procreare? Anceps est Monteirus (*a*), Scotusque ipse jam pridem in utramque partem disseruerat. Reliqui in duas veluti classes scinduntur. Storchenau alios plures secutus aperte negat (*b*); affirmant vero Dariesius, Winklerus, aliique inter recentiores; inter veteres autem plures non infimi subsellii de schola Philosophi. Priorum ratio huc redit. Creatio est eductio rei ex nihilo sui et subjecti, proindeque res, quae creatur, supponitur antea in nihilo sui et subjecti fuisse, seu a *non esse* ad *esse* transire debere. At si mundus creari potuisset ex æternitate, potuisset quoque, nunquam fuisse in nihilo sui et subjecti. Itaque notio ipsa et natura creationis creationem aeternam prorsus excludit. Dicam ut sentio. Tota haec controversia, meo quidem judicio, in creationis notione fundatur. Si ea ita usurpetur, ut res creanda supponi debeat antea non existens, nemo profecto est, qui creatione fieri ex æternitate putaverit: est enim secum pugnans, quod aliquid ex aeternitate existeret, et simul non existerit antea, sed fuerit mere possibile. Quare posterioris sententiae patroni alio in sensu definitionem illam intelligunt; scilicet ad creationis naturam plane sufficere ajunt, quod res, quae creatur, *a se* non existat, neque in aliquo praeexisteret subjecto, sed opus habet caussa effectrice, quae eidem existentiam contulerit; sive porro res illa antea non existeret, sive extitisset ab aeterno. Neque vero hinc *creatio* cum *conservatione* confunderetur. Haec enim supponit rem jam existentem, illa vero efficit, ut res non existens *a se* neque in subjecto, reapse existat. Quod si hanc Dei actionem nolint *creationem* adpellare,

(*a*) *Met. n.* 224.
(*b*) *Cosmol.* §. 27.

adpellare, per nos licet: non enim de nomine lis est. Eo itaque redigitur praesens disputatio, nempe an Deus efficere potuerit, ut mundus ex aeternitate existeret? Controversia hoc sensu intellecta dirimi non tam difficile posset. Deus ex aeternitate eam omnem habuit potentiam, quam, juxta nostrum concipiendi modum, habuit postea: nam semper fuit totum id quod esse potest. Mundus autem ex æternitate fuit absolute possibilis: haec enim possibilitas est ipsis entibus intrinseca (*Ontol. Annot. ad* §. 22.). Quid ergo praeterea requirebatur, ut reapse efficeretur ex aeternitate, quam quod Deus voluerit? Deum autem vel tum velle potuisse, tantum est certum, quantum certum est, ejus potentiam in ipsius voluntate fundari. Advertendum est tamen, id verum esse posse, si mundus quoad entia *permanentia* (§. 237.), substantias nempe compositionem nexumque spectetur, non autem si spectetur quoad entia *successiva*, quae scilicet tempus aliquod, ut fiant, postulant, veluti esset ortus interitusque plantarum: nam si tempus praecedens requirunt, manifestum est, postea existere cum antea non extitissent, atque ideo aeterna esse non posse. Sed hanc, quae *de possibili* est, disputationem aliis, quibus plus otii est, discutiendam relinquamus. Rem, qualis reapse fuit, investigemus, an scilicet Deus mundum ex aeternitate creaverit?

Pyilosophorum doctrina.

251. Mundo quoad materiam spectato aeternitatem plures ex veteribus adjudicarunt, Plato, Pythagoras, Stoici, iique omnes qui Deum negabant. At si quoad eas naturas formas atque ornatum, quibus constitutus est praeditusque, inspiciatur, nonnisi paucissimos, qui id sibi persuaserint, fuisse colligimus, vixque Aristotelem, Proclum, Ocellum Lucanum, aliosque nonnullos recenseri inter eos posse putamus. Nam expungi ab illorum numero imprimis debent *Chaologi* omnes, seu qui *chaos* mundi fabricationem tempore praecessisse autumabant, quique hominum pars maxima fuerunt apud Antoninum Genuensem *(a)*. Neque enim chaos praecedere potuisset, quin mundi hujus molitio peracta esse in tempore supponatur. Expungendi sunt quoque Epicurus, Democritus, Lucretius, iique omnes nostrorum temporum Increduli, qui mundum ex fortuita atomorum concursione

---

(a) *tom.* 5. *Met. dissert.* 1.

cursione coaluisse impie stultissimeque opinantur. Natura siquidem ejusque vires ac motus non unico instanti, sed successivis tempusculis opus suum perficiant necesse est (*). Postremo mundi eo sensu spectati aeternitatem nonnisi per philosophiam graecanicam metaphysicasque argutias invectam fuisse, Eruditorum opinio est. Si hisce omnibus addideris Hebreos, Christianos, totque illos insignes viros, nationesque, quibus mundus non quoad molitionem tantum, sed etiam quoad materiam spectatus plane est temporarius; manifeste comperies, illius aeternitatem nisi paucissimis probatam non fuisse.

PROPOSITIO

Mundum ex aeternitate non creavit Deus.

252. *Pr.* Si mundus creari a Deo ex aeternitate potuisset, res, de qua agimus, non esset nisi res facti, proindeque Historiographorum auctoritate, traditioneque et consensione nationum finienda. Moses itaque omnium Scriptorum, quos novimus, antiquissimus, quo nemo melius veriusque mundi originem ac formationem descripsit, temporariam hanc fuisse determinat inquiens: *in principio creavit Deus coelum et terram*. Qua in re observandum est, quod ubi Latinus legit, *in principio*, Hebraeus habet *berescit*, *in exordio temporis*. Tempus igitur coepit; atque ideo etiam mundus: is enim sine tempore, et tempus sine mundo seu creatis rebus esse non potuit. Hinc per *to in principio* everti mundi aeternitatem, Hilarii, Basilii, Ambrosii, Severitani, aliorumque Patrum atque Interpretum sententia est. Nec sane immerito: nam hoc sensu laudata verba constantissime ac sine ulla dubitatione intellexerunt Hebrei quique, ad quorum institutionem doctrinamque conscripta potissimum fuere. In idem conspirant alii omnes Historiographi, ut vel ipse fatetur *Epistolarum persicarum* Auctor, hoc est Montesquieu (*a*); tum veteres quaeque nationes, Chaldaei, Ægyptii, Phœnices, Ætiopes, Persae, Thraces, Sinenses, atque Indi, uti ex earum Chronologiis vel traditionibus edocemur. Quanti porro

(*a*) *Lettre* 99.

(*) *Hinc ii omnes, qui mundum etiam quod ad rerum naturas ornatumque ex aeternitate fuisse opinantur, concedant oportet, eumdem non extitisse* a se, *bene vero a Deo conditum molitumque fuisse.*

porro facienda sit horum populorum auctoritas, nemo est qui non videat: quo enim antiquiores fuerunt, eo etiam facilius noscere poterant, quid anteactis temporibus contigisset; idque non tantum ex traditione majorum, sed etiam ex quo sicuti aliud tempus praecessisse ex historiis, artibus, scientiis, imperiis, legibus, factis, similibus, quorum superesset memoria, colligimus, ita ex id genus monumentorum carentia conjicere jure potuerunt, mundum non adeo antiquum fuisse, illudque usurpare, quod contra aeternitatis assertores urgebat Lucretius (*a*);

. . . . si nulla fuit genitalis origo
Terrarum et coeli, semperque aeterna fuere;
Cur supra bellum thebanum, et funera Trojae
Non alias alii quoque res cecinere poetae?
Quo tot facta virum toties cecidere? nec usquam
Æternis famae monumentis insita florent?

His accedunt Japones, Brasilienses, Peruani, Mexicani, Mahummedani, quin et ii omnes sive populi sive Philosophi, qui aut *Chaos* mundi fabricationem tempore praecessisse opinati sunt, aut ex fortuita atomorum concursione mundum ipsum paullatim coaluisse senserunt (§. 251.). Nemo porro quosdam ex Grecis aliter docuisse miretur: comperta enim res est, nullum esse erroris genus, quod aliquis non docuerit; tum illius nationis Philosophos argutiunculis plurimum delectatos fuisse vellicatosque eo ambitionis contentionisque pruritu, ut nova in dies systemata imaginarentur, novamque nomine suo constituerent disciplinam. Ceterum asseri jure potest, nationes universim putasse, atque ideo verum esse, quod mundum non ex aeternitate creaverit Deus. *Q. E. P.*

253 *Schol.* 1. Non omnes in assignanda mundi hujus aetate sibi conveniunt. Sinae 40000. annos atque amplius eidem adscribere videntur; annos 472000. astronomicae Chaldaeorum observationes ex Diodoro Siculo (*b*), vel 470000. ex Cicerone (*c*), vel demum ex Epigene, quem laudat Plinius (*d*), 720000, nisi forte abradi ex eo numero debeant tres zero, ut putat Harduinus, ac legitur in editione romana de Maximis

(*a*) *Lib.* 5. *v.* 315.
(*b*) *Lib.* 2.
(*c*) *Lib.* 1. *de Divinat. cap.* 19.
(*d*) *Lib.* 7. *cap.* 56.

mis anni 1470. Ægyptii imperium suum annis 36525. sub Dynastiis stetisse arbitrantur; ac scribitur in libro *Cozai* apud Calmet (*a*), spectata olim fuisse apud Indiae populos aedificia, quae annorum 100000. aetatem referrent. Verum nemo est nostrorum temporum vel mediocriter eruditus, qui haec non rideat (*), adeo ut vehementer miremur Libertinorum vel inscitiam vel impudentiam, dum ex sinensi potissimum Chronologia Chronologiam Mosis evertere conantur. Hinc reliqui omnes longe minorem aetatem mundo adscribunt, scilicet usque ad Christi Domini nativitatem annos 5000, et amplius Ricciolus Josephum hebraeum; Graecosque secutus; 3951. Vulgata nostra; 3950. Scaliger; 3963. Keplerus; 3983. Petavius; 4054. Salianus, tandemque 4004. Usserius, cujus opinio ab aliis fere omnibus probata nunc temporis est.

Jam vero semel statuto, quod mundus quoad ornatum non sit aeternus, sed ad sex mille annos vix protendatur, facile etiam concipimus, materiam ex qua coalescit, eamdem praeter propter aetatem habere. Ut quid enim materia sive ex aeternitate sive multo ante mundi fabricationem extitisset? Si ipsa ad hujus Universi molitionem ordinata erat, pronum est inferre, non multo prius, quam intentum ipsum opus postularet, fuisse a Deo procreatum.

254. *Schol.* 2. Plura in medium proferunt pro aeternitate mundi Aristoteles, Proclus, Averroes, aliique. At nonnulla aliis in locis jam diluimus, vel saltem ex inibi dictis facile diluuntur. Asserunt *materiam*, *coelum*, *mobile*, *elementa* generari non potuisse, nec posse corrumpi, proindeque esse aeterna; *generationis* autem nomine *creationem* hoc loci intelligunt. At non modo non repugnat creatio (§. 19. *et seqq.*), verum etiam esse omnino debuit, ut substantiae contingentes, quales sunt materia, coelum, mobile, elementa, primum existerent.

Quod Deus, utpote quoddam summum bonum sit sui diffusivus, sicuti non probat, ipsum, cum liberrimus sit, debuisse mundum creare (§. 215.); ita ne probat quidem, debuisse illum ipsum condere ex aeternitate.

Huic

(*a*) *In cap.* 2. *Gen.*

(*) *Consulatur Augustinus Calmet* (Disquisit. in Chronol. Ægyptior. &c.).

Huic argumento simile est alterum ex eo petitum, quod Deus semper melius efficiat; ex quo colligunt, mundum ab aeterno fuisse conditum, cum melius sit semper extitisse quam coepisse in tempore. At Deum ad meliora in se non teneri et superius diximus (§. 227.), et postea uberiori doctrina ostendemus.

Ex asserta quoque Dei immutabilitate argumentantur. Nempe idem, inquiunt, manens idem, semper natum est facere idem. At Deus idem semper manet. Adduntque, Deum semper *in actu* esse, nunquam vero *in potentia*, cum ipse sit purus ac totus actus. Porro si mundum ex aeternitate non procreasset, non idem semper mansisset; ante illius creationem fuisset quoque *in potentia*, evasisetque in tempore agens, opifex, creator. Verum Deus idem semper mansit tum quoad ea, quae ad ejus naturam pertinent, uti perspicuum per se est; tum quoad ea, quae extra se erat facturus: quippe eadem aeterna incommutabilique voluntate fiunt, quæcumque fiunt, totaque, si ulla est, mutatio in unis tantum creaturis habetur (§. 162.). Hinc ante creationem mundi aeque *in actu* fuit quam postea, cum actu aeterno aeternae suae voluntatis mundus ipse existere coeperit. Porro *agentis opificis creatoris* aliaeque id genus denominationes non sunt Deo nec esse possunt nisi extrisecae (*ibid.*). Fateri hoc idem debent vel ipsi Adversarii. Nam nonne plura in mundo fiunt, quae antea atque ex aeternitate non fiebant? Vel igitur nihil omnino in haec influere dicendus est Deus, quod quidem impium esset atque absurdissimum; vel dicamus oportet, ipsum semper mansisse plane eumdem, *in actu* semper fuisse; verbo, nullam omnino subiisse mutationem, quamvis in tempore mundum procreasset.

255. Alia quaedam argumenta non sunt nisi peculiaria scholae sive aristotelicae sive platonicae scita et dogmata, quae a nobis sanioribusque Philosophis haud equidem probantur. Docent itaque, coelum ac mundum circulari motu convolvi; motum autem circularem neque initium neque medium neque finem ullum habere. Quasi nimirum si lapis funda agatur in gyrum, nunquam coeperit hic motus ac plane nunquam sit desiturus. Ceterum supponunt, motum curvilineum naturalem esse quibusdam corporibus, cum potius naturalis plane omnibus sit motus rectilineus; curvilineus autem nisi ex con-

flictu duarum virium *gravitationis et projectionis* non nascatur.

Asserunt praeterea, mundi animam, atque ideo etiam mundum ipsum, ortum non habuisse neque potuisse habere. Quasi scilicet mundana haec anima non sit putida Platonicorum fabula; et quamvis existeret, etiam ipsa et contingens et temporarium Dei opus, sicuti aliae res ceterae, esse non debeat.

Addunt postremo, mundum ex Platone esse beatum Deum, proindeque nullum habere vitium atque ex aeternitate extitisse. Quasi nempe id aut pantheismum non sapiat; aut non sit Deo, si de vero Deo sermo est, plane indignum; aut mundus pluribus mutationibus vitiisquae, quae cadere in Deum non possunt, non passim subjiciatur.

256. Argumenta alia sunt plane sophistica. Tempus non caepisse ex eo putat Aristoteles, quod si coeptum dicamus, *aliquando* non fuisset tempus. Sed *to aliquando* est temporis differentia: ergo tempus fuisset antequam coepisset ipsum tempus; quod pugnans est. Addit quoque, tempus esse non posse sine aliquo *nunc*; *nunc* autem praeteritum inter et futurum mediat. Igitur cuivis tempori aliud tempus in infinitum praecessit. Cum itaque tempus sine mundo et Mundus sine tempore esse non possit, mundus etiam, sicut tempus, nunquam coepit, sed est plane aeternus. At quis isthaec non rideat? Quum dicimus, *aliquando* tempus non fuisse, vel loquimur de tempore ideali, vel nihil aliud quam *non semper* fuisse reale tempus significamus. Item *to nunc* si ita usurpetur, ut et tempus semper sit, et necessario tempus praecedens supponat, illud idem asseritur, quod in praesenti quaestione versatur: qui enim asserit, tempus coepisse, asserit quoque vel *to nunc* non significare verum tempus, cum etiam esse possit solum initium temporis, vel aliud tempus ipso prius necessario non supponere. Ceterum laudatum vocabulum innuere potest instans *praesens*; unde etiam primum coepti temporis instans dici poterat *nunc*, quin aliquod aliud reale tempus praecessisset.

257. Reliqua non sunt nisi pueriles ineptiae. Coelum, inquit Aristoteles, est sedes Dei. Deus est aeternus: ergo etiam sedes, coelum, mundus. Deus in seipso fuit atque est, neque opus habet coelo corporeo tamquam sede, ut existat.

Quo autem sensu in coelo esse dicatur, superius jam indicavimus (§. 178.).

Addit Proclus, solem simul tempore esse cum lumine: ergo etiam mundus simul fuit cum Deo. Concludere etiam potuisset eodem jure, ipsum simul tempore fuisse cum Hercule. Ad summum probat, Deum potuisse mundum ex aeternitate creare, non autem creasse re ipsa.

Deus, subdit, ab aeterno ideam mundi habuit. Idea autem est exemplar, mundus vero est hujus exemplaris imago. Cum itaque exemplar et imago sint duo relativa, et relativa esse debeant simul tempore; sicuti mundi idea est aeterna, ita quoque et mundus ipse aeternus sit oportet. Verum mundus quidem sine Dei idea seu sine ejus cognitione esse non potest; at idea esse potest in Deo sine mundo, uti in artifice, si fuerit liber, saepius evenire certissime scimus, nempe operis sui ideam mente prius cudit geritque, quam opus ipsum adoriatur atque perficiat. Ceterum sicuti de mundo universim, ita etiam de singulis, quae successu temporis fiunt, ideam ex aeternitate habuit Deus. Ergone quae fiunt modo, facta jam ex aeternitate fuisse dicemus? apage platonicorum deliria.

Materiam primam oriri non posse ex eo sibi persuadet idem Proclus, quod secus ipsa ex alia materia, haec autem ex alia et ita porro in infinitum oriri deberet. At oppido fallitur: dicimus siquidem, materiam primam seu primas substantias non ex alia materia substantiisque praeexistentibus fieri per simplicem productionem generationemque, sed ex nihilo tum sui cum subjecti per creationem educi.

Subdit postremo idem Proclus, mundum non habuisse ortum ex quo interire non possit. Non posse autem interire ita probat. Mundus interire nequit nisi alicujus extrinseci incursantis vi et actione; at extra universum nullum esse potest incursans extrinsecum, cum universum ipsum omnia omnino, quae sunt, in sese complectatur. Rursus, mundus est optime colligatus ordinatusque. Solvere autem id genus opus est plane improbum, aliunde vero improbus non est Deus. Verum primum illud supponit, aut Deum non existere, aut eum universi substantia naturaque confundi; quorum utrumque non modo perridiculum est, sed etiam et impium et absurdissimum. Dicimus itaque, Deum a rerum universitate distingui, eamque posse sicuti creare ex nihilo, ita quoque

in nihilum tandem redigere. Alterum vero supremum liberumque Dei in res omnes creatas dominium evertit. Si ipsas condidit, ordinavitque, beneficium fuit non debitum, libertas non necessitas. Sicuti igitur potuit ipsas condere et ordinare, ita etiam solvere, quin improbus sit ac dicatur. An improbus Deus, quia reapse solvitur humanum corpus? aut non bene colligatum ordinatumque corpus humanum, quia solvitur? Haec summis, ut ajunt, labiis delibasse sufficiat. Eadem habes penes Cl. Genuensem (a) exscripta ex Benedicto Pererio copioseque illustrata. Ceterum si aliquid in ipsis est, quod alicujus momenti esse censeatur, refellique longiori oratione oporteat, in aliarum, quae adhuc supersunt, difficultatum solutionibus exponemus.

Adversariorum momenta.

258. *Ob.* 1. *Qui naturam agnoscunt*, inquit Montesquieu (b), *et aequam habent de Deo ideam, concipere ne possunt, materiam resque creatas nisi sex mille annos non habere? Deum per totam aeternitatem opera sua distulisse, tantumque heri exercuisse vim suam creatricem? An forte id quia antea non potuit, aut quia noluit? At si non potuit uno tempore, ne potuisset quidem altero. Igitur quia noluit. Verum cum nulla in Deo sit successio, si semel rem aliquam voluit, eamdem semper voluisset.* Vetus hoc argumentum ab Auctore *Epistolarum persicarum* iterum in scenam productum adprobat etiam Telliamed seu D. de Maillet.

259. ℞. Sive mundum ex aeternitate condiderit Deus, sive nonnisi in tempore, sive etiam plane nunquam, nihil omnino additum esset divinae naturae nihilque detractum, sed Deus idem semper fuisset atque esset, omnipotens infinitus perfectissimus optimus. Æquam igitur in quavis hypothesi de Deo, quatenus Deus est; ideam habemus. An porro ipse potuerit necne mundum ex aeternitate creare, credat Montesquieu, credat de Maillet; per nos licet. Illud tantum ad rem nostram dicimus, Deum ex aeternitate quidem voluisse mundum condere: quidquid enim vult, ex aeternitate vult (§. 205.); noluisse tamen, eumdem creare ex aeternitate. Haec voluntas aeque ac, ut ita dicam, noluntas in Deo semper fuit. Nulla igitur in ipso concipi potest mutatio

(a) *Tom.* 5. *Met. dissert.* 2.
(b) *Extrait de la Lettre* 99.

mutatio, successio nulla; sed tantum in creaturis, fit, quatenus existunt postea, cum antea non extitissent.

260. *Inst.* Posita ratione sufficiente, poni etiam debet rationatum (*Ontol.* §. 214. *Can.* 2.); at divina voluntas est sufficiens ratio creationis mundi: ergo si ex aeternitate voluit creare mundum, ipsum reapse ex aeternitate creavit.

261. ℟. Si hoc argumentum vim aliquam haberet, sequeretur quoque vel nullam omnino rem de novo fieri posse, vel Deum eamdem non voluisse ex aeternitate sed tantum in tempore, quum nempe reapse fit. Si enim aeterna divina voluntas ita est ratio sufficiens existentiae laudatae rei, ut illa posita, poni illico atque ideo etiam ab aeterno debuerit res ipsa; consequens est, vel quod res quoque illa esset aeterna, ac proinde non de novo fieret; vel quod si res fiat de novo, de novo quoque esset Dei voluntas. At primum illud compertae obviaeque quarumdam creatarum rerum successioni, alterum vero divinae immutabilitati apertissime adversatur. Dicimus itaque aeternam Dei voluntatem esse rationem sufficientem siculi cur mundus existeret, ita etiam cur existeret pro eo tempore, quod ipsa liberrime eidem mundo praefixit: *sub voluntate divina cadit non solum quod ejus effectus sit, sed quod tunc sit*, inquit S. Thomas (a).

262. *Inst.* Sicuti se habet voluntas nova ad actionem antiquam, ita et antiqua voluntas ad actionem novam; atqui nova voluntas nihil valet ad actionem antiquam: ergo nihil valet antiqua voluntas ad novam actionem; proindeque si divina voluntas creandi mundum est, ut esse debet, æterna, aeternus quoque mundus ipse sit oporter. Ita fere Averroes.

263. ℟. Si voluntas antiqua nequit rem novam efficere; ergo vel res novae non fiunt, vel fiunt voluntate nova, vel tandem non fiunt divina voluntate; quae quidem omnia et singula et falsa sunt et absurdissima. Potest itaque voluntas antiqua in rem novam influere, uti etiam in humanis non semel fieri observamus. Et sane ratio caussae postulat, ut ipsa effectum suum vel *tempore* vel saltem *natura* praecedat (*Ontol.* §. 267.) Utraque ratione suum effectum praecedit antiqua voluntas praesertim divina. Hinc falsum apparet, eodem modo se habere voluntatem novam ad actionem antiquam,

(a) *Lib.* 2. *cont. Gent. cap.* 35.

quam, quo se habet antiqua voluntas ad novam actionem. Haec enim est prior actione; illa autem est actione posterior, quae proinde esse non potest alicujus antiquae actionis caussa. Ceterum divina volitio sive decretum non eo in sensu antiquum aeternumque dicendum est, ut eo tempore, quo res nova fit, non etiam habeatur. Illa ipsa aeterna voluntas semper constansque mansit ac manet, actuque effectum novum producit.

264. *Inst.* Quae secundum naturam sunt, ita semper fiunt, nisi aliqua prudens ratio aliter suadeat; atqui nulla prudens ratio esse potuit, cur Deus, cum ex aeternitate voluerit mundi creationem, per totam ipsam aeternitatem quieverit; creaveritque ipsum mundum dumtaxat in tempore. Ita fere Aristoteles; additque Proclus, quod si mundi creationem distulisset Deus, is aliqua saltem ratione esset ac dici posset invidus.

265. ℟. Fuit equidem, eaque sapientissima ratio, cur Deus non ex aeternitate, sed tantum in tempore mundum condiderit: quidquid enim vult ac facit Deus, fine sapientissimo seu optimo vult ac facit (§. 200.). Ignoramus tamen, quaenam ipsa determinate fuerit. Sed nemo id vel mediocriter doctus mirabitur, cum plura alia, quae aliunde certo nobis constant, cur sint et quomodo, penitus ignoremus.

Nulla porro invidentia confingi ea de caussa in Deo potest, quod ipse non antea mundum creaverit. Nam praeterquamquod illa divinae naturae prorsus repugnat (§. 234.); quonam quaeso modo quave ratione invidere potuisset mundo; cum hic necdum existeret?

266. *Inst.* Vel ex aeternitate aderat ratio, cur Deus mundum conderet, vel non. Si non aderat; ergo vel ratione nulla illum creasset, quod esse nequit; vel nova ratio Deo accessisset, quod mutionem involvit. Sin autem aderat; ergo sicuti ratio illa fuit aeterna, ita quoque aeternus fuit mundus, qui vi illius rationis existit. Ita fere Proclus.

267. ℟. Ex aeternitate aderat ratio, et cur Deus mundum crearet, et cur ipsum crearet in tempore non ex aeternitatae (§. 265.). Itaque ratio illa fuit aeterna, non tamen aeternus est mundus.

268. *Dices.* Mundi possibilitas est proculdubio aeterna: ergo etiam ejusdem existentia. Si namque mundus fieret in tempore, laudata ejus possibilitas destrueretur. At quod aeter-

num

num est, destrui sane non potest. Deinde sicuti *activa*, ita quoque omnis *passiva* possibilitas in aliquo subjecto fundatur, cum illa sit hujus affectio. Quare si mundi possibilitas aeterna est, etiam ipse mundus, qui est laudatae possibilitatis subjectum, erit aeternus.

269. ℟. Cavillantur Adversarii. Si per rei existentiam destrueretur aeterna ejusdem possibilitas, jam haec destrui dicenda foret, quum novus quisque effectus in dies producitur, immo vero quum mundus factus fuit, etiamsi factus fuisset ex aeternitate. Itaque per existentiam non destruitur possibilitas, haec enim, etiam supposita existentia, adhuc perseverat; sed tantum reducitur ad actum, atque perficitur. Possibilitatem autem passivam in aliquo subjecto fundari atque esse perinde est, ac rem aliquam, puta hominem esse possibilem. At hoc verum esse potest sive homo reapse existat, sive tantum possibilis fuerit: in utraque enim hypothesi homo esset laudatae possibilitatis subjectum. Ex objecto itaque argumento hoc unum inferri ad summum potest, nempe quod sicut mundi possibilitas est aeterna, ita etiam mundus est ex aeternitate possibilis. Porro hoc loci de mundi existentia, non de ejus tantum possibilitate sermo est.

270. *Ob.* 2. Artes, leges, cetera non adeo recentia sunt, uti quibusdam videtur: nam *nihil sub sole novum*, inquit Ecclesiastes (*a*).

2. Nec porro mirum, si nulla de iisdem memoria superfuerit: non enim priscis temporibus erant literae, charta, scriptura, numismata, aliaque id genus media, quibus rerum antea peractarum memoria ad posteriores aetates traduceretur.

3. Pronum est putare, inquit Montesquieu (*b*), Adamum, ut Noe ex diluvio, incolumem ex aliqua communi evasisse metamorphosi, idque pluries evenisse, adeo ut Adamus non fuerit omnium primus inter homines, sed aliae atque aliae ad anteriora usque tempora praecesserint generationes.

4. Ex quo scribat Moyses, Deum *in principio* coelum ac terram creasse, non sequitur, tempus ac mundum coepisse. Sunt enim qui *principii* vocabulo divinum Verbum intelligant, adeo ut sensus sit: in Verbo Deus creavit seu fecit coelum et terram.

271. ℟. *ad* 1.

(*a*) *Cap.* 1. *v.* 10. (*b*) *Lettre* 99.

271. R). *ad* 1. Recentes fuisse artes, leges, cetera ex eorum origine, quam Moses aliique Historiographi tradiderunt, compertum habemus. Aliter sentire nequeunt Adversarii, nisi plane temere nulloque plausibili suffulti monumento. Nihil esse sub sole novum, nihil nempe esse, cui aliud persimile non antea fuerit, non ad artes, scientias, aliaque id genus ab hominibus inventa inductaque, sed ad res naturales ac phaenomena spectat, ut scite animadvertit doctissimus Calmet (a). Ceterum inferri ad summum inde posset, artes antiquas esse non autem esse aeternas.

272. R). *ad* 2. Ex quo, Adversariis ipsis concedentibus, defuerint literae, charta, numismata, similia, quae ad artes pertinent ac disciplinas, jure inferimus mundi pueritiam, recentemque ejusdem existentiam. Ceterum cur saltem traditione res anteactae, ad minus quae celebriores fuerint, ad posterorum notitiam non dimanarunt? nam etiam traditione veterum factorum memoria conservari propagarique penes homines solet.

273. R). *ad* 3. Comminiscitur Montesquieu. Debuisset non asserere tantum, Adamum ex communi metamorphosi incolumem evasisse, sed praeterea luculenter demonstare. Certe mirum, quosdam hujusce nostri praesertim saeculi homines, qui literati videri volunt eruditi critici docti, quique aliorum opiniones sententiasque non probabiles modo sed evidentes quoque vellicant cribrant aut etiam calumniantur, mirum, inquam, id genus homines eo temeritatis devenisse, ut contendant, illa etiam, quae ipsi effutiunt, tamquam vera credi haberique ab aliis debere. Si Moses retulit Noemi ex diluvio incolumitatem, cur non etiam retulisset illam Adami? imo vero cur eam omnino negat, dum ipsum non ex parentibus genitum, sed plane immediato Dei opificio elaboratum fuisse apertissime scribit?

274. R). *ad* 4. Fatemur, quosdam fuisse qui *principii* vocabulo divinum Verbum intellexerint. Verum imprimis sunt sane multo plures, qui temporis initium significari existimaverint (§. 252.); quod quidem et hebraico textui, et Hebraeorum constanti sensui traditionique est plane consentaneum (*ibid.*). Quare putaverim, objectum vocabulum utramque significationem habere, ita tamen ut posterior fuerit

---

(a) *In hunc locum.*

rit ea ipsa, quam Moses Judaeis, quos docebat, insinuare potissimum intendebat. Sane Patrum atque Interpretum, qui audiendi hac super re sunt, communis sententia est, Mosem sinceram adspectabilis hujusce Universi genesim scripsisse, ut Hebraei tanti operis ortum formationem auctoremque dignoscerent, unique Deo omnia omnino, quae facta sunt, accepta referrent. Auctorem nominavit, quum ait: *creavit Deus*; formationem, quum scribit: *fiat lux*, *fiat firmamentum* &c. Superest ergo, ut *principii* vocabulo ortum significaret. Judaei praeterea rudes erant hebetesque, neque proinde saltem omnes aut etiam plerique Personarum in Deo Trinitatem, Verbumque divinum intellexissent. Quare vocabulum illud si initium temporis penes ipsos non significasset, eisdem fuisse videretur prorsus inane. Ceterum sapientiores inter Judaeos, tum qui in Lege gratiae vixissent, facile poterant utrumque sensum callere, nempe coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt, tum in exordio temporis, cum in Verbo divino facta fuisse. Quae cum ita sint, nihil est, quod mundi aeternitatem vel minimum suadeat. Alia, quae minoris momenti sunt, quaeque apud Auctores, maxime vero apud Genuensem legi possunt, omnino non curamus; adeo nimirum futilia sunt et exsucca.

QUÆSTIO VII.

Utrum hic Mundus sit in se omnium absolute possibilium optimus?

275. *Def.* *Optimismus* ea est sententia, quae Mundum hunc esse in se omnium aliorum absolute possibilium optimum statuit atque defendit. Qui huic sententiae adhaerescunt, *Optimistae* adpellari consueverunt.

276. *Animad.* Pluribus modis hic mundus dici posset optimus. 1. Quoad finem, quem in ejus creatione consequendum sibi praefixit Deus. Hac ratione si optimismus spectetur, quilibet ex possibilibus mundis, si ipsum Deus creasset, optimus censeri deberet. Nam quidquid facit Deus, fine sapientissimo seu optimo facit (§. 200.), omnesque idcirco Dei fines sunt aeque perfecti et optimi. Porro tum hic mundus, cum alius quisque absolute possibilis, quem Deus ele-

gisset , deberet fini , quem in ejusdem molitione sibi praefixisset idem Deus , omnino respondere .

2. Quoad archetypam , quae in Deo existit , ideam . Enimvero non minus hic mundus , quam alius quisque possibilis , aut ens ideis Dei perfecte respondet , cum aeque in ideis Dei archetypis contineatur , nec dissentire ab eisdem possit .

3. Quoad rerum genera , quae in hoc mundo sunt . Haec enim omnia et singula , quae ad essentialem ipsius mundi perfectionem attinent , in eodem continentur . Immo vero quorumdam sententia est , nulla alia genera , praeter ea quæ sunt , esse posse .

4. Quoad intrinsecam Dei mundum producentis operationem . Omnes siquidem divinae operationes non possunt esse nisi infinite perfectae atque optimae . Hoc idem dicendum est de modo , quo Deus ipse operatur : nam , ut inquit S. Thomas (a) , *non potest facere melius , quod facit , quia non potest facere ex majori sapientia et bonitate* .

5. Quoad earum rerum , ex quibus hic mundus constat , dispositionem , ordinem , pulchritudinem , nexum harmoniam . Deus enim cum sit artifex sapientissimus , adeo naturas , quas liberrime condidit , ordinare debuit ac nectere , ut alium mundum ex perfecte similibus substantiis naturisque constantem melius disponere non potuerit ; unde illud Sapientiae (b) : *omnia in mensura , et numero , et pondere disposuisti* . Hoc sensu loquitur S. Thomas (c) : *Universum* , inquit , *suppositis istis rebus , non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo* . Intelligi quamfacile ex dictis potest , quo sensu nonnulli Ecclesiae Patres , pluresque etiam Philosophi hunc mundum esse optimum censuerunt .

At plane alia est Optimistarum , quibuscum agendum est , sententia . Mundum praeterea spectant quoad rerum perfectionumque realium intensitatem entitatemque , adeo ut res ipsae ac perfectiones hujus mundi in se inspectae sint optimae , ejusmodi nempe , quod nullus alius mundus sit absolute possibilis , qui cum hoc nostro comparatus sit in se etiam *accidentaliter* ,

(a) 1. *part. q.* 25. *art.* 6. *ad* 1.
(b) *cap.* 11. *v.* 21.
(c) *loco citato ad* 3.

dentaliter, ut ajunt, melior perfectiorque. Accidentaliter, inquam: docet siquidem Wolfius (*a*), quod *mundus unus non differt a ceteris., nisi gradu perfectionis*. Tum Leibnitius indicans sufficientem divinae electionis rationem, ipsam esse ait (*b*) *in gradibus perfectionis, quam mundi continent*. At hi perfectionis gradus esse non possunt nisi mundis accidentales: si enim essentiales essent, jam ceteri possibiles ne essent quidem mundi, cum mundi esse nequeant si plane omni perfectione, quae ad eorum essentiam pertinet, non donarentur. Hunc optimismi sensum alta mente repositum esse velim: est siquidem totius praesentis controversiae scopus.

Sensus quaestionis.

277. Quaerimus itaque, utrum hic mundus non quoad finem, archetypam Dei ideam, rerum genera atque essentiam ejusdem Dei ipsum producentis operationem, ordinem denique nexumque earum naturarum, ex quibus coalescit, spectatus (in his siquidem omnes convenimus): bene vero in se, quoad entitatem nimirum accidentalemque etiam perfectionem inspectus sit omnium aliorum absolute possibilium optimus, adeo ut nullus alius sit absolute possibilis, qui ipso melior perfectiorque censeatur (§. 276.)?

Sententiarum compendium.

278. Triplex, uti videtur, est Optimistarum genus, Pantheistae, qui cum omnia omnino ad unicam Dei substantiam pertinere asserant, atque ex ipsa plane necessario manare, asserere quoque debent, omnia atque ideo hunc etiam mundum, sicuti est Deus ipse, esse optima, nec Deum posse efficere iis, quae fecit, meliora. Sed absurdissimum hoc systema seu potius errorem copiose invictissimeque superius refutavimus (*q*. 2.). Plato ejusque sequaces mitiores fuerunt. Optimum quidem esse ajunt hunc mundum, sed tamen a Deo distinctum prorsus atque diversum. Leibnitius postremo, quem sequutus est Wolfius, Baumeisterus, aliique præsertim Germani Philosophi, optimismum ulterius et promovit et ampliavit. In eo a veteribus Graecis discriminari videtur, quod illi Deum ex possibilibus mundum optimum dumtaxat selegisse docuerint, hic autem velit, ipsum Deum vi attributorum suorum debuisse mundum optimum seligere; illi

(*a*) *Theol. nat.* §. 324.
(*b*) *Princip. phil.* §. 55.

illi divinam in hac electione libertatem sartam tectam servaverint, hic vero omnino sustulerit. Quod quidem recta descendit ex leibnitiano rationis sufficientis principio, quemadmodum ex iis, quae alibi disseruimus (*Ontol.* §. 218. 220. *Psychol.* §. 587. *et seq.*), manifeste constat. Leibnitio praeluserat saeculo XII. Petrus Abailardus scribens (*a*), *Deum posse ea dumtaxat facere, quae optima sunt*, indeque concludens, *eum non potuisse alia facere quam quae fecit*. Etiam Malebranchius pluribi suorum Operum optimismum defendit, praesertim vero in Tractatu *de natura et gratia*. Sed contra steterunt multo plures, S. Thomas (*b*), Samuel Clarkius (*c*), Palms, aliique viri ingenio doctrinaque praestantissimi.

Hypothesis.

279. Adspectabilis hic mundus non est in se omnium absolute possibilium optimus, si alius ipso in se perfectior concipi et esse absolute possit. Neque enim esse potest aliorum omnium absolute possibilium optimus mundus ille, qui aliqua careret perfectione, qua alter absolute possibilis donaretur.

LEMMA.

Hoc Mundo alius in se perfectior concipi et esse absolute potest.

280. *Pr.* Non absolute repugnat, seu non est absolute impossibilis mundus, in quo aliae plures rerum species atque individua, eaque perfectiora, quam quae in hoc mundo sunt, reperiantur. Et ad species quod attinet, nemo sane ignorat, substantias corporeas plane innumeris diversisque commissuris nexibusque ita consociari absolute posse, ut innumerae quoque diversaeque configurationes, indeque alia atque alia diversarum specierum corpora possint emergere. Nova id genus etiam sive plantarum sive animantium corpora passim sine ulla pugnantia sibi confingunt pictores atque poetae. Quot porro specierum, quae sunt et quae non repugnant, individua esse praeter ea, quae existunt re ipsa, non possunt? At ea capere non posset Tellus. Quid vetat, quominus ipsa in alio mundo possibili sit protentior? Non ea in hac hypothesi esset proportio, aut virium temperatio, quae ipsam inter

(*a*) *Lib.* 3. *Introduct. ad Theologiam*.
(*b*) 1. *part. q.* 25. *art.* 6.
(*c*) *Recueil des lettres etc.*

inter et coeli astra esse debet. Quid istud? an Universum longe protensius, aliaque temperatio virium, omnino repugnat? (*) Saltem deberent astra aliter aliterque disponi ac velut novum fieri totius Universi systema. Quid inde? an id esset prorsus ac secum pugnans? Sed progrediamur. Esse posse individua iis, quae sunt, longe perfectiora puta aut pulchriores plantas, aut fructus salubriores, aut hominum corpora robustiora temperatioraque, eorum autem intellectum ceterasque animi potentias ac facultates saltem quoad exercitium actusque nobiliores praestantioresque, quis unquam negaverit? si enim non repugnant aliae atque aliae rerum species, quae aliae aliis perfectiores sint, cur individua, quorum alia sint aliis perfectiora, repugnabunt? Sicuti inter creaturam, quae est imperfectior, et eam, quae perfectior est plures reapse intersunt perfectionis gradus, ita etiam immo vero potiori jure inter perfectiorem creaturam et Deum: illa enim distantia finita est, haec autem est infinita. Quocirca alius mundus est absolute possibilis, in quo aliae plures rerum species, atque individua, eaque perfectiora, quam quae in hoc mundo sunt, existant. Qui haec negaverit, divinam omnipotentiam sapientiamque aequo nimium angustis coarctare limitibus videretur. Jam vero vel ipse docet Wolfius (*a*), mundum esse perfectiorem, si major in eo est rerum consentientium varietas. Quare mundus, qui plures alias rerum species atque individua, eaque perfectiora complecteretur, esset profecto hoc mundo perfectior: quandoquidem rerum multitudini respondet multitudo relationum, rerumque ipsarum varietas; res autem illas posse secum invicem consentire, et antea dicebamus, et qui inficias iret, divinam sapientiam aut negaret, aut in angustum compelleret. Quae cum ita sint, hoc mundo alius in se perfectior etc. *Q. E. P.*

PROPOSITIO

(*a*) *Cosm.* §. 552. *Theol. nat.* §. 324.

(*) *Negat Leibnitius* (Recueil Lettre 4.), *materiam esse extensione limitatam, atque ideo produci extendique ulterius posse. Igitur praesens hic, quem incolimus, mundus est et quidem necessario infinitus. En quo demum ducit absurda hypothesis.*

PROPOSITIO

Hic Mundus non est in se omnium absolute possibilium optimus.

281. *Pr.* Hic mundus non est in se omnium absolute possibilium optimus, si alius ipso in se perfectior concipi et esse absolute possit (§. 279.); atqui hoc mundo alius in se perfectior concipi et esse absolute potest (§. 280.): ergo hic mundus non est etc. *Q. E. P.*

282. *Schol.* Alia plura congeri adversus Mundi optimismum solent. Praecipua seligamus. Imprimis itaque systematis hujus falsitas perspicue elucet, si unde illud derivant Leibnitiani, vel minimum attendatur. Recta descendit ex rationis sufficientis, qualis Leibnitio placuit, principio (*Ontol.* §. 218.). At principium rationis sufficientis eo sensu intellectum falsum esse, satis perspicue demonstravimus (*ibid.* §. 219. *et seq.*). Accedit praeterea, hoc systema non modo humanam, sed divinam quoque libertatem prorsus evertere (*ibid.* §. 220. *et Psychol.* §. 287. 588.). Ruit itaque praecipuum optimismi fundamentum.

2. Libnitius et Wolfius concedunt (*Ontol.* §. 136.), et jure quidem (*ibid.* §. 137.), plura *indiscernibilia* seu perfecte similia, atque ideo etiam mundos huic nostro perfecte similes esse absolute possibiles. Hic igitur mundus non aliorum omnium absolute possibilium optimus, sed ad summum unus ex optimis dicendus est.

3. In hoc mundo plura existunt mala moralia. Haec quidem nihil plane officere summae Dei bonitati, ceterisque aliis ejusdem attributis, non concedimus modo, sed etiam plenissime vindicavimus (*q.* 4.). At ea ad mundi optimismum pertinere, quemadmodum in sua *Theodicoea* expresse docet Leibnitius, ac docere omnino debet ut sibi constet, nunquam sane inducere in animum nobis potuimus. Ergone mundus criminosus est innocente mundo, qualem reapse creavit Deus, perfectior? Ad optimum ergo pertinent furta, homicidia, invidentiae, rixae, bella, perturbationes, calumniae, adulteria, stupra, blasphemiae, haereses, idololatria, atheismus, aliaque, siquae sunt, scelera etiam atrociora? Ergo si Deus non permisisset Adami culpam; si humanum genus ab originali noxa servasset incolume; si tantam gratiam contulisset hominibus aut conferret, ut plane nemo deliquisset aut delinqueret, plane nemo mereretur aeterna supplicia,

plane

plane nemo a coelesti gloria exularet, hic mundus esset minus bonus, Deo dignus non esset, divinae sapientiae adversaretur, ab eo excideret, quem obtinet, optimismo? Credat judaeus Apella.

Optimistarum rationes vellicantur .

283. *Ob.* 1. Deus utpote perfectissimus perfectissimo modo agere debet; atqui non ageret modo perfectissimo, si mundum in se omnium absolute possibilium optimum non eligeret: ergo falsa propositio.

284. ℟. *D. maj.*, Deus etc. respectu sui, *C.* respectu operis, *N. maj.*; *et D. min.*, Deus non ageret modo perfectissimo respectu sui; si etc., *N.*, respectu operis, *C. min.*, et *N. cons.* Deum perfectissimo modo respectu sui agere debere, comperta infinita ipsius natura manifeste ostendit (§. 276. *n.*4.). At non inde necesse est, ut etiam ejus opus sit in se perfectissimum: siquidem tum ejus operatio tum operandi modus in quavis re peraeque summa est. Praeclare Augustinus (*a*): *ita magnus est*, inquit, *in operibus magnis, ut minor non sit in minimis*. Itaque magnus est, perfectissimus, optimusque Deus sive mundum in se optimum, si quidem fieri potuisset, sive non in se optimum condiderit.

285. *Inst.* Eligere mundum in se minus bonum seu non optimum, est agere sine ratione sufficiente; at Deus nunquam sine ratione sufficiente agit: ergo Deus agere debet perfectissimo modo etiam respectu operis.

286. ℟. *D. maj.* eligere etc., si mundus minus bonus praefixo fini non responderet, *C.*, secus, *N. maj.*; et *C. min.*, *N. cons.* Res, quae sunt velut media, qualisque est praesens hic mundus, non spectandae in se sunt, sed in ordine ad finem, adeo ut non semel res in se minus bona aptior sit ad finis consecutionem, proindeque adesse possit sufficiens ratio, cur ipsa alteri magis in se bonae praeferatur. Deus itaque seligere potuit mundum in se minus bonum seu non optimum, quin tamen defuerit sufficiens ratio, cur ipsum prae aliis etiam perfectioribus seligeret. Ceterum haec mundi ad consecutionem finis aptitudo non est, si proprie et accurate loqui velimus, motiva ratio, cur Deus ipsum elegerit; is enim nulla finita bonitate, quae comparate ad ipsum

(*a*) *Lib.* 21. *cont. Faustum cap.* 5.

sum Deum est *nihil*, potest moveri; sed potius est *conditio sine qua* ea electio non fieret, quatenus sine hac aptitudine illam electionem divina sapientia non suaderet.

287. *Inst.* Finis, quem in mundi molitione sibi praefixit Deus, est in se optimus; atqui mundus in se minus bonus fini in se optimo non sane respondet: ergo etc.

288. ℟. *C. maj.*, *D. min.*, mundus etc., si optimismus finis dimetiendus esset ex intrinseca perfectione medii ad finis consecutionem idonei, *C.*, secus, *N. min.*, et *cons.* Quilibet Dei finis esse debet in se optimus infiniteque perfectus, quidquid enim vult ac facit, fine sapientissimo seu optimo vult ac facit (§. 200.). At optimismus finis dimetiendus non est ex intrinseca medii perfectione: secus enim nulla res creata, cum finita sit suapte natura et imperfecta, esse posset medium, quo Deus finem suum optimum perfectissimumque consequatur. Medii, quatenus medium est, bonitas ac perfectio desumi debet ex aptitudine, quam ad finis consecutionem habet. Homo perfectior in se est quam panis: si tamen ut nutriamur vivamusque, non panem sed hominem deligeremus, quis vel bardus nos non rideret? Ex quo itaque hic mundus sit in se minus bonus seu non optimus, non sequitur ipsum fini optimo, quem sibi praefixit Deus, non respondere.

289. *Inst.* Finis, quem Deus sibi praefixit, est gloriae suae suorumque attributorum manifestatio: atqui mundus in se minus bonus non est ad gloriae Dei ejusdemque attributorum manifestationem idoneus: ergo fini, quem sibi praefixit Deus, non respondet.

290. ℟. *D. maj.*, finis, quem &c., manifiestatio qualiscumque, *C*, omnium maxima, *subd.*; praecise atque immediate per hunc mundnm obtinenda, *N.*, secus, *omitto maj.*; et *D. min.*, mundus in se minus bonus etc., ad manifestationem qualemcumque, *N.*, ad manifestationem omnium maximam, *C. min.*, *et N. cons.* Deum mundum condidisse, ut attributa sua manifestaret, omnes convenimus. Sed quaeri preterea ad rem nostram debet, an haec manifestatio a Deo intenta esse debuerit omnium maxima? tum an Deus praecise atque immediate per hunc mundum eam obtinere voluerit? Primum illud praeterquamquod cum plenissima divina in res contingentes libertate non congruit: si enim quoad hanc manifestationem liber fuit Deus, cur non quoad ipsius manifestationis

stationis gradus ? falsum etiam apparet ex quo Deus ipse potuerit sua attributa multo sane magis nobis patefacere . An non potuit nobis indere profundiorem de ejus natura cognitionem, præstantioremque intellectum impertiri ? Hinc alterum quoque falsum videtur . Profecto Beati in coelo facie ad faciem Deum intuentes etiam sine immediata hujus mundi ope Deum ipsum praeclarius agnoscunt , sibique repraesentant . Deus itaque voluit , idque sapientissime , attributa sua utcumque nobis manifestare , quantum nempe sufficeret , ut ea praestemus quae prastanda a nobis sunt , ipsumque , prout mortalis haec vita postulat , diligeremus . Ad id porro plane sufficere mundum etiam in se non optimum , facile constat . Hic enim mundus , sive optimus in se sit sive non , perinde nobis est , ac si esset reapse non optimus : plura siquidem , quin et innumera adeo nos latent , ut eadem ne scire quidem possimus . Atqui tamen , vel Adversariis ipsis concedentibus , omnino sufficit . Ad statum coelestis patriae quod attinet , nos docet divina Revelatio , non omnes aeque Deum agnoscere , cum non omnes aeque Deo perfruantur : gaudium namque ad amussim notitiae de Deo respondet . Quare divinae gloriae manifestatio non est omnium absolute possibilium maxima , quae proinde non postulat , ut mundus , qui est medium , esset in se omnino optimus . Ceterum quamvis laudata divinorum attributorum manifestatio in coelesti patria esset omnium maxima ; nihil tamen nos urgeret : eam siquidem obtineret Deus non per unam mundi hujus creationem , bene vero per visionem beatificam , quam sive mundus sit optimus sive non , procul dubio hominibus concedere aliis mediis pro lubitu potuisset .

291. *Inst.* Electio mundi in se optimi est , inquit Wolfius (*a*) , naturale signum intellectus , et voluntatis absolute perfectissimae , perfectissimique spiritus , et omnipotentiae ; non ita vero electio mundi in se non optimi (*b*) ; atqui Deus gloriam suam et attributa ita manifestare per mundum intendit , ut mundus ipse esset naturale intellectus , et voluntatis perfectissimae , perfectissimique spiritus , et omnipotentiae signum : ergo etc.

392.

(*a*) *Theol. nat.* §. 328. 400. 402. 403.
(*b*) *ibid.* §. 329. 401. 402. 404.

292. ℟. Si proprie loqui velimus, nullus plane mundus est *naturale signum* saltem immediatum perfectissimae divinae naturae: nam quaelibet res creata utcumque perfecta comparate ad Deum est tamquam *nihilum*. Quod si minus accurate loquamur, etiam mundus in se non optimus est naturale saltem mediatum divinae naturae signum. Nam vel ex unius vermiculi creatione inferri jure potest ac debet, Deum existere *a se*, esse quoque primam rerum omnium caussam, indeque aliis ceteris praeditum esse oportere attributis, quemadmodum ex superius demonstratis manifeste elucet. Atque ut propius ad rem nostram accedamus, mundus etiam in se non optimus adeo mire esset dispositus ordinatusque, ut ordinari melius non potuerit, nec melius aptiusque praestituto fini respondere. Ejus quoque electio prae infinitis aliis imperfectioribus, perfectioribus, similibusque possibilibus mundis infinitam Dei cognitionem necessario involvit. Est igitur naturale signum intellectus perfectissimi. Infinita praeterea requirebatur ad illius mundi creationem efficacitas, ac beneficentia, quae ex innumeris bonis mundo ipsi liberalissime conlatis mirum in modum refulget. Est igitur naturale signum perfectissimae voluntatis. Deinde creari non potuit, neque sapientissime ordinari, nisi Deus foret summe intelligens, proindeque spiritus et quidem perfectissimus. Est igitur naturale signum perfectissimi spiritus. Creatio denique vim postulat infinitam. Est igitur signum naturale divinae omnipotentiae. Quare ut Deus per electionem mundi attributa haec sua manifestaret, necesse non fuit, quod mundum ipsum in se optimum creasset.

Hactenus supposuimus, Deum potuisse mundum omnium absolute possibilium in se optimum creare. Quid si id plures negent? Sed hac de re nonnihil paullo inferius.

293. *Ob.* 2. Divina voluntas semper eligit, quod ipsi magis placet; atqui ipsi magis placet, quod est in se optimum. Hinc S. Thomas, *meliora*, inquit (a), *magis diliguntur a Deo*. Ergo Deus mundum in se omnium absolute possibilium optimum elegit.

294. ℟. Omnia bona placent Deo, etiam quae ad ejus naturam non pertinent, non quatenus aliquid ipsi tribuant, aut

(a) 1. *part. q.* 20. *art.* 4.

aut tantae efficacitatis sint, ut divinam moveant voluntatem (*); sunt enim veluti *nihilum*; sed quatenus ipse est quoddam summum bonum bona omnia pesfectissimo modo in se complectens. Verum quid inde? Ex quo aliquid ipsi placeat, non equidem sequitur, quod illud eligat ac creet: secus enim creasset omnia possibilia. Requiritur itaque praeterea quod bonum aut magis bonum sit bonum aut magis bonum in ordine ad finem, ut ipsum vi sapientiae suae velut medium ad finis consecutionem idoneum eligat. At mundus etiam in se non optimus esse potest idoneus ad finis, quem sibi præfixit Deus, consecutionem.

295. Porro duplex distinguendus est amor, *aestimationis* nempe et *liberalis beneficentiae*. Ille spectat intrinsecas objecti perfectiones; hic vero ab uno liberali amantis animo procedit. Deus quidem magis bonum magis quoque aestimavit: novit enim quales et quantae essent in quovis mundo possibili perfectiones; sed tamen liberrimus fuit quoad omnes, adeo ut uni vel alteri aeque potuerit liberalem suam beneficentiam conferre. Hoc idem aliqua saltem ratione fateri debent vel ipsi Leibnitius et Wolfius. Concedunt, indiscernibilia esse absolute possibilia; ergo sunt absolute possibiles optimi mundi mundo optimo perfecte similes. Hi omnes mundi erant plane aequales. Eodem igitur amore *aestimationis* ipsos prosecutus est Deus. Si itaque unum elegit prae aliis, id liber fuit amoris *liberalis beneficentiae* effectus. Hoc eodem amore nos dicimus, Deum mundum in se non optimum elegisse.

296. Objectum Angelici Doctoris testimonium ad rem non pertinet. Scribit enim, quod *Deum diligere magis aliquid, nihil est aliud, quam ei majus bonum velle. Voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus*. Id genus amor magis in atomo.

(*) *Hinc falsum est, bonum quodque possibile pro suae perfectionis gradibus jus habere, ut docet Leibnitius, exigendi a Deo existentiam. Sane possibilitas nihil praeterea est, quam una praedicatorum non repugnantia, indeque orta ad existendum capacitas. Quis porro dixerit, ens contingens, quacumque possibili perfectione donatum ideo, quod sit ad existendum capax, jus habere exigendi a Deo, a summa nempe, independente, perfectissimaque caussa existentiam?*

atomo, quam reapse creavit Deus, elucet, quam in aliis quibusque mundis mere possibilibus: imo vero cum nihil boni istis contulerit, ne dilexit quidem eo amore, de quo loquitur S. Doctor. At Leibnitianorum doctrina est, Deum diligere plus debuisse mundum possibilem in se optimum, quam in se non optimum, adeo ut illum prae isto eligere teneretur. Itaque toto coelo distat doctrina S. Thomae a Leibnitianorum doctrina. Quin immo est plane contraria: nam non bonitas rerum possibilium est divinae voluntatis sive electionis caussa, ut contendunt Optimistae, sed voluntas Dei, inquit, est caussa bonitatis in ipsis rebus.

297. *Inst.* Si Deus non elegisset mundum in se optimum, factum id fuisset vel quia non potuit, vel quia nescivit, vel quia noluit. Si primum; ergo impotens: si alterum; ergo non omniscius. Si tandem postremum: ergo invidus. Hoc argumentum esse videtur S. Augustini: *usque adeo*, inquit (a), *desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, et hoc Deum vidisse non putet, aut putet vidisse, et credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minime potuisse?*

298. ℟. Sunt qui opinentur, Deum non potuisse mundum in se optimum creare. Nam, inquiunt, quaevis creatura quomodocumque perfecta, semper tamen atque essentialiter est finitia, eique propterea alia atque alia in infinitum addi potest ulterior pefectio: finitum enim dicitur atque est, quod perfici ulterius semper potest. Nulla igitur esse potest res creata, quae ulterius perfici nequeat, quaeque proinde sit in se aliarum omnium ejusdem generis absolute possibilium optima. Heque porro Deus esset impotens: non enim id posset ex parte sui, sed tantum ex parte rei creatæ in se optimae, que esset omnino impossibilis. (*)

Sed

(a) *Lib.* 1. *cont. Adversarium Legis et Prophet. cap.* 14. *n.* 20.

(*) *Hinc porro sequeretur, divinorum attributorm manifestationem non solum non debuisse esse omnium maximam, quod superius indicavimus* (§. 290.), *verum etiam ne esse quidem potuisse: non enim potuit Deus mundum in se optimum, qui unus esset medium ad id operis, condere. Accedit eodem, quod divina attributa sunt tum intensive tum exten-*

Sed demus, mundum in se optimum absolute non repugnare. Scivit igitur Deus, potuitque id genus mundum condere; noluit tamen. Ergone invidus? absit: quid enim invidere poterat mundo non adhuc existenti, sed tantum possibili is, qui sibi sufficentissimus est, plane nullius rei indigus, ac per se beatissimus? Sed pressius Adversarios urgeamus. An invidus Deus, si nullum omnino mundum condidisset? Si dixerint; ergo sicuti repugnat, Deum esse invidum, ita repugnat quoque, ipsum non creasse mundum, proindeque non libere sed necessario eumdem condidisse dicendus est. Si negaverint; quid istud? invidus Deus, si aliqua bona, licet non ea omnia, quae poterat, contulit creaturis: non invidus, si ne ullum quidem bonum vel minimum eiusdem contulisset? apage nugas.

299. Nihil porro Augustinus nos premit. Quod ut constet, quaedam ejusdem testimonia recitemus expendamusque, quibus compertum fiet, quid ipse praesenti super re senserit. Docet itaque (a), *non ipsa peccata vel ipsam miseriam perfectioni universitatis esse necessaria*. Hinc autem sequitur 1., mala moralia ad mundi optimismum haud conferre, contra ac contendit Leibnitius: 2. mundum sine peccatis sine miseria esse potuisse perfectum: 3. Deum potuisse mundum, in quo nulla essent peccata, miseria nulla, creare: 4. denique id genus mundum in se esse praesenti mundo accidentaliter perfectiorem: mala enim sunt bonorum carentia ac privatio, atque ideo mundus, qui eadem non haberet, majorem bonitatem in sese profecto complecteretur. Vides ergo, quantum a Leibnitianorum doctrina alienus sit Augustinus. Praeterea postquam dixerat S. Doctor (b), quod *Deus ita est artifex in magnis, ut minor non sit in parvis*.

(a) *Lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 9. *n.* 26.

(b) *Lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 22.

extensive infinita; quod autem infinitum est, nullum habet gradum ultimum, ultra quem sese non extendat: secus namque finiretur. Quare divina ipsa attributa manifestari semper ac semper in infinitum possunt, quin ad ultimum manifestationis gradum unquam perveniatur, atque ideo fieri nequit, ut eorum manifestatio sit omnium maxima, sed quantacumque fuerit, in gradu aliquo eoque determinato consistat necesse est.

vis, subdit, *quae parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt*. Non itaque ex intrinseca rerum creatarum perfectione metiendae sunt res ipsae creatae, sed ex artificis sapientia: unde quum sive in objecto testimonio, sive etiam alibi (a) asserit, mundum hunc esse aliquid *melius*, non *optimum in se* intelligit, qua de re hoc loci disputamus, bene vero ratione divinae sapientiae, modi, ordinis, finis, similium, quod ultro concedimus (§. 276.). Ceterum advertendum est, S. Augustinum ea, quae nobis contraria esse videntur, protulisse adversus Manichaeos, ut ostenderet, mala in hoc mundo existentia non debere Deo summe malo accepta referri, neque Deo summe bono adeo indigna esse, ut permitti ab ipso non potuerint. At vero aliud est, quod Deus bonus permittere potuerit mala, et aliud, quod mala non solum non vilient mundum atque corrumpant, sed quinimmo ad ipsius conferant optimismum.

300. *Inst.* Ea voluntas est magis perfecta, quae magis perfecta eligit. Insipiens esset artifex, qui cum perfctiori ratione elaborare possit opus suum, illud ipsum minus perfecte construeret. Denique artificis peritia ex perfectiori opere aestimari aequo jure solet. Cum itaque Dei voluntas sit perfectissima, infinita quoque sit ejusdem sapientia, ac demum mundum condiderit, ut haec ipsa ejus sapientia manifestaretur; profecto mundum in sa aliis quibusque possibilibus praestantiorem elegisse dicendum est.

301. ℟. Divina voluntas esset perfectissima, quamvis nullam omnino rem *ad extra* elegisset: cum enim creatis rebus opus non habeat, nullam sane ex earum electione perfectionem potest sibi comparare. Aliter sese res habet quoad voluntatem creatam. Haec sicuti perfici ulterius potest, ita ad majoris boni acquisitionem subordinatur: unde si aut nulla bona, aut minus bona eligeret, minus quoque esset perfecta, supposito tamen, quod minus bona non magis fini a voluntate ipsa intento respondeant.

302. Ideo porro insipiens esset artifex, qui opus suum non ea perfectione, qua posset, elaboraret, quia vel teneretur opus, quod perfectius sit, construere, vel saltem fini suo, qui esset vel majus operis sui pretium, vel major honor et exti-

(a) *Lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 5.

existimatio, vel quidpiam aliud, non responderet. At Deus neque tenetur opus perfectius condere, tametsi possit, neque vel minimum, uti saepius diximus, a fine sup. deflectit, si mundum in se non optimum procrearet.

303. Denique artificis humani peritia ex opere ipso aestimari solet: at sapientia Dei ex modo praesertim, quo operatur, et ex mediorum ad finis consecutionem aptitudine aestimanda est, unde Deus in magnis aeque quam in parvis est magnus (§. 284.).

304. *Ob*. 3. Alia plura in medium proferunt pro re sua Optimistae. Mala, inquiunt, moralia nihil omnino optimismo hujus mundi detrahunt, imo vero ad ipsum mirum in modum conferunt. Nam missis ceteris, sine peccatis peracta non fuisset Divini Verbi Incarnatio, quae est opus praestantissimum, ac bonitate sua qualemcumque ipsorum peccatorum malitiam infinite superat. Ruit igitur unum ex praecipuis contrariae sententiae fundamentis (§. 282. *n*. 3.).

2. Si ulla esset in Deo condendi hunc mundum in se optimum necessitas, ea non esset nisi hypothetica; scilicet vi rationis sufficientis leibnitianae Deus non absolute debuit mundum condere, sed tantum condere ipsum debuit in se optimum in hypothesi, quod eumdem creare liberrime voluerit. Ad summum necessitas, quae ex ratione sufficiente procedit, fuisset moralis. Non itaque in leibnitiano systemate evertitur divina libertas; quo sane cadit alterum contrariae sententiae fundamentum (§. 282. *n*. 1.).

3. Scriptum est (*a*): *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*, hoc est, *optima*: nam ubi latinus Interpres legit apud Ecclsiastem (*b*): *cuncta quae fecit bona*, syriaca versio habet: *omne quod fecit optimum*; et arabica: *omnes res, quas fecit, cognovit esse optimas*. Hic igitur mundus est in se optimus.

4. S. Ambrosius. Deus, inquit (*c*), *fecit quasi bonus quod foret utile; quasi sapiens quod optimum judicabat; quasi omnipotens quod amplissimum providebat*. Alios mittimus Ecclesiae Patres, qui in hanc eamdem sententiam conspirant.

305.

(*a*) *Gen. cap.* 1. *v.* 31.
(*b*) *cap.* 3. *v.* 11.
(*c*) *Lib.* 1. *Hexaemeron cap.* 5.

305. ℟. *ad* 1. Mala moralia adversari mundi optimismo adeo perspicuum per se est, ut nihil magis (§. 282. *n.* 3.). Neque vero divina Incarnatio Leibnitii Volfiique causam vel minimum juvat. Imprimis enim doceat, neque omnino immerito quidam Theologi praesertim Scotistae, ipsam futuram fuisse, tametsi Adam non peccasset. Illud saltem certum est, ipsam fieri, etiam seclusa quavis culpa, potuisse. An culpa adeo penes Deum promeruit valuitque, ut sine ipsa praestantissimum Incarnationis opus decerni efficique nequaquam potuerit? Humana reparatio, quae culpam supponit, non fuit nisi secundarius Incarnationis finis: primarius siquidem atque ultimus esse non potuit nisi Deus ipse, propter quem facta sunt omnia. Hinc porro jure urgentur adversarii. Mundus innocens simulque divini Verbi Incarnatio esse absolute poterant; at hic mundus melior in se esset perfectiorque mundo criminoso; ergo alius mundus, qui sit in se praesente mundo perfectior, est absolute possibilis, proindeque noster hic mundus non est in se aliorum absolute possibilium optimus.

306. ℟. *ad* 2. In systemate leibnitiano non solum apparet necessitas condendi mundum in se optimum ex hypothesi, quod Deus voluerit aliquem mundum creare, sed apparet quoque necessitas, eaque absoluta condendi ipsum mundum. Id manifeste constat ex iis, quae alibi de principio rationis sufficientis, si in sensu leibnitiano usurpetur, universim disseruimus (*Ontol.* §. 220. *et Psychol.* §. 587. 588). Sane vi laudati principii vel tenetur Deus eligere quod melius in se est, vel non. Si hoc alterum: ergo poterat Deus mundum in se non optimum eligere, quin summa ejus sapientia aut quodvis aliud ejusdem attributum huic electioni vel minimum adversaretur, atque ideo totum rueret leibnitiani systematis fundamentum. Sin autem tenetur eligere, quod melius in se est; ergo necessario mundi creationem eligit; necessario et quidem ex aeternitate, si quidem fieri potuit, vel saltem multo ante sex mille ab hinc annos ipsum condidit; necessario demum eumdem conservat, et conservabit aeternum. Nam melior in se est existentia mundi quam ejus non existentia, meliorque tum praesens cum aeterna ejusdem duratio: si enim *existere* melius in se est, melius quoque in se erit *semper existere*. Haec porro necessitas est absoluta: quandoquidem juxta Leibnitium eligere non in se me-

melius, adversatur rationi sufficienti; quod rationi sufficienti adversatur, est sine ratione sufficiente; quod sine ratione sufficiente est, est absolute impossibile (*Ontol.* §. 194.); quod demum est absolute impossibile, ejusmodi censetur, ut ejus oppositum sit absolute necessarium (*ibid.* §. 42.). Igitur laudata necessitas est absoluta.

Quae universim de electione mundi diximus, dici etiam debent de mundi hujus electione. Nam pro electione hujus mundi vel adfuit ex aeternitate sufficiens ratio, vel non. Hoc alterum esse nequit: imprimis enim mundi hujus perfectio, in qua per Leibnitium sita est ratio sufficiens divinae electionis, aeterna fuit. Deinde cum Deus ex aeternitate hunc mundum reapse elegerit: si sufficiens hujus electionis ratio vel tum non fuisset, elegisset hunc ipsum mundum sine ratione sufficiente: quod omnino repugnat (*ibid.* §. 194.). Adfuit igitur ex aeternitate memorata sufficiens ratio, eamque ab aeterno et quidem necessario novit Deus, idque, juxta nostrum concipiendi modum, ante quamcumque arbitrariam ipsius Dei determinationem, cum per Leibnitium ipsum non ratio sufficiens determinationem, sed determinatio rationem sufficientem subsequuta fuerit. Atqui posita ratione sufficiente, poni etiam et quidem absolute necessario debet rationatum (*ibid.* §. 214. *Can.* II.): ergo electio hujus mundi fuit absolute necessaria, proindeque necessitas, qua Deus mundum, et quidem praesentem elegit, est plane absoluta.

307. At, *inquis*, necessitas, quae oritur ex rationis sufficientis principio, et qua Deus mundum in se optimum elegit et condidit, est tantum *moralis*, quae libertatem non tollit. Verba sunt isthaec: nam laudata necessitas est absoluta, uti antea dicebamus, atque ideo veram proprieque dictam libertatem evertit. Nihil porro refert, si eam *moralem* adpellaveris: ipsa enim, quae ceteroqui in hominibus conciliari cum libertate potest, in Deo est ac dici debet *metaphysica* (*ibid. Annot. ad* §. 42.), quae conciliari cum libertate nullatenus potest.

308. ℞. *ad* 3. Pluribus modis ea, quae fecit Deus, esse poterant *optima*, uti superius adnotavimus (§. 276.). Quare ostendendum praeterea esset ab Adversariis, ea dicta fuisse optima in se, quatenus nullus sit alius mundus absolute possibilis, qui hoc nostro in se perfectior esset ac dici posset. Bona itaque dicuntur, quae creavit Deus, singillatim

accepta, unde tamquam *bona* laudantur; *valde* autem *bona*, seu etiam *optima*, simul sumpta, ut innueretur, ea fuisse ita ordinata, quod velut unus quidam cumulus seu collectio rerum bonarum emerserit. Ceterum si initio sui mundus innocens beatusque fuit optimus, sane evasit non optimus per subsequentia mala, quibus criminosus factus est ac miser: mala enim sunt vitia, vitia autem imperfectio: cum igitur haec boni carentiam supponat atque involvat, si mundus antea fuit optimus, nunc profecto optimus non est. Jam vero mundum hoc loci sumimus quatenus res omnes etiam successivas complectitur. Hic itaque mundus neque est nec dici potest in se optimus.

309. ℞. *ad* 4. Docet S. Ambrosius (*a*), Deum posse alios plures coelos pro libero suae voluntatis nutu creare. Hinc sequitur 1. hunc mundum non esse in se omnium absolute possibilium *optimum*: si enim potest Deus alios coelos condere, cur non etiam alias aliasque rerum species, individua, cetera, ex quibus mundus hoc nostro in se perfectior emergeret? 2. Hunc mundum non esse reapse *amplissimum*: ubi enim quaeso coeli alii collocarentur? Itaque mundum hunc adpellavit *optimum* quoad finem, ordinem, dispositionem, harmoniam, similia: *amplissimum* vero quatenus extensus plurimum est. Sed ut quantum distet Ambrosius a Leibnitianis, quisque perspiciat, advertat quaeso, S. Doctoris sententiam esse, Deum pro liberae voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio hunc ipsum mundum fecisse; contra ac docent Leibnitiani, quibus vulgare est, Deum sicuti teneri ad melius, ita quoque mundum hunc quatenus optimus est, creare.

Alia mittimus: nam quae hucusque exposuimus, viam facile sternunt, ut cetera, quae adduci in medium possent, Adversariorum momenta diluantur, praesertim si, quae de principio rationis sufficientis, ac de natura humanae libertatis in Ontologia et in Psychologia disputavimus, perspecta sint et explorata.

CAPUT II.
De Deo Conservatore.

Duo potissimum ad praesens institutum pertinent, scilicet crea-

(*a*) *Lib.* 2. *Exaemeron cap.* 2.

creaturarum in accepta existentia *conservatio*, ac Dei cum ipsis creaturis ad operandum *concursus*. Huic affinis quammaxime est *physica*, ut ajunt, *praemotio*.

QUÆSTIO VIII.

Utrum Deus res omnes directe ac positive conservet?

310. *Def. Conservatio* illud dicitur, per quod creata res aliqua quoad entitatem suam spectata in existentia jam antea accepta perseverat.

311. *Schol.* Res aliqua triplici ratione concipi potest in accepta existentia perseverare: 1. quatenus per actionem aliquam positivam reapse perseverat in existentia: 2. quatenus ea removentur, quae rem illam possent destruere: 3. denique quatenus id, quod destruere eamdem rem potest, eam re ipsa non destruit. Exemplo sit motus penduli in horologio. Me ipsum conservare concipio, si aut manu eumdem continue producam; aut ea removeam, quae illum ipsum restinguerent; aut demum nihil quidem horum efficiam, sed tamen cum non destruam, cum destruere eumdem possim. Hinc triplex conservatio, quarum prior *directa* dicitur sive *positiva*, *indirecta* altera, postrema tandem *negativa*. De indirecta ac negativa nulla esse penes eos potest controversia, qui Deum agnoscunt: nemo enim negaverit, Deum ea posse removere, quae rem aliquam creatam destruere possent; tum ipsum posse rem quamvis ab eodem creatam destruere, atque ideo si eam haud destruit, eamdem saltem *negative* conservare. Tota itaque praesens disputatio eo spectat, an nempe Deus res creatas singulis momentis, quibus existunt, directe seu positive conservet, hoc est, efficiat actione sua, ut ipsae in accepta existentia perseverent?

Phylosophorum opiniones.

312. Athei quamcumque rerum creatarum conservationem denegant Deo, cum Deum ne existere quidem contendant. Sed apage homines non impios modo, sed etiam stultissimos. Alii, qui et Deum esse, et creasse res omnes fatentur, putant, tantam in creaturis ipsis inesse vim, ut sine ulla alia subsequente positiva Dei actione in existentia semel accepta perseverent. Quapropter unam *indirectam* ac *negativam* conservationem ipsi Deo adscribunt; quod prae cete-

ris

ris sentiunt, Deistae, qui nimirum Deum nullam habere de rebus ab eodem semel creatis curam falso opinantur. Reliqui omnes, si unus excipiatur Johannes Clericus, qui hac super re anceps videtur, plane inter se consentiunt, Deum directe ac positive res omnino omnes conservare; in eo tamen discriminantur, quod alii eas conservare velint per certum quemdam *influxum*; alii vero satius esse putent, si tantum Deus voluntate sua easdem conservare dicatur, quidquid demum sit de asserto influxu, quem neque intelligi posse autumant, neque explicari. Hoc idem et ipsi sentimus.

PROPOSITIO.

Deus creaturas omnes directe ac positive conservat.

313. *Pr.* 1. Res creata sicuti nonnisi contingenter primum existit; ita quoque non existit nisi contingenter aliis quibusque momentis, quibus in accepta existentia perseverat: neque enim dum existens fit, essentiam suam vel minimum mutat. Praeterea quo modo se habet primum existentiae momentum eodem se habet quoque subsequens alterum: utrumque siquidem est aeque contingens, et creatura est aeque indifferens ad primitus existendum, quam ad perseverandumin existentia: neque enim primum existentiae momentum adeo cum successivo momento altero, et ita porro connectitur, ut priori illo posito, alterum quoque, atque ita deinceps poni necessario debeat. Itaque sufficiens ratio tum existentiae cum perseverantiae in existentia substantiae creatae non in ejus essentia, sed in alio ab eadem distincto contineatur necesse est. Hoc autem aliud esse non potest quaevis alia substantia creata: haec enim si nequit propriam existentiam sibi conservare, multo sane magis conservare non poterit existentiam alterius substantiae. Est igitur Deus. Cum itaque eodem modo se habeat alterum existentiae substantiae creatae momentum, quo se habet primum, aliunde vero primam creaturarum existentiam directe ac positive producat Deus; manifestum est, ipsum Deum directe ac positive creaturas omnes conservare.

2. Rei creatae annihilatio a Deo non fit per positivam aliquam actionem; annihilatio enim est *non existentia*, existentiae carentia, aliquid negativum, verbo, *nihilum*. At divina positiva actio non ad nihilum, sed ad aliquid positivum terminatur, cum immediatus caussae positivae effectus esse et ipse debeat positivus: secus enim Deus positiva

actio-

actione sua efficeret *nihil*, quod perinde est ac *non efficere*. Deus itaque non annihilat rem aliquam nisi *negative*, hoc est, per positivae suae actionis subtractionem (*), haecque subtractio plane sufficit, ut res omnes annihilentur, seu non amplius existant. Porro annihilatio permanentiae seu conservationi opponitur. Si ergo res creatae existere perseverant, haec perseverantia existentiae procedit a positiva Dei actione, ac proinde idem Deus creaturas omnes directe ac positive conservat: *Q. E. P.* (**).

314. *Corol.* I. Errant qui docent, ad annihilationem requiri in Deo positivum nolitionis actum: sufficit enim mera actus positivi, quo res conservat, omissio, seu positivae suae actionis subtractio.

315. *Corol.* II. Defectus quique creaturarum, puta moralis malitia, limitationes, negationes, privationes vere ac proprie a Deo non conservantur. Hae siquidem non sunt nisi negatio existentiae alicujus perfectionis ac realitatis. At sicut perfectionis ac realitatis *non existentia* opus non habet positiva Dei actione, ita quoque eadem atque ideo vera proprieque dicta conservatione opus non habent defectus, ut in jam habita existentia perseverent.

(*) *In Ontologia* (§. 307.), *atque in Psycholgia* (§.63.) *diximus, eamdem infinitam vim ad annihilationem, quam ad creationem requiri; quod quidem non eo sensu intelligi debet, quasi Deus vim re ipsa infinitam exserat, eaque operetur, dum substantiam aliquam annihilaret, cum satius esse constet, si actio vis infinitae, qua res conservat, cessaverit; bene vero quatenus sicuti vi infinita res creatur, ita non nisi actionis vis infinitae cessatione res ipsa annihilari non potest: tum quatenus, si Deum excipiamus, vis infinita requireretur, ut substantiae existentia, quae positiva est, ab aliis caussis destruatur.*

(**) *Haec ipsa veritas patere ex eo etiam potest, quod si ad creaturarum conservationem non requireretur jugis divina actio, consequens foret, quod si Deus, postquam res condidit, per impossibile periret, creaturae ipsae adhuc persisterent, suas servarent vires, operarentur, effectusque producerent; quod quidem absurdum esse videtur, ac supremum Dei in creaturas omnes, earumque qualitates et effectus dominium, tum omnimodam ipsarum creaturarum ab eodem Deo dependentiam labefactare.*

316. *Corol.* III. Conservatio jure ac merito dicitur atque est *continuata creatio*. Utraque enim fit per positivam Dei actionem, illudque tantum intercedit discriminis, quod per creationem res primum existit, seu praecedentem ejusdem existentiam excludit, per conservationem vero res ipsa existere perseverat, seu praecedentem ipsius existentiam supponit.

Audiuntur Adversarii.

317. *Ob.* Deus directe ac positive creaturas non conservat, si ipsae per se conserventur: nam nihil frustra molitur Deus; atqui creaturae per se conservantur; ergo falsa propositio. *P. min.* Quod per se existit, per se quoque conservatur; atqui creaturae per se existunt: ergo etc.

318. ℟. *D. maj.* quod per se et *a se* existit, per se quoque conservatur, *C.*, quod tantum per se existit, per se quoque conservatur, *N. maj*; et *D. min.*, creaturae per se, sed non *a se* existunt, *C.*, secus, *N. min.*, et *cons.* Quod et per se et *a se* existit, a nullo alio neque ut existat, neque ut existere perseveret, dependet. Itaque per sese conservatur, ut Deus. At res creatae quamvis per se existant, cum esse substantiae supponantur, non tamen existunt *a se*, cum sint contingentes. Quare sicuti ut primum existant, ita quoque ut existere perseverent seu conserventur, a positiva Dei actione pendeant necesse omnino est.

319. *Inst.* Res quaelibet retinere per se potest, quod jam habet; atqui etiam quod tantum per se existit seu creatura jam habet existentiam; ergo etiam quod tantum per se existit, per se quoque conservatur.

320. ℟. *D. maj* res quaelibet etc., si id quod habet, ita habeat, ut sine continuata Dei actione perseverare possit, *C.*, secus, *N. maj.*; et *D. min.*, etiam etc., jam habet existentiam, quae sine continuata Dei actione nequit perseverare, *C.*, secus, *N. min.* et *cons.* Tum existentiam, cum existentiae perseverantiam in creaturis a creaturis ipsis non pendere, bene vero ab una continuata Dei actione, superius demonstravimus (§. 313.). Creaturae igitur eam retinere per se non possunt, sed tantum, ut ita dicam, sive primum sive successive a Deo recipere, ut conserventur.

321. *Inst.* Humanum artefactum, aut motus corporum perseverare potest etiam sine continuata artificis sui aut impulsoris actione: ergo a pari etiam creaturae poterunt sine continua-

tinuata Dei actione existentiam, quam jam habent, retinere.

322. ℞ *C. A.*, *N. cons. et parit.* Latissimum est discrimen. Artificiosum cujusvis operis puta horologii *esse* non est nisi substantiae existentis, suisque praeditae viribus modificatio, *extrinsecus* tantum substantiam ipsam afficiens, quae idcirco potest etiam sine ulteriori artificis actione perseverare: scilicet ut primum habeatur, requiritur opificis actio: ut autem perseveret, plane sufficiunt materialis existentis substantiae, cujus modificatio est, insitae vires, puta inertia, cohaesio, similes, supposito tamen, quod a nullis aliis contrariis caussis destruatur. Hoc idem dictum sit de motu, cujus perseverantia a continuata impulsoris actione non procedat. At vero existentia subtantiae creatae ipsam substantiam *intrinsecus* afficit, quo sane non pertingunt caussae secundae; atque ideo quemadmodum ut primum habeatur, ita quoque ut perseveret, nisi ab una Dei actione non pendet.

323. Neque hinc divini Artificis sapientia ac perfectio vel minimum labefactatur, neque continuata ipsius Dei actio est ac dici potest inutilis. Nam humanus artifex, qui opus construeret, quod indigeret continuata ipsius actione, ea de caussa minus sapiens, minusque perfectus, ac demum inutiliter continuatam actionem suam conferre diceretur, quod opus ipsum, quod conservetur sine immediata ejusdem ope, construere posse supponatur. At vero Deus nequit creaturas condere, quae per sese conserventur.

324. *Inst.* Si creaturarum existentia nequit perseverare sine continuata Dei actione, res existens singulis quibusque existentiae suae momentis a Deo reproduceretur; atqui hoc et inutile est et plane falsum. Inutile, inquam; si enim res producta jam est, cur quaeso iterum reproducenda? Falsum quoque: in hac enim hypothesi existentia non esset re ipsa continuata, sed interrupta, cum id quod producitur, antea non existere supponatur. Ergo sicuti humanum artefactum etc., ita etiam creaturae etc.

325. ℞. *D. maj.* si etc., res existens singulis quibusque existentiae suae momentis a Deo vere ac proprie reproduceretur, *N.*, fieret actio ei similis, qua Deus rem illam primum produxit, *C. maj.*; et *D. min.*, inutile est ac plane falsum, quod res existens singulis quibusque existentiae suae momentis a Deo vere ac proprie reproducatur, *C.*, quod fiat actio ei similis, qua Deus rem illam primum produxit, *N. min.*

N. min., et *cons.* Quo sensu conservatio et creatio inter se conveniant, et a se invicem discriminentur, perspicue superius adnotavimus (§. 316.). Deus itaque quum rem conservat, ipsam antea existentem non destruit, iterumque vere ac proprie producit, sed tantum continuata actione sua ei plane simili, qua rem illam primum condiderat, efficit, ut eadem omnino continue ac sine ulla prorsus interruptione existere perseveret. Hoc autem neque inutile est neque falsum, sed quinimmo et necessarium et verissimum, uti ex hactenus dictis manifeste constat.

326. *Inst.* Ideo Dei actio ei similis, qua rem primum creavit, requiri dicitur, ut ipsa conservetur, quia res creata per unam divinae actionis subtractionem seu *negative* tantum annihilatur (§. 313. *n.* 2.); atqui ut annihiletur res aliqua creata, requiritur actio Dei positiva: ergo etc. *P. min.* Existentia creaturarum est quid positivum; atqui quod positivum est, nonnisi per aliquid positivum destruitur: ergo etc.

327. ℟. Non omne, quod positivum est, destrui nisi per quid positivum non potest. Ad cessationem soni plane sufficit, quod cesset actio, qua sonus ipse producitur. Itaque ad destructionem seu potius cessationem creatæ existentiae sufficere potest immo debet etiam sola divinae positivae actionis, qua Deus res ipsas creatas conservat, cessatio (*ibid.*).

328. *Dices.* Ex quo res creata, ut primum existat, opus habeat actione Dei positiva, non sequitur, eadem indigere, ut existere perseveret. Ideo namque primum illud, quia res non adhuc existens ne vires quidem habet, quibus agat, sibique existentiam producat. At res jam existens, viribus, si quas habet, agere potest, ideoque propriam quoque existentiam a Deo jam acceptam continuare.

Praeterea nulla res seipsam per sese iis privat, quibus donata est, immo vero se suaque conservare, quantum potest, conatur. Itaque creatura non poterit modo, sed etiam debet existentiam suam per sese et retinere et conservare.

329. ℟. *ad* 1. De utroque statu rei creatae idem omnino sentiendum est. Enimvero tam existentia in priori momento quam existentia in momento altero est aeque contingens; eodem quoque modo eidem creatae rei convenit; nulla denique essentialis priorem inter et subsequentem existentiam in-

intercedit

tercedit connexio. Deus itaque sicut primam existentiam, ita quoque et alteram positiva actione sua producit, neque creaturae tantam in se vim habent, ut acceptam a Deo existentiam sibiipsis conservent.

330. ℟. *ad* 2. Concedimus, creaturam non posse seipsam privare existentia: haec enim ab illa nullatenus pendet. Sed quid inde? an id plane sufficit, ut etiam seipsam conservet? Hoc est, quod ab Adversariis probandum superest. Porro conatum, quo existentiam suam retinere dicuntur creaturae, eo sensu admittimus, quatenus ipsam suam existentiam neque destruant neque destruere possint, non autem quatenus vi propria eamdem sibi conservent ac tueantur.

QUÆSTIO IX.

Utrum Deus ad omnes creaturarum actiones concurrat, et qoumodo?

331. *Def. Concursus* universim habetur, quum duae vel plures caussae ad unius ejusdemque effectus productionem conferunt.

332. *Schol.* In divino cum creaturis concursu supponitur, creaturas ipsas vim agendi habere: aliter enim solus Deus, nihil vero creaturae ad effectuum productionem conferrent, contra ac postulat concursus natura (§. 331.). Duplex porro esse potest concursus, *moralis* sive etiam *specialis* et *physicus* sive *generalis*. Prior quidem, si Deus, quod sane praestat, sanctione legum, suasione, hortatu, praecepto quoque, praemii illicio aut timore poenae, aliisque id genus mediis homines ad actiones moraliter bonas excitaret. Etiam *specialis* adpellatur: non enim quoad omnes omnino creaturarum actiones, sed quoad eas tantum, quae moralis bonitatis capaces sunt, a Deo exercetur. *Physicus* vero sive *generalis*, si Deus ad plane omnes actiones physicas creaturarum, effectusque inde exortos conferret.

Concursus praeterea vel *mediatus* est, quum nempe caussa non immediata actione sua, sed tantum alterius caussae ope effectum aliquem produceret, velut qui aut baculo lapidem moveret, aut homini alteri praeciperet, ut eumdem moveat; et *immediatus*, scilicet quum caussa, quae concurrit, per sese seu immediata actione sua quidquam efficeret.

 Postre-

Postremus hic divinus concursus dici etiam solet a Scholae Philosophis immediatus *immediatione suppositi*, quatenus Deus creaturis non modo concessisset vim agendi, eamque in eisdem conservaret, sed praeterea virtute sua, hoc est, proprio *supposito* seu natura ita ageret una cum ipsis, ut effectus inde exortus totus, quantus est, sicuti a creaturis, ita quoque a Deo immediate procederet. *Simultaneus* etiam et quidem jure adpellatur.

Sensus quaestionis.

333. Hujus disputationis scopus est, an Deus ad omnes creaturarum actiones immediate *immediatione* etiam *suppositi* concurrat; seu an Deus ipse unacum creaturis quosvis effectus physicos producat?

Opinionum historia.

334. In plures sententias abeunt praesenti super re Philosophi. Mittimus Atheos, qui sicuti Deum, ita quoque omnem omnino ejusdem cum creaturis concursum prorsus eliminant: tum Platonicos illos, quibus visum est, materiam esse aeternam, increatam, obstipam, pervicacem, Deoque ipsi in pluribus obsistere, neque omnino domari ab eodem posse (*Annot. ad* §. 240.), quorum proinde judicio materia non solum existentiam et vires a Deo non recepit, sed etiam aliqua saltem ex parte, quatenus nempe indomabilis est, a Deo ipso independenter operatur. Ceteri Philosophi, qui Deum et existere fatentur, et res omnes condidisse, non omnino inter se conveniunt. Malebranchius simultaneum concursum rejicit, quatenus opinatur, res praesertim corporeas habere vim nullam, nullumque effectum producere (*Ontol.* §. 297.). Omnia itaque et singula solus Deus in rebus illis operatur (*). Autumant Deistae, quod Deus postquam res quasque crea-

(*) *Malebranchius universim ex eo etiam rejicit rerum corporearum cum Deo concursum, quod intelligi ipsum non posse opinetur. Sed intelligit ne, qua ratione humana voluntas, cui ceteroqui agendi vim adscribit* (Ontol. §. 298.), *cum Deo ipso concurrat? aut forte Deum ad ipsius humanae voluntatis actiones concurrere negaverit? Satius esse debet viro philosopho, si concursum hunc simultaneum re ipsa haberi, quidquid sit de modo quo fiat, perspicue eidem constet. Ceterum nihil omnino quoad rerum materia-lium*

creavit, exornavitque suis viribus, easdem sibiipsis deseruerit, nullamque amplius circa eas earumque operationes atque effectus curam gerat. Hinc non modo concursum immediatum *immediatione suppositi*, sed *moralem* quoque e medio tollunt; quod quidem postremum impium est ac blasphemum. Durandus de S. Portiano, Ludovicus Perierus de Dole, Nicolaus Taurellus, Bernierus, aliique perpauci unum tantum negant immediatum *immediatione suppositi* divinum concursum; putant nempe, Deum non solum legum sanctione, suasionibus, aliisque id genus mediis homines ad actiones moraliter bonas excitare, sed etiam virtutem quibusque creaturis concessisse, qua operarentur, eamque conservare, quin tamen ipse actione sua ullum effectum physicum cum creaturis immediate producat. Hujus opinionis meminit etiam S. Augustinus (*a*): *sunt* inquit, *qui arbitrentur, tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit; Deum autem ipsum nihil operari*. Aliter sentiunt ceteri quique tum veteres cum recentiores Philosophi.

PROPOSITIO.

Deus ad omnes omnino creaturarum actiones immediate immediatione suppositi concurrit.

335. *Pr.* Deus creaturas omnes ac totas singulis, quibus existunt, momentis conservat (§. 313.). Totas, inquam: neque enim cur conservet partim, partimque vero non conservet, ulla nobis apparet sufficiens ratio. Eas itaque conservat, et quatenus existunt, et quatenus sunt id quod sunt, ideoque pro statu quolibet, quem obtinent, seu non quoad virtutem tantum agendi, sed etiam quoad earum attributa, affectiones, qualitates, actiones, verbo, omnia. Hoc idem dicendum de creaturarum effectibus, qui et ipsi creaturae procul dubio sunt. Jam vero creaturas conservare perinde est ac easdem continue producere (§. 316.). Deus igitur creaturas operantes, earumque effectus singulis quibusque momentis producit. An continuata haec productio est Dei actio:

(*a*) *Lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 20.*

lium vires actiones effectusque hoc loci definimus. Deum simultaneum concursum mox vindicabimus, hoc unum ostendere in animo est, quod nempe Deus cum creaturis, si quidem et quando agunt, concurrat.

actio: Deus itaque cum creaturis continue agit, suaque actione effectus omnes cum creaturis ipsis producat oportet. Id autem nihil praeterea est, quam concurrere immediate immediatione suppositi (§. 332.): ergo Deus ad omnes omnino etc. *Q. E. P.*

336. *Schol.* In hac nostra hypothesi facile intelligitur, qua ratione Deus quandoque, intacta plane creaturarum natura, effectus naturales praepedire potuerit; velut quum babilonicae fornacis ignis trium puerorum corpora ne minimum quidem laesit. Nempe Deus unam actionem suam, qua concurrit ad effectuum productionem, plane suspendit, eoque uno factum fuit, ut eadem, qualis antea erat, et ignis et humanorum illorum corporum natura perseverante, nullus effectus produceretur. At in Durandi aliorumque, quos potissimum hoc loci refellimus, opinione, dici oporteret, Deum aliquid sive quoad ignem sive quoad corpora illa immutasse.

Objecta diluuntur.

337. *Ob.* 1. Deus esse non potest caussa peccati; atqui esset peccati caussa, si etiam ad malas hominum actiones immediate concurreret: igitur Deus ad aliquas saltem creaturarum actiones immediate non concurrit, atque ideo falsa est propositio.

338. ℟. *C. maj.*, *D. min.*, esset peccati causa, si etiam ad malas hominum actiones *moraliter* spectatas immediate concurreret, *C.*, spectatas tantum *physice*, *N. min.*, *et cons.* In qualibet actione mala distingui debet, quod *physicum* est, ab eo, quod est *morale*. Illud est actio ipsa, hoc autem alterum est moralis malitia, seu deficentia ipsius actionis a debita cum morum legibus conformatione (§. 106.). Porro Deus ad actionem physicam, quae bona per se est ac positiva, immediate concurrit, non autem ad moralem malitiam eidem adnexam: haec enim est defectus, privatio, nihil (§. 107.), quae quidem sicuti actione positiva non conservat Deus (§. 315.), ita neque actione sua seu immediato concursu producit. Tota itaque moralis malitia ab homine, qui usu libertatis abutitur, pendet, atque ipse solus est ac dici debet caussa peccati.

339. Aliter sentiendum est de moraliter bonis hominum actionibus: cum enim ipsae tum physice cum moraliter bonae sint ac positivae, sub utraque ratione ad easdem concurrit Deus; nempe et *generali* concursu, dum actione sua ipsas

ipsas producit, et *speciali*, dum suasionibus, aliisque id genus auxiliis movet homines et adiuvat, ut easdem et eliciant et in ipsis sese exerceant.

340. ***Inst.*** Ubi inter duo necessaria intercedit connexio, fieri unum nequit, quin simul fiat et alterum; atqui inter malam actionem physice inspectam et inspectam moraliter, seu physicam ipsam actionem inter et moralem ejusdem malitiam necessaria intercedit connexio: ergo Deus ad malas hominum actiones etiam moraliter spectatas immediate concurreret.

341. ℟. *C. maj.*, *D. min.*, inter malam actionem etc., ex parte hominis, *C.*, ex parte Dei, *N. min.*, *et cons*. Non adeo imprimis mala actio physice spectata cum morali malitia connectitur, ut illa sine ista esse non possit. Qui usus rationis compos non est, nullius omnino criminis reus censetur, quamvis quid physicum etiam turpissimum patraret. Hinc celebris apud morales Teologos illa malum seu peccatum *materiale* inter et malum seu peccatum *formale* distinctio. Quod si de ea actione loquamur, quae attentis circumstantiis, hic et nunc malitiam moralem necessario adnexam habet, id verum est ex parte hominis, qui ita operatur: hic enim non modo esset activa et efficiens laudatae physjcae actionis caussa, sed etiam caussa moralis malitiae, cum et defectibilis sit et libere morum legem transgrederetur, deflecteretque a debita cum lege ipsa conformatione. At non ex parte Dei, qui indefectibilis est, ac malitiam illam et detestatur et vetat.

342. ***Inst.*** Si alter homo cum altero ad malam actionem immediate concurreret, talis esset actionem ipsam inter et actionis malitiam connexio, ut uterque fieret peccati caussa ac reus: ergo &c.

343. ℟. Si homo ex officio concurrere teneatur ad malam alterius actionem, aliunde vero ipsius actionis malitiam detestetur, falsum est, ipsum fieri peccati caussam, evadereque ejusdem criminis reum. Hinc non peccat Sacerdos, qui sanctissimum Christi corpus publice ipsum petenti distribuit, tametsi certo sciat, hunc hominem esse omnino indignum, sacrilegumque facinus patrare. Jam vero Deus utpote universalis caussa et naturae auctor tenetur ad quasvis hominum actiones physicas concurrere, et aliunde moralem earundem malitiam detestatur. Tenetur, inquam, vi legis sibi praestitutae, ne scilicet statutum ordinem, tum caussarum

secun-

secundarum indolem ac libertatem evertat. Quapropter Deus quum ad malas hominum actiones immediate concurrit, nulla prorsus ratione est ac dici potest caussa peccati.

344. Hinc etiam intelligitur, cur homo peccet, si quum peccatum impedire possit ac debeat, reapse non impedit; non autem peccet Deus, cum nulla lege illud praepedire teneatur, immo vero praepedire per concursus sui subtractionem nequeat, nisi universalem legem sibi tamquam naturae auctori praestitutam aliquo saltem modo evertat.

345. *Ob.* 2. Quod est plane inutile rejiciendum est: atqui immediatus Dei cum creaturis concursus est plane inutilis: ergo &c. *P. min.* Creaturae utpote principales caussae vim in se habent ad agendum, tum ad modificationum productionem omnino sufficientem: ergo &c.

346. ℟. Vis, quam habent creaturae, eatenus est ac dicitur sufficiens, quatenus per ipsam possunt agere. At vero ut re ipsa operentur, requiritur praeterea immediatus Dei concursus, uti paullo superius manifeste demonstravimus. Requiritur, inquam, non quasi ipsam creaturarum potentiam intrinsecus perficiat ultimoque compleat (concursus enim non afficit potentiam); bene vero quatenus ipse ratione conservationis creaturarum actiones unacum ipsis producit.

347. *Inst.* Artifex, qui sapiens fuerit ac potens, ita opus suum construit, ut nullo immediato ipsius artificis concursu deinceps indigeat; atqui Deus et sapientissimus est et potentissimus: ergo creaturae tantam vim habent a Deo, ut sine immediato ejus concursu re ipsa operentur.

348. ℟. Quidpiam simile jam paullo antea extricavimus (§. 322.). Opus fabrefactum non essentialiter pendet ab artifice, sed eas in se habet vires, quibus modificationes ab artifice inductas sine ulteriori ejusdem actione conservet, suosque effectus producat. Unde imperitus esset artifex, si machinam, quae ceteroqui capax per se esset ad peragendos motus suos sine immediata ipsius artificis actione, ita construeret, ut ea ipsa actione continue indigeret. At creatura capax non est, nec tantam vim habet, ut sine immediato Dei concursu operetur: quandoquidem essentialiter sicuti ut conservetur, ita quoque ut agat, a Deo dependet, ejusque opus habet positiva actione.

349. *Inst.* Vel Deus concursu suo totum effectum producit, vel aliquam tantum ejusdem partem. Non totum: secus

cus enim unus idemque numero effectus a duabus totalibus sive adaequatis caussis, a Deo nempe et a creatura simul produceretur; quod omnino repugnat. Sin autem aliquam tantum effectus partem; ergo pars altera opus non haberet immediato Dei concursu. Atqui hoc ipso ne ulla quidem ejus pars eodem opus haberet: cum enim utraque effectus pars sit ejusdem naturae; nulla est sufficiens ratio, cur si una non indiget laudato Dei concursu, indigeat altera. Igitur sicuti artificiosa machina bene constructa opus non habet immediato artificis concursu, ita eodem opus non habet creatura, ut re ipsa operetur.

350. ℟. Deus totum, quantus est, effectum producit, quem producit creatura, atque ideo unus idemque numero effectus a duabus totalibus seu adaequatis caussis simul procedit. Neque porro ulla est repugnantia: haec enim tantum habetur, si caussae illae non modo ejusdem generis, sed etiam ejusdem ordinis fuerint, quemadmodum in Ontologia adnotavimus (§. 334.). At in nostra hypothesi Deus et creatura sunt quidem caussae ejusdem generis, cum aeque efficientes sint, non tamen ejusdem ordinis; creatura namque est caussa, ut ajunt, *secunda*, Deus autem est caussa *prima* (*ibid.* §. 242.), atque illa ita huic subjicitur, ut sine Dei actione non possit re ipsa operari. Itaque non modo esse potest, sed esse quinimmo debet, quod totum effectum, quem producit creatura, Deus producat.

351. *Inst.* Si Deus totum effectum producit, non est necesse, quod eumdem producat creatura; sin autem creatura totum effectum producit, necesse non est, ut eumdem producat Deus: ergo vel creaturae vel Dei immediatus concursus est plane inutilis.

352. ℟. Nulla quidem est absoluta necessitas, quod effectum, quem totum producit Deus, etiam creatura producat: Deus enim a creatura non pendet, estque potentissimus, atque ideo si ad quorumdam effectuum productionem creaturas sibi velut socias adsciscit, non absoluta necessitate id praestat, sed sapientissimo consilio suo, ut nempe in caussis necessariis ejus potentia, sapientia, ac bonitas manifestarentur (*ibid.* §. 329.), in caussis autem liberis libertas ipsa sarta tecta prorsus consisteret: neque enim liberae essent, nisi vi sibi propria reapse operarentur (*ibid.* §. 308. *Psycol.* §. 540. 546. 550.). Non ergo absolute necessaria est, sed

tamen

tamen est utilis creaturarum actio. Quidquid porro hac super re sit; hoc enim loci supponimus, quod creaturae agant (§. 332.); illud ad praesens institutum pertinet, an nempe inutilis sit immediatus Dei cum creaturis concursus? Dicimus itaque, ipsum non solum inutilem non esse, sed etiam esse plane necessarium, quamvis creaturae totum effectum producant; neque enim producere eumdem possent, nisi Deus immediate cum ipsis concurreret, uti ex hactenus dictis manifeste colligitur.

353. *Ob.* 3. Unum praeterea vel alterum nobis opponunt Adversarii. Imprimis itaque immediatus Dei cum creaturis concursus explicari nullatenus potest. Nam an Dei actio ab actione creaturae distincta est, vel una prorsus eademque? Quod si distincta, Deus ne creaturas determinat, vel potius creaturae Deum? Profecto nisi aliqua determinatio supponatur, nonnisi casu fieret, quod Deus et creatura ita inter se conveniant, ut plane eodem momento temporis unum eumdemque effectum producant. Manifestum porro est, quod si ulla intercedit determinatio, concursus, de quo disputamus, nec est nec dici potest *simultaneus*.

2. *Simultaneus divinus concursus*, inquit recens quidam auctor apud Sauri (a), *est indeterminatum quoddam instrumentum, quo creatura in suis actionibus utitur, prout ipsi libuerit. Itaque non Deus, sed creatura est harum actionum principium. Sane concursus, de quo loquimur, indifferens per se est, quod sive ad bonas sive ad malas hominum actiones adplicetur, et ipsa creatura est, quae eumdem ad actiones illas adplicat. Hinc Deus hoc suo concursu vel bonae simul et malae actionis auctor est, vel neque bonae neque malae; atqui Deus auctor non est nisi actionis bonae. Igitur hic Dei concursus est plane rejiciendus.*

354. ℟. *ad* 1. Nihil omnino refert, si immediatus Dei cum creaturis concursus explicari perspicue a nobis non posset, dummodo tamen ipsum haberi satis manifeste constaret (*Annot. ad* §. 334.). Ceterum non admodum explicatu difficilia sunt, quae nobis objiciunt Adversarii. Sane neque creatura per actionem praeviam Deum determinat, cum nulla esse possit actio creaturae sine ipsius Dei actione; neque Deus

(a) *Met. part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 24.

Deus per praeviam actionem suam determinat creaturam, nisi forte physica Thomistarum praemotio, de qua postea, adstruatur. Itaque Deus, qui omnia novit, nescens etiam, quo momento temporis actura sit caussa secunda, si immediatus ejus concursus adplicaretur; eo ipso momento reapse agit, quo agit creatura. Unde neque actio Dei creaturae actionem, neque creaturae actio actionem Dei determinat aut praecedit, sed utraque uno prorsus eodemque momento temporis habetur.

355. At, inquis, aliquo saltem modo Deus a proxima creaturarum ad agendum dispositione penderet, ut cum eisdem re ipsa concurrat et operetur. Verum quid istud? si creatura est in proxima ad agendum dispositione, si agendi vim habet, si agit, nonne quoad haec ipsa a Deo omnino dependet? Deus penderet a creatura, quatenus hanc sibi legem liberrime statuisset, agendi scilicet cum creatura, quum haec erit in proxima ad agendum dispositione. Ex libertate itaque non ex necessitate a creatura penderet. Christus Dominus promisit, se futurum esse in hostia, quoties panis Sacerdotis voce consecraretur. An id Deo indignum?

356. ℟. *ad* 2. Miror sane, laudatum Auctorem, quisquis sit, adeo pessime argumentari. Itaque falsum est, immediatum divinum concursum esse instrumentum: est enim caussa principalis non aliter ac ea ipsa virtus, qua creatura effectus suos producit. Hinc falsum quoque est, Deum non esse actionum creaturae principium: est enimvero, et quidem potiori ratione, quam creatura, cum non modo illas ipsas actiones immediate producat, sed etiam ea omnia ab eodem pendeant, quibus creatura ipsa operatur.

Porro Dei concursus spectari in genere seu *in actu*, ut ajunt, *primo* debet, et *in actu secundo*. Posteriori hoc sensu acceptus est plane determinatus: est enim ipsa Dei actio, qua hic et nunc operatur cum creatura. Quod si priori sensu usurpetur, dici quidem potest indeterminatus, cum nihil aliud sit quam decretum Dei concurrendi ad omnes creaturarum actiones quando et quoties creaturae ipsae reapse operaturae fuerint: at falsum est, quod creaturae concursum hunc sibi vere ac proprie adplicent. Deus est, qui lege sibi liberrime praestituta eumdem applicat creaturis, dum ipsae per vim sibi propriam operantur.

Postre-

Postremo Deus non minus bonae quam malae actionis est auctor; bonae quidem concursu tum *speciali* cum *generali*, malae autem *generali* tantum, quatenus ad id, quod physicum est ac in se bonum immediate concurrit (§. 338. 339.). Dicta sufficiant: ex ipsis enim ea etiam dilui quam facile possunt, quae praeterea objici ab Adversariis solent.

QUESTIO X.

Utrum quoad naturales creaturarum actiones admittenda sit physica Tomistarum praemotio?

357. *Def.* 1. *Praemotio* universim spectata est praevia illa caussae actio, qua caussa altera ad agendum determinatur.

358. *Schol.* Duplex distingui a Philosophis solet praemotio. *moralis et physica*; quarum prior est invitamentum, hortatus, consilium, praeceptum, similia, quae sine actu, ad quem diriguntur, esse optime possunt. Moralis haec praemotio vere ac proprie non spectat nisi rationales caussas easque liberas, ut facile quisque per se dignoscit. Cum porro *physica* sit totus praesentis disputationis scopus, operae pretium est, ut eamdem pressius distinctiusque hoc loci explicemus.

359. *Def.* 2. *Praemotio physica*, inquit P. Antonius Goudin non ignobilis ex Thomistarum Schola Philosophus (a). *est influxus, quo Deus praevie, active, intrinsece applicat causam secundam ad agendum*.

360. *Schol.* Hanc suam praemotionis physicae seu *praedeterminationis* notionem didactius explicat idem Auctor. *Praemotio*, inquit, *physica est influxus causae primae receptus, non quidem immediate in effectibus* (id enim proprium est divini immediati concursus), *sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet et applicat non solum objective ac moraliter, alliciendo et suadendo* (quod moralis praemotionis proprium est); *sed etiam physice et active, interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo: et ideo dicitur* motio physica. *Sed quia motio et applicatio virtutis activae*

(a) *tom. 4. q. 4. art. 2.*

vae ad agendum est prius natura, quam ipsa actio . . . ideo motio illa dicitur praevia motio, *seu* praemotio. Exemplo pictoris, qui *apprehensam* discipuli *manum simul cum penicillo moveat, et applicet ad pingendum*, id genus praemotionem idem auctor illustrat.

361. Physicae hujus praemotionis characteres, qui ex ejus natura procedunt, eos, quos statim exponemus, esse docet P. Jacquier (a), ipsosque a nemine ejusdem praedeterminationis assertorum negari. Nempe 1. *antecedit omnes actus voluntatis*. 2. *Datur ex solo Deì beneplacito*. 3. *Est omnino necessaria ad omnes prorsus actus tam bonos quam malos*. 4. *Talem habet connexionem cum actu, ad quem datur, ut praedeterminatio ad actum, et non actus sint duo impossibilia*. 5. *Connexionis illius infallibilitas non repetitur ab aliquo extrinseco, sed ab ipsa praedeterminationis natura, quatenus per se actum infert, et de se est essentialiter conjuncta cum actu*.

Sensus quaestionis.

362. An itaque quoad naturales creaturarum actiones admittenda sit vel rejicienda physica Thomistarum praemotio, hoc est, influxus ille quo Deus praevie, active, intrinsece applicet secundam causam ad agendum, hoc loci investigamus. Quoad naturales, inquam, creaturarum actiones, quae scilicet naturae viribus fiunt: disserere namque de supernaturalibus, quae fiunt per divinae gratiae auxilium, ad sacros Theologos pertinet, in quorum messem manus mittere, saltem prout haec disputatio ab ipsis instituitur absolviturque, non audemus.

Opiniones diversae.

363. Vulgare est apud Thomistas, non modo immediatum Dei concursum, de quo paullo superius, sed physicam etiam praemotionem, et quidem non tantum ad supernaturales verum et ad naturales quasque sive bonas sive malas creaturarum actiones requiri. Excipi tamen nonnulli debent, quorum alii, Alvarez et Ledesma testibus, ad bonas tantum actiones, non autem ad malas etiam *materialiter* spectatas praemotionem requiri arbitrantur; alii vero, inter quos Joannes Vincentius, Franciscus Romeus, aliique perpauci eamdem omnino reijciunt. An etiam ipse S. Thomas, ac Thomas

(a) *Tom. 2. sect. 2. cap. 2. art. 2.*

mas Turcus? Viderint alii. Eamdem praemotionem physicam docent quoque Calvinistae; sed tamen calumniaretur insignem doctissimamque Thomistarum scholam, qui ipsam cum laudatis haereticis injuria imperiteque confunderet. Nam praeter ea plura, quae hac super re dici possent, compertissimum est, diu multumque disputatum de praemotione physica Thomistarum in Congregationibus *de Auxiliis* fuissse, quin ulla unquam censura ab Ecclesia notaretur. Est igitur opinio inter ipsos Catholicos exagitata, licet Philosophi plures ac Theologi, Schotus, Alexander Alensis, S. Bonaventura, aliique tum veteres cum recentiores eamdem omnino rejiciant.

PROPOSITIO

Physica Thomistarum praemotio quoad naturales creaturarum actiones (quidquid senserint ac modo etiam sentiant Scholae catholicae) non videtur admittenda.

364. *Pr.* Triplici potissimum argumentorum genere rejici vulgo solet physica Thomistarum praemotio. Primum petitur ex quo ipsa in caussis necessariis inutilis adpareat. Alterum ex quo videatur humanae libertati contraria. Postremum denique ex quo Deus in hac hypothesi esset auctor peccati. Singula perpendamus. Et ad primum quod pertinet, duplici praesertim ex capite necessariam esse praemotionem physicam opinantur Thomistae, nempe et ut debita creaturarum a Deo dependentia salva consistat, et ut earumdem indifferentia ad naturales ipsarum actiones determinetur. Verum debita illa a Deo dependentia etiam sine praemotione physica salva esse videtur. Creaturae siquidem in hac quoque hypothesi a Deo habent existentiam et existentiae conservationem; tum virtutem agendi, conservationemque ipsius virtutis; ac demum ut re ipsa operentur, non tantum inclinatione opus habent propensioneque a Deo ipso indita primitus et deinceps conservata, qua in finem sibi proprium tendunt quaeque *generalis praemotio* adpellatur, sed etiam immediato ejusdem Dei concursu. Cum itaque a Deo pendeant quoad existentiam, virtutem, actiones, effectus; quid quaeso ulterius postulant Thomistae? An etiam quod ita ab eodem pendeant, ut ad quosvis actus *physice* praemoveantur? Verum petimus, an creaturae id requirant necessario seu vi essentialis

tialis dependentiae ab ipso Deo, vel non. Si primum illud: ergo vi hujus essentialis dependentiae requiritur quoque praemotio ex parte facultatis agendi seu *actus primi* ipsarum creaturarum: nam facultas etiam seu actus primus essentialiter a Deo dependet. Atqui tamen ex parte actus primi seu potentiae non requiritur praemotio physica (*). Igitur vi essentialis dependentiae a Deo necessaria non est ne ad actum quidem secundum laudata praemotio, atque ideo debita creaturarum a Deo dependentia etiam sine praemotione physica salva consistit. Hinc quoque sequitur, salvum sine eadem praemotione consistere supremum Dei in res omnes creatas dominium.

Sed neque necessaria est, ut creaturarum indifferentia ad naturales ipsarum actiones determinetur. Nam caussae necessariae (multoque magis liberae) supponuntur habere vires suas, quibus operentur, esseque debite adplicatas, adeo ut nulla adsint ad re ipsa agendum impedimenta. In hac itaque hypothesi operantur: sunt enim caussae per se sufficientes, atque in suo genere completae. habentque in se debitam cum suis actionibus effectibusque proportionem. Exemplo sit ignis, si quidem nativis viribus, quas habere supponitur, stuppam sibi debite adplicatam combureret. Igitur praemotio physica in caussis necessariis inutilis videtur.

365. Sed videtur etiam humanae libertati contraria. Sane in re, de qua agimus, spectari potest vel 1. ipsa praemotio physica quatenus a Deo est; vel 2. excitatio illa seu motio aut impressio, quae fit in voluntate; vel 3. indifferens judicium practicum, quod voluntas ipsa sequitur; vel tandem 4. actus, quem eadem voluntas physice praemota elicit. Nullam omnino haberi quoad priora illa humanam libertatem, ostendi quamfacile potest. Non quoad primum: siquidem praemotio physica a voluntate nostra nullatenus pendet (§. 361.). Non quoad alterum: voluntas enim creata impressionem a praemotione factam recipit tantum, seu quoad ipsam nonnisi *passive se* habet. At libertas esse sine activitate

(*) *Ita quidem Thomistae fere omnes opinantur. An porro ut sibi cohaereant, sentire aliter debeant, ex infra dicendis manifeste constabit; ubi praeterea ostendemus, quod si praemotio pertinet ad actum primum, plane claudicat, quin et omnino everti videtur humana libertas.*

tate non potest (*Psychol.* §. 540. 546.). Non quoad tertium: nam quodvis judicium practicum qnatenus ab intellectu fit, non est liberum sed necessarium (*ibid.* §. 584.). Sin autem spectetur quatenus imperatur a voluntate, aut ejus indifferentia determinatur, superest inquirendum, an actus, quo voluntas judicium illud imperat, aut ejus indifferentiam determinat, sit liber? nisi enim hic actus liber fuerit, ne liberum quidem erit judicium illud, quod vi hujus actus a nobis fieret, aut cujus indifferentia determinaretur. Certum est itaque, quod nulla omnino quoad priora illa in homine sit libertas, illudque demum inqnirendum restat, an saltem liber sit actus, quem voluntas physice ad eumdem praemota suis viribus producit.

Quod quidem antequam definiamus, est operae pretium dilucide exponere, quidnam intelligi a nobis debeat, quum hasce formulas nempe *in sensu composito et in sensu diviso* usurpant Philosophi. Aliud sane est voluntatis *actus*, et aliud ipsa *voluntas*. Quare *sensus compositus* duplici ratione considerari potest, scilicet et quatenus spectatur praemotio physica simul cum actu, qui fit a praemota voluntate; et quatenus spectatur voluntas sub seu cum praemotione ipsa physica eidem voluntati adplicata, hoc est, voluntas praemota. Priori ratione conjungitur seu componitur praemotio cum voluntatis *actu*; altera vero praemotio ipsa cum *voluntate*. Hinc duplex quoque est *sensus divisus*; alter quidem, si praemotio non spectetur simul cum *actu* voluntatis; alius vero, si *voluntas* spectetur non sub seu non cum praemotione physica, hoc est, voluntas ipsa non praemota. Porro duo certa esse videntur: 1. humanam voluntatem non esse liberam, si sensus compositus priori ratione usurpetur: cum enim hic sensus existentem voluntatis actum involvat, perinde esset, voluntatem esse liberam, ac ipsam efficere posse, ut actus non existat dum existit, seu ut idem simul sit et non sit; quod omnino repugnat: 2. eamdem voluntatem humanam spectandam non esse in sensu diviso posteriori ratione considerato, scilicet quatenus ipsa non est sub seu cum praemotione physica: quaestio namque est, an praemotio haec libertatem e medio tollat? Supponi igitur debet, et quidem tanquam voluntati adplicata: secus enim quaestio esset, an praemotio physica, quae non adhuc habetur, atque ideo quae non agit, libertatem tollat nec ne? quod equidem

dem insulsum est ac perridiculum. Superest itaque, quod voluntas spectetur in sensu composito posteriori ratione usurpato, nempe prout est sub seu cum praemotione physica, quae eidem voluntati sit adplicata. Jam vero ut voluntas sub praemotione physica sit ac dici possit libera, necesse omnino est, quod sub eadem constituta potentiam habeat dissentiendi, seu non eliciendi actum, ad quem praemotio datur. Id equidem postulat libertatis natura: nam ea caussa est libera, quae, positis omnibus ad agendum requisitis, potest non agere, vel agere oppositum aut diversum (*Ontol.* §. 248. *Psychol.* §. 540. 542.): aliunde vero praemotio physica est, juxta Thomistas, necessarium requisitum ad agendum (§.361). Constat praeterea ex Concilio Tridentino: docet enim (*a*), *liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum posse dissentire*. *Motum*, inquam, et *excitatum*, ut innueretur, liberum arbitrium posse dissentire etiam sub motione ipsa et excitatione, quae juxta Thomistas est praemotio physica. Atqui vero voluntas creata sub laudata praemotione nullam habet dissentiendi, seu non eliciendi actum, ad quem praemotio ipsa datur, potentiam.

Atque imprimis physicae praemotionis essentia est, quod necessario conjuncta sit cum actu, ad quem datur, adeo ut *praemotio et non actus* sint duo impossibilia (§. 361.). Ut itaque voluntas possit dissentire, hoc est, non elicere actum, ad quem datur praemotio, deberet habere potentiam efficiendi, quod est impossibile. Hoc autem dici non potest, uti perspicuum per se est. Igitur voluntas creata sub praemotione physica nullam habet dissentiendi potentiam.

2. Si hanc dissentiendi potentiam haberet humana voluntas, haberet quoque potentiam destruendi praemotionis essentiam: praemotio enim per essentiam suam actum postulat, ad quem datur; potentia autem dissentiendi est potentia efficiendi, ut praemotio sit sine actu, ad quem conceditur: quid enim est aliud, caussam aliquam posse sub laudata praemotione dissentire? Profecto reapse *dissentire* idem est ac non efficere actum, ad quem datur praemotio: igitur *posse dissentire* sub eadem praemotione, idem est ac posse efficere, ut praemotio ipsa sit sine actu, ad quem datur. Atqui vero nemo illud dixerit.

3. Si

(*a*) *Sess.* 6. *can.* 4.

3. Si voluntas potentiam illam haberet ; posset quoque efficere, ut actus a premotione intentus non existat, quemadmodum antea dicebamus. Eatenus itaque existit hic ipse actus, quatenus laudatam potentiam non exercet voluntas. Igitur connexio inter praemotionem physicam et actum, ad quem datur, non a sola ipsius praemotionis natura, sed etiam ab *extrinseco*, hoc est, ab humana voluntate dependet : quod negant Thomistae (*ibid.*).

4. Vel praemotio physica pertinet ad *actum primum* seu ad potentiam humanae voluntatis, hoc est, ad *posse agere* vel ad *actum secundum* seu ad actum ipsum, hoc est ad *agere*. Hoc loci sese implicant Tomistae. Quidam putant, ipsam neque ad actum primum neque ad actum secundum pertinere, sed esse aliquid quod sit inter utrumque medium. Verum; meo quidem judicio, rem multo magis implicant : hinc enim sequeretur, quod potentia sit *actus primus*, praemotio *actus secundus*, actio demum voluntatis *actus tertius*. Ceterum cordatiores omnes conveniunt, ea omnia, quae non pertinent ad actum secundum, ad actum primum pertinere. Putant alii praemotionem attinere ad actum secundum. At hi non satis sibi cohaerere videntur. Si enim praemotio praerequiritur ad actum secundum seu ad *agere*, ut omnes Thomistae docent ; ipsa profecto est saltem natura prior actu ipso secundo, qui ab illa procedit. Sed quod prius est actu secundo, non ad ipsum actum secundum ; qui est posterior, sed ad actum primum pertinet. Praemotio igitur non ad actum secundum ; sed ad actum primum seu ad potentiam pertinere dicenda est. Quod quidem docuisse videtur Alvarez : scribit enim (*a*) : *motio actualis Dei confert voluntati et omnibus causis secundis ultimum complementum actus primi. Confert etiam vim quamdam, qua operantur ad esse, et ad ultimam actualitatem effectus, ut instrumentum Dei*. Magis perspicue loquitur hac super re doctissimus P. Thomas de Lemos (*b*) : docet enim, quod Deus praedeterminatione reducit voluntatem creatam de illa potentialitate, seu indeterminatione in *actum primum*, ut ipsa libere se determinet in actu secundo. Hoc porro semel statuto, voluntas creata sub praemotione veram non habet dissentiendi potentiam.

Nam

(*a*) *Lib.* 3. *de Auxil. disput.* 18. *n.* 18. *ad* 1.
(*b*) *Disput.* 8. *coram Paulo V.*

Nam dum praemotio conceditur ad actum puta amoris, non equidem ipsa conceditur ad dissentiendum, multoque minus ad actum odii. Si igitur praemotio pertinet ad potentiam; haec sine illa non est completa atque perfecta, neque iccirco potentia sed impotentia est: aliquid enim et quidem necessarium eidem deesset, ut actus primus completus seu potentia sit; atque ideo voluntas, dum ad amoris actum praemovetur non habet dissentiendi vel ad actum odii potentiam.

5. Si praemotio physica cum leibnitiana ratione sufficiente conferatur, facile apparebit, ipsas inter se convenire; immo vero prior illa hac altera fortior efficaciorque esse videbitur. At sufficiens leibnitiana ratio potentiam dissentiendi evertit (*Ontol.* §. 220. *et Psychol.* §. 588.). Sic itaque rem totam perstringimus. Sublata ab humana voluntate, dum est sub physica praemotione, dissentiendi potentia, aufertur quoque a voluntate ipsa quoad actum, ad quem praemotio datur, libertas. Atqui physica Thomistarum praemotio laudatam dissentiendi potentiam e medio tollit: ergo praemotio isthaec humanae libertati videtur contraria.

366. Denique in hypothesi praemotionis physicae Deus esse videtur auctor peccati. Duplex distingui solet peccati universim spectati genus, *omissionis* nempe et *commissionis*, ut inquiunt morales Theologi. Hominem itaque urgeat praeceptum eliciendi actum amoris erga Deum. Nisi adsit Dei praemotio, quae in hominis potestate non est (§. 361.), profecto homo ille completam potentiam non habet illum ipsum amoris actum eliciendi: eam siquidem ultimo complet praemotio (§. 365.). Vel igitur laudatus homo non peccat, si actum amoris omiserit; nemo enim tenetur ad impossibile, neque sanus quisque vitio vertet oculo, si non videat, dum praesto eidem non est lumen, quod, ut completam expeditamque habeat ad videndum potentiam, et ut videat, necessario praerequiritur: vel si peccat, peccatum ipsum, etiam in Deum refundi omnino debet, qui ex libertate et consilio illud non concedendo, sine quo homo infallibiliter peccaret, esset praecipua laudati peccati caussa. Neque vero dixeris, Deum praemotionem suam in alicujus praecedentis peccati pœnam denegare. Imprimis enim quod habeatur praemotio vel non, ab homine nullatenus pendet (§. 361.). Tum supponamus, peccatum de quo loquimur, esse omnino primum.

mum. Denique quid de Adamo dicemus, qui omnino innocens, et sine ullo, ne originali quidem peccato creatus a Deo fuerat? Nonne ideo homo peccaret, quia a Deo prius desereretur? (*) In hac itaque hypothesi Deus laudati peccati omissionis auctor esse videtur.

Auctor quoque videtur peccati *commissionis*. Supponamus datae actioni, puta homicidio hic et nunc adnexam necessario et infallibiliter esse moralem malitiam, adeo ut Petrus homicidium illud patrare non possit, quin simul peccet. Certum est, quod qui eumdem suasione suggestuque, multoque magis qui motione physica ad actum illum traheret, esset hujus peccati auctor. Sed cur non Deus? (**) Nam si laudatus homo cogitat de homicidio, si ipsum cupit, si patrat, nonne haec omnia vult Deus, ad eaque hominem illum praevie intrinsece active efficacissime movet excitat applicat determinat? Qua quidem super re advertendum praeterea est, Deum id libertate sua non necessitate praestare: haec enim praedeterminatio ab uno ipso, nihil vero ab humana voluntate dependet (§. 361.). Rursus; homo, qui homicidium illud patraret, divinae efficaci voluntati obsequeretur, vellet nempe atque efficeret, quod Deus vult, ut velit atque efficiat. Quoad *materiale*, inquis, non autem quoad *formale*. Cur ergo Deus hominem punit, etiam quatenus *materiale* seu actionem physicam exercet? Nam *formale* peccati est aversio a Deo cui debetur pœna *damni*; *materiale* autem seu actus physicus, cui adnexa est malitia, est conversio ad creaturas, cui pœna *sensus* debetur. Vel itaque homo ille non peccaret, vel peccatum voluntate divina committeret, atque

---

(*) *Concilium Tridentinum de Gratia Christi loquens.* Deus, *inquit* (Sess. 6. cap. 11.), sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. *Et Augustinus*: Deus non deserit, si non deseratur (de nat. et grat. cap. 26.)

(**) *Mittimus, quod Deus vetat ac prohibet hanc ipsam occisionem etiam in laudatis circumstantiis, quin et dum ad eamdem hominem illum actu praemovet. Certe ridendus esset ac secum ipso pugnaret princeps, qui prohiberet homini datum furtum, dum interim ipse ad furtum illud illius manus praemoveret physice ac praedeterminaret.*

atque ideo Deus esset ac dici deberet auctor peccati (*). Quae cum ita sint, ita demum totum argumentum perstringimus. Physica Thomistarum praemotio quoad naturales creaturarum actiones non videtur admittenda, si ipsa in caussis necessariis sit inutilis; si humanae libertati adversetur; si denique, ipsa supposita, Deus esset peccati auctor. Jam vero hujusmodi esse videtur physica Thomistarum praemotio, quemadmodum ex hactenus dictis manifeste colligitur. Itaque physica Thomistarum praemotio &c. *Q. E. P.*

Thomistarum momenta ad examen revocantur.

367. *Ob.* 1. Physica quoad naturales creaturarum actiones praemotio est omnino necessaria: ruit igitur primum assertae propositionis fundamentum (§. 364.), *P. A.* Deus necessario est cujusvis naturalis actionis atque effectus creati prima caussa; atqui talis non esset, nisi per physicam praemotionem: ergo &c.

368. ℞. *D. maj.*, Deus necessario est &c., per praemotionem physicam. *N.*, aliter, *C. maj.*, *et N. min. et cons.* Pluribus aliis rationibus, etiam sine praemotione physica. Deus profecto est ac dici debet prima rerum omnium caussa: est enim omnium creator conservator et rector; tum dignitate, perfectione, æternitate, similibus res omnes creatas antecellit. Ut itaque sit ac dici jure possit prima caussa, necesse non est, quod creaturas physice ad agendum praemoveat.

369. *Inst.* Ratio primae caussae postulat, ut Deus sit primum movens: atqui Deus primum movens non esset nisi per praemotionem physicam: ergo per physicam praemotionem Deus est cujusvis naturalis actionis atque effectus creati prima caussa.

370. ℞. *D. maj.*, ratio primae caussae postulat, ut Deus sit primum movens, hoc est, actu physice praedeterminans. *N.*, aliter, *C. maj.*; et *D. min.*, Deus primum movens, hoc

(*) *Quidam, ut hanc difficultatem declinent, opinantur, Deum ne ad materiale quidem peccati, sed tantum ad actiones bonas creaturas praemovere* (§. 363.). *Ergo praemotio physica non est necessaria, ut salva consistat creaturarum a Deo dependentia, neque ut earumdem indifferentia determinetur; quo quidem praecipuum rueret Thomistarum fundamentum* (§. 364.).

hoc est, actu physice praedeterminans non esset nisi per etc., *C.*, secus, *N. min.*, et *cons.* Sicuti, etiam sine praemotione physica, prima caussa, ita quoque *primum movens* dici potest ac debet Deus, quatenus ipse est primum illud, a quo motus omnes creaturarum, actiones, effectusque procedunt. Sane ipse virtutem agendi concessit creatis rebus, ac conservat; ipse inclinationem propensionemque in iisdem impressit, unde unaquaeque ad naturalem finem suum tenderet; ipse caussis liberis quamdam impertitus est ad bonum in communi determinationem, ex qua nascitur certus quidam necessarius atque indeliberatus in bonum amor, qui amorem liberum in bonum peculiare antecedit, et sine quo nemo amat ac vult; ipse denique, ut mittamus cetera, concursu suo in actu, ut ajunt, primo omnes creaturarum actiones praevenit. Brevius; tam potentia agendi etiam libera quam actio ipsa item libera seu libertatis exercitium a Deo est, potentia quidem a solo Deo, actio autem a Deo simul et a creatura. Quid quaeso, praeterea postulant Adversarii? Quod si *primum movens* ita usurparent, ut tale esse non possit, nisi creaturas physice ad agendum praedeterminet: assererent profecto illud ipsum, quod ceteroqui in controversia est, quodque probandum ipsis incumberet.

371. Hinc constat quoque, creaturas, etiam sine praemotione physica, esse Deo et quidem essentialiter subordinatas: subordinatio enim universim spectata est ordo quidam ac relatio, quam unum habet ad alterum. Porro creaturas hanc relationem ad Deum habere manifeste liquet, ex quo et a Deo habuerint habeantque id omne, quo operantur, et sine Deo permittente volente agente operari non possint; brevius, ex quo a Deo quoad omnia omnino essentialiter pendeant.

372. *Inst.* Si prima caussa non esset primum movens actu physice praedeterminans, jam vel Deus et creatura actionem simul determinarent, vel eamdem prius determinaret creatura, deinde vero Deus; atqui in priori hypothesi vel Deus et creatura aeque essent prima laudatae actionis caussa, vel neque Deus neque creatura, atque ideo actio illa esset sine ulla caussa prima; in altera vero creatura esset prima caussa, Deus autem caussa secunda; quae quidem omnia prorsus repugnant: ergo ratio primae caussae postulat, ut Deus sit primum movens actu physice praedeterminans.

373. ℞. Rem ceteroqui per se perspicuam implicant Adver-

sarii.

sarii. Actio creata et a creatura et a Deo simul eodemque tempore determinatur per concursum simultaneum (§. 354.). Cum tamen hanc creaturae determinationem praecedant virtutis concessio, conservatio, concursus in actu primo, atque etiam inclinatio propensio et ad bonum in communi determinatio (§. 370.), quae *praedeterminatio generalis* adpellatur (§. 364.), cumque haec omnia ab uno Deo sint; idcirco Deus prius determinat creaturam, ut ipsa sit caussa actionis, quamvis eamdem ad actu agendum physice non praedeterminet. Itaque nulla est actio creata sine caussa prima; Deus praeterea et quidem solus est prima caussa, creatura autem non est nisi caussa secunda.

Nec refert, quod creatura sese determinando seu potius constituta in proxima ad determinationem dispositione sit velut conditio, cur Deus actu applicet concursum suum, hoc est, cur concursum in actu secundo exerceat, eoque determinationem illam simul cum creatura producat. Nam etiam proxima illa dispositio a Deo omnino pendet, et si Deus velut sese obstrinxit ad agendum, quum creatura in laudata dispositione fuerit, id non equidem aliunde quam a libera ipsius voluntate procedit.

374. *Inst.* Majus profecto esse videtur Dei in creaturas suas dominium, si ipsas ad agendum physice praemoveret: hinc enim creaturae magis penderent a Deo, quam si ipsae absque ulla praedeterminatione physica sese determinarent. Quo quidem statuto, ita urgetur difficultas. Prima caussa talis esse debet, ut ejusdem in creaturas suas dominium sit omnium maximum; atqui dominium omnium maximum in creaturas non habetur in Deo, nisi Deus ipse sit primum movens actu physice praedeterminans: ergo &c.

375. ℟. *D. maj.*, prima caussa talis esse debet &c., quod tamen dominium cum rerum natura concilietur, *C.*, secus, *N. maj.*, *et D. min.*, dominium omnium maximum &c., et dominium, quod ex praedeterminatione physica procedit. cum rerum natura non conciliatur, *C.*, secus, *N. min.*, et *cons.* Physicam praedeterminationem in caussis necessariis esse plane inutilem, tum adversari humanae libertati, ac tandem Deum efficere constituereque peccati auctorem, paullo superius satis luculenter, nisi fallimur, demonstravimus (§. 364. *et seqq.*). Cum itaque dominium omnium maximum, quod ex laudata praedeterminatione nascitur, cum rerum natura

tura non concilietur; non equidem tribuendum est Deo, qui nihil omnino, quod adversetur rerum naturae, saltem stata lege universalique operatur. Ceterum hoc argumenti genus eo demum nos duceret, ut vim quamcumque quibusvis creaturis, potissimum vero corporeis denegemus: majus siquidem dominium in creaturas suas exerceret Deus, si se solo effectus omnes in ipsis produceret. Quid praeterea responderent Thomistae, si Fatalistae ita argumentarentur? Deus habere debet in creaturas suas dominium omnium maximum; at hoc in creaturas suas dominium non haberet Deus, nisi se solo omnes omnino etiam humanae voluntatis actiones produceret, quo quidem libertas nostra penitus tolleretur. Quod si debitum Dei dominium salvum consistit, Thomistis fatentibus, quamvis creaturae vim habeant agendi, ac sese determinent humanae valuntates, cur quaeso non item salvum consistet, licet eaedem creaturae sine praedeterminatione physica operarentur? Adde quod dum praemotionis assertores Dei dominium extollunt, simul deprimunt sicuti divina opera, ita etiam ipsius Dei gloriam ac perfectiones; quasi nempe nequiverit aut nescierit aut saltem noluerit creare nisi machinas, quae cum aliunde viribus suis, consociato tamen ejusdem Dei concursu, possint agere, reapse non operarentur, nisi ipse actione sua velut digito easdem continue excitaret moveret duceretque.

Hinc etiam liquet debita creaturarum a Deo dependentia, etiamsi physice non praedeterminentur, quemadmodum superius quoque adnotavimus (§. 364.).

377. *Inst.* Caussae secundae sunt Dei seu caussae primae instrumenta; atqui instrumenta debent a principali caussa praedeterminari: ergo dominium Dei in creaturas, quod ex physica praedeterminatione nascitur, cum rerum natura conciliatur.

377. ℞. *D. maj.*, caussae secundae sunt etc., *activa*, *C.* *passiva*, *N. maj.*; et *D. min.*, instrumenta *passiva* debent etc., *C.*, *activa*, *N. min.*, et *cons.* Caussas secundas seu creaturas esse activas, hoc loci supponimus, et quoad caussas liberas certissimum omnino est et exploratum: neque enim sunt instrumentum quoddam inanime et vita carens, sed vitales sunt active ac suarum operationum dominae, quae proinde non opus habent, ut ab externa caussa praedeterminante ad agendem applicentur.

378.

378. Hinc ad rem non pertinet quod quidam objiciunt, nempe operationem ita se habere ad creaturas, sicuti ad easdem se habet existentia. Nam quamvis operatio et existentia creaturarum sint aeque contingentes; attamen creaturae ipsae opus habent caussa praedteminante ut existant; neque enim existentiam vi sua tribuere sibi possunt: cum autem vim habeant agendi, possunt operationes sibi elicere quin necesse sit, ut physice praedeterminentur. Nec refert, quod creaturae in hac hypothesi aliquid, quod antea non habebant, de novo sibi comparent, aut sese perficiant. Nam operationes, quas eliciunt, non quidem *actu*, sed tamen *virtute* ipsae habebant, etiam antequam re ipsa operarentur. Perfectio autem, quam sibi acquirunt, non est nisi *accidentalis*, quam sibi de novo acquirere non repugnat. Secus enim sequeretur, humanas volnntates agere virtute sua non posse; neque proinde ulla indifferentiae libertate donari.

379. *Inst.* Licet caussae secundae activae sint, sunt tamen per se ad agendum indifferentes; atqui quod indifferens per se est, opus habet praedeterminatione, ut agat: ergo &c.

380. ℟. Duplicem creaturarum indifferentiam, *passivam* nempe et *activam* alibi perspicue explicavimus (*Ontol.* §. 236.). Porro voluntas humana est quidem per se indifferens sed tamen *active* (*Psychol.*§.554.); unde ipsa est, quae virtute sua indifferentiam tollit. Nam si eam tolleret aliqua externa caussa, voluntas profecto non sese determinaret, sed determinaretur, neque proinde esset ac dici posset libera: siquidem libertatis natura postulat, ut caussa, quae eadem donatur, in sua potestate habeat propriam determinationem, atque iccirco eam indifferentiam tollat, in qua, antequam sese determinet, esse supponitur.

Ad res corporeas quod attinet, si spectentur quatenus agunt, nulla opus habent praedeterminatione: jam enim determinatae sunt, ac suis viribus, quas habere supponuntur, effectum natura sua producunt. Ita profecto corpus A in motu jam positum praemotione non indiget, ut corpus *B*, in quod incurrit, impellat. Hoc sensu paullo superius (§. 364) diximus, praemotionem physicam esse in caussis necessariis prorsus inutilem. At si res corporea in quiete fuerit, certe opus habet caussa praedeterminante, quae illam ad agendum excitet ac moveat: est enim *passive* indifferens ad motum,

hec

hoc est, vim non habet sese determinandi. Ita sane corpus in quiete positum ab alio corpore ad motum praedeterminatur. Cum autem vi concursus simultanei tam corpus impellens, quam Deus agant; fit inde, ut haec ipsa Dei actio respectu corporis impellentis sit concomitans, sit autem praedeterminans respectu alterius corporis, quatenus impellitur. Perspicua haec sunt.

381. *Inst.* Creatura licet activa, non agit tamen, nisi prius constituatur in ratione principii in actu secundo operativi. Sane quod non est de se activum nisi habitualiter et in actu primo, nunquam aget: operatio enim non fit a caussa, quamdiu haec est solum in actu primo, et habitualiter operativa, seu potentia otiosa. Jam vero creatura non est de se nisi habitualiter et in actu primo activa, cum ejus virtus seu potentia ab actione distinguatur. Itaque ut agat, constitui prius debet in ratione principii actualis, seu in actu secundo operativi. Sed a quonam quaeso? nempe vel a divino concursu simultaneo, vel a seipsa, vel demum a praemotione physica. Non equidem a divino concursu simultaneo: nam 1. quod constituit virtutem creatam in ratione principii actualis, esse debet in virtute ipsa eamque intrinsecus afficere; concursus autem non in creata virtute recipitur, eamque intrinsecus afficit, sed tantum cum ipsa operatur. 2. Concursus est de se indifferens, et cooperationem creaturae expectat: itaque non eam reddit sed supponit in actu secundo operantem. 3. Quod constituit creaturam in ratione principii operativi, est aliquid praevium ad cooperationem ipsius creaturae: complet enim creaturam ipsam, quae idcirco redditur ultimo completa et actuata in ordine principii activi, antequam operetur. Concursus autem non est prior cooperatione creaturae. 4. Concursus semper praesto est, creatura tamen non semper operatur; manifesto sane indicio, quod creatura ipsa per divinum concursum in ratione principii in actu secundo operativi non constituitur. Sed in hoc statu nec constituitur quidem per seipsam. Si enim per seipsam in ratione principii in actu secundo operativi constitueretur, id sane non fieret nisi per propriam ipsius creaturae actionem. At hoc est plane falsum: nam prius est caussam secundam esse constitutam in ratione principii ultimo activi, seu habentis ultimam activitatem, et excludentis omnem potentialitatem lineae activae, quam quod ab illa egrediatur actio;

ideo

ideo enim caussa secunda agit, quatenus in actu est, ac proinde actio supponit se priorem ipsam virtutem jam constitutam in ratione principii in actu secundo operativi. Creatura itaque constitui nequit in actu secundo operativa per suam actionem. Superest igitur, ut ipsa in laudato statu constituatur per praemotionem physicam; atque ideo quamvis caussae secundae activae sint, sunt tamen ita per se indifferentes, quod physica opus habeant praedeterminatione, ut re ipsa operentur. Difficultatem hanc, quam Goudinus *rationem omnino efficacem* vocat, fere ipsissimis ejusdem verbis exposuimus.

382. R. Ut haec difficultas dilucide explicetur, definiri in primis debet, quid sit *principium in actu secundo operativum*. Si Goudinum audiamus, non equidem est potentia creaturarum etiam ita quidem completa, ut nihil praeterea requiratur ad reapse agendum, quam nos *proximam et expeditam* vocamus. Aristotelcs autem *potentiam secundam*, sed tamen non actu operans. Nam haec potentia adhuc esset habitualis; aliunde vero laudatus Auctor aliud praeterea requirit, ut ipsa in ratione principii in actu secundo operativi constituatur. Ceterum si de hac potentia sermo esset, dicimus, ipsam esse ejusmodi sine ulla praemotione physica: potentia siquidem quatenus in creatura residet, esse debet per se completa: aliter enim non potentia sed impotentia dici posset ac deberet. Fit autem proxima et expedita, si omnia removeantur obstacula, eaque praesto sint, quae ad reapse agendum requiruntur (*Ontol.* §. 153.): unde si humanae voluntati aliquod objectum bonum repraesentetur, ac praesto sint rationes, cur ab eadem eligatur, voluntas ipsa proximam habet expeditamque ad illius boni electionem potentiam. Quod si hoc complementum derivandum esset a praemotione physica, sequeretur inter cetera, illum, qui praemovetur ad actum amoris, carere sicuti praemotione ita quoque completa ad eliciendum contrarium actum odii potentia (§. 365. *n.* 4.). Denique probandum superesset Adversariis, laudatum complementum a praemotione physica essa derivandum, adeo ut potentia creata sine illa reapse non agat. Verum citatus Auctor distinguit potentiam operantem ab operatione, uti ex objectione ipsa constare videtur. Atque hinc nomine *principii in actu secundo operativi* intelligit potentiam quatenus agit, actionem autem spectat velut a potentia a-

 gente

gente distinctam, ex illa ortam, et quae proinde agentem ipsam potentiam se priorem supponat. Sed quis hanc doctrinam esse omnino falsam non videat? Distinguitur quidem potentia operans seu agens ab effectu, quem actione hac sua produceret, velut anima volens movere brachium a brachii motu, non autem potentia quatenus est agens ab actione: nam nulla res est agens ante actionem vel sine ipsa, et ante operationem vel sine ipsa nulla res est operans. Actio idem est ac potentiae exercitium (*Ontol.* §. 156.): potentia autem in exercitio posita est ipsa potentia operans. Frustra itaque confingitur laudata distinctio, atque hinc perinde est, praemotionem physicam constituere creaturam in ratione principii in actu secundo operativi ac ipsam praemotionem elicere actionem creaturae. Nunc quaerimus, an ista actio a creatura fiat nec ne? Si hoc alterum: ergo creatura non agit, non est libera, nullius peccati est caussa; quae quidem negant Thomistae. Sin autem fit a creatura; rursus quaerimus, an fiat ante actionem Dei, vel post ipsam, vel tandem simul. Non equidem primum illud: nam plane convenimus, nullam fieri a creaturis actionem sine actione Dei. Sin porro alterum; ergo creatura produceret postea actionem, quam jam haberet, cum actio, quae in creatura a Deo producitur, in creatura ipsa sit oporteat; quod quidem insulsum est. Superest itaque postremum, quod nempe laudata actio a Deo simul eodemque tempore fiat et a creatura. Atqui vero id non est aliud quam concursus simultaneus. Ut quid ergo praemotio physica? Scilicet voluntas humana eo ipso, quod propria virtute agat, velit, sese determinet, sese quoque constituit in ratione principii in actu secundo operativi. Cetera, quae addit Goudinus, vel nihil omnino nos urgent, vel ex dictis facile extricantur.

383. *Dices.* Deus immediata sua actione conservat creaturas omnes, seu momentis singulis velut creat animam cum omnibus suis actibus ac determinationibus. Has quoque conservat idem Deus non tantum eo tempore, quo sunt, sed primo etiam instanti, quo ipsae esse incipiunt. Jam vero conservatio est continuata creatio (§. 316.). Deus itaque ipsas quoque determinationes creat, nihilque est in creaturis, earumque actibus, quod non sit a Deo productum ac creatum. Hoc idem colligitur ex quo determinatio sit perfectio et Deus sit ac esse debeat cujusvis creatae perfectionis

auctor.

auctor. Atqui creatio et productio non fiunt nisi per influxum physicum, eumque praevium.

384. R). Divina conservatio spectat quidem ad substantiam creatam ejusque facultates naturales et actiones, sed tamen ratione plane diversa. Substantia ejusque naturales facultates a Deo solo conservantur; unde actio, qua Deus ipsas conservat, dici non potest concursus simultaneus, cum nullam aliam caussam ad id cooperantem habeat, sed est et physica et praevia: *physica*, inquam, cum effectum physicum producat; *praevia* vero, cum existentiae creaturae ejusque facultatum sit caussa: caussa namque esse debet saltem natura prior suo effectu. Aliter porro sese res habet quoad creaturarum actiones. Equidem Deus physicum eumque praevium influxum exercet, ut actio creaturae existat aut perseveret, quatenus eam producit et conservat; quem influxum aeque exercet creatura, cum et ipsa eodem tempore, quo Deus, propriam actionem physice producat et conservet, uti cum Thomistis ipsis supponimus: verum praevius ille influxus non est praemotio physica, de qua hoc loci disputamus. Praemotio namque immediate pertinet ad potentiam creatam, quam excitat applicat movet ac determinat ad agendum (§. 360. 365.), non autem ad actionem, quae producitur: ad hanc siquidem immediate pertinet concursus simultaneus, uti iidem Thomistae ultro fatentur. Concedimus itaque, Deum vi suae conservationis creare seu producere actiones omnes creaturarum determinationes perfectionesque; verum non inde sequitur, concedendam quoque esse physicam Thomistarum praemotionem.

385. *Ob.* 2. Physica Thomistrarum praemotio est humanae libertatis complementum: non ergo eidem libertati vel minimum adversatur, atque ideo ruit alterum assertae propositionis fundamentum (§. 365.). *P. A.* Atque observandum imprimis est, libertatem ultimo compleri perficique, dum re ipsa exercetur; exerceri autem, dum tollitur potentiae liberae indifferentia. Sit itaque: Illud est libertatis humanae complementum, quod indifferentiam tollit; atqui indifferentiam tollit physica praemotio. ergo etc.

386. R). *D. maj.*, illud etc., quod sine ipsius libertatis laesione indifferentiam tollit, *C.*, secus, *N. maj.*; et *D. min.*, cum libertatis laesione indifferentiam tollit physica praemotio, *C.* secus, *N. min*, et *cons.* Libertatem ultimo

com-

compleri perficique, dum re ipsa exercetur, atque ideo dum tollitur indifferentia, omnes convenimus: melior quippe est potentia libera in exercitio posita, quam tantum otiosa. Verum quidnam, quaeso, est, quod laudatam indifferentiam tollit? Praemotio physica, respondent Thomistae. Tollit equidem, sed tamen non sine humanae libertatis laesione. Nam praeter superius demonstrata (§. 365.) libertas postulat indifferentiam; quod concedunt Adversarii: esse praeterea debet intrinseca ipsi caussae liberae, quemadmodum nemo unus negaverit: igitur ut libertas actu exerceatur, debet esse caussa ipsa libera, quae propriam indifferentiam tollat, non physica praemotio, quae extrinseca est, quaeque ab humana voluntate nullatenus pendet.

387. *Inst. Licet* praemotio physica, inquit Gonet (a), *non procedat ab ipsa libertate et electione voluntatis humanae, oritur tamen ab ejus principio primaque veluti radice, efficacia scilicet divinae voluntatis*: ergo tollit voluntatis humanae indifferentiam sine ulla omnino creatae libertatis laesione.

388. ℟. *D. A.*, licet etc., nihilominus humana voluntas non est libera, *C.*, secus, *N. A.*, *et cons.* Nihil refert ad humanae voluntatis libertatem, quod praemotio physica a liberae voluntatis divinae efficacia oriatur. Hinc enim dici quidem potest, praemotionem esse liberam ex parte Dei, non tamen humanam voluntatem, cui adplicatur, libertate donari. Ut enim voluntas nostra sit libera, omnino requiritur, quod libertas in voluntate ipsa resideat: secus namque liber in se erit quivis corporum motus, dummodo a libera aliqua caussa produceretur.

389. Argumento, quod extricavimus, persimile est alterum ejusdem Goneti, quod in suo *Enchiridio* ita proponit: *necessitas consequens libertatem nostram aequivalenter, illam auferre non potest. Sed necessitas orta ex efficacia physicae praedeterminationis, consequitur ad nostram libertatem, et consensum aequivalenter, ut contentum eminenter in voluntate et omnipotentia divina, quae, ut ait Augustinus, magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas: ergo non potest tollere libertatem.* Equidem consensus noster in divina voluntate et omnipotentia eminen-

(a) *Disput* 4. *art.* 3. §. 8.

minenter continetur; sed quid tum? ergone voluntas nostra per voluntatem et omnipotentiam divinam est libera? Non sane: libertas namque esse debet nobis intrinseca (§. 386. 388.), divina autem voluntas et omnipotentia extrinsecae nobisipsis sunt. Exemplo sint beati cum Christo in coelis regnantes. Ipsi Deum vident et amant, haecque visio et amor in volnntate et omnipotentia divina eminenter continentur, nec tamen libere Deum vident et amant. Hoc idem dicendum de motu, quem Deus corporibus libere communicaret; scilicet liber esset Deus, sed non libera creatura. Quare ut creatura sit libera, non sufficit, quod ejus libertas *aequivalenter* in Deo, sed oportet, quod eadem libertas *formaliter* in voluntate ipsa contineatur.

Neque porro aliquid detrahimus summo Dei in creatas voluntates dominio. Nam etiam sine praemotione physica potest Deus adeo tot efficacibusque suasionibus, illiciis, illustrationibus, inspirationibus piis, sanctisque affectibus hominum voluntates movere, ut certo et infallibiliter effectum quem intendit, consequatur: quae quidem praemotio esset tantum moralis, de qua hoc loci non disputamus (*).

390. *Inst.* Praemotio physica non afficit potentiam seu voluntatem, sed actum ipsum, hoc est, non ad *posse agere*, sed tantum ad *agere* conceditur: ergo intactam relinquit in voluntate creata potentiam non agendi. Jam vero ubi potentia non agendi intacta est, ibi habetur libertas: itaque praemotio physica ita oritur ab efficacia divinae voluntatis, ut voluntas humana sit libera.

391. ℞. Si physica praemotio intimius consideretur, profecto potentiam ipsam afficere videbitur, uti etiam superius adnotavimus (§. 365. *n.* 4.). Sane nonne, Thomistis fatentibus, in potentia immediate recipitur, potentiam complet, ejusque *indeterminationem*, *indifferentiam*, ac *potentialitatem* tollit? Hinc dum ipsa non adest, nulla est expedita et completa agendi potentia; dum autem adest, nulla est potentia non agendi, cum ad potentiam non agendi non detur praemotio; neque proinde potentiam non agendi intactam in voluntate creata relinquit. Quod si non potentiam, sed tan-

(*) *Id genus praedeterminatione divinae Gratiae per se efficacis vim, et energiam explicant alii quique mitioris doctrinae Theologi.*

bere praemovet ad actionem, non autem ex parte voluntatis creatae, quae praemovetur.

395. *Ob.* 3. Deum in hypothesi praemotionis physicae non esse peccati authorem, pluribus demonstrare conantur Thomistae; nos tamen aliqua tantum seligimus. Praemotio physica, inquiunt, non ad *formale*, sed ad *materiale* dumtaxat peccati applicat humanas voluntates. Exemplo rem hanc illustrat Goudinus: *sicut anima*, inquit, *licet sit causa, cur tibia moveatur, non est tamen causa, cur tibia male moveatur et claudicet: unde defectus, qui est in claudicatione, non refunditur in animam, sed in tibiam*.

2. Vel *materiale* peccati ab ejus *formali* discerni potest, vel non. Si primum illud; poterit ergo Deus creatas voluntates ad solum *materiale* peccati praemovere, atque hinc non esset nec dici posset peccati author. Sin autem hoc alterum; ergo etiam ii, qui immediatum divinum concursum defendunt, eumdem nodum extricare tenentur. Nam Deus in hac hypothesi, sicuti concursu suo esset caussa *materialis* peccati seu actionis physicae, ita quoque caussa esset *formalis* ejusdem peccati, seu malitiae moralis, quae in actione physica reperitur.

3. Voluntas creata ad solum *materiale* peccati terminat Dei concursum; cur ergo divina praemotio non poterit creaturam ad solum illud ipsum *materiale* terminare?

4. *Materiale* peccati est aliquid positivum et quidem bonum: unde sub divinam omnipotentiam ac voluntatem cadit: eique placere potest. At *formale* peccati seu malitia moralis est defectus, imperfectio, quid negativum, verbo, nihil; unde extra sphaeram activitatis ac voluntatis divinae omnino est. Potest igitur Deus ad *materiale*, non potest autem ad *formale* peccati creatas voluntates praemovere.

396. ℟. *ad.* 1. Deus in hypothesi praemotionis physicae ad *materiale* peccati directe, indirecte autem ac virtualiter ad *formale* applicaret humanas voluntates. Cum enim illud hic et nunc necessario cum hoc altero conjunctum sit; si ipsas ad unum determinate applicat, ad alterum quoque applicet necesse est. Sane quaevis caussa ratione consilio ac libertate praedita nequit ita praedeterminare ferrum ad obtruncandum hostis caput, quin velit indirecte saltem ac virtualiter ejusdem mortem. Porro *illo authore cum dicimus, illo volente*

lente dicimus, inquit Augustinus (*a*). Deus igitur in hac hypothesi esset author non solum actionis physicae, sed etiam moralis malitiae. Hoc idem perspicue constat; si suasionem cum praemotione physica comparemus. Ideo suasio esset caussa moralis malitiae, quia voluntatem determinate ad actionem malam inclinaret, quamvis nonnisi actionem physicam directe respiceret. Hoc autem multo magis efficaciusque praestat physica praemotio.

397. At, inquit Gonetus, motio physica est *praecisiva* seu praescindit a malitia actionis. Sed hoc ipsum est probandum in hypothesi praemotionis physicae: nam motio physica si fiat per electionem et amorem, atque in actionem influat; est etiam moralis; unde si quis alterum physice moveret ad actum liberum sive bonum sive malum, esset profecto illius actus caussa *physico-moralis*, plus nempe quam si tantum esset moralis caussa. Tum cur praecisiva non est ipsa quoque suasio? Physica motio, addit, solam spectat entitatem actus, ad quem movet. Verum hoc etiam probandum ab Adversariis est in re, de qua agimus: hoc enim est praesentis disputationis caput ac summa. Tum cur illud idem dici non potest de suasione? nam non minus physica motio quam suasio non malitiam moralem, sed actionem physicam directe atque immediate spectare supponitur. Physica motio, subdit postremo, Deo ut motori et provisori generali convenit. At cur suasio officio motoris provisorisque generalis repugnat, si eidem non repugnat physica praemotio? Vides ergo, Gonetum unis assertionibus, quas ceteroqui probare teneretur, objectum argumentum eludere potius, quam extricare. Ceterum si Deus posset praemovere ut caussa physica ad id, ad quod ut caussa moralis suadere non posset, secum ipso pugnaret manifestissime, ac perridiculus esset. (*Annot.* 2. *ad* §. 366.)

398. Exemplum de tibia curva ad rem non pertinet. Hæc enim curvitas supponitur in tibia sine ulla animae eam moventis culpa; secus enim obliquus ejusdem motus ipsi animae tribueretur. At voluntas nostra ante quodcumque peccatum certo certius neque curva est neque obliqua, sed vel recta, vel ad rectitudinem aeque atque ad curvitatem indifferens. Curva primum evaderet per praemotionem physicam, qua ipsa ad

(*a*) *Lib. qq.* 83.

sa ad actionem, cui hic et nunc necessario adnexa est malitia, efficaciter excitaretur. Ita profecto Adami voluntas antea innocens, nullaque ad malum pronitate affecta, curva evasisset. Ad statum naturae corruptae quod spectat, juxta praemotionis physicae assertores indifferentia voluntatis a Deo physice praedeterminante primum tollitur: ergo voluntas supponitur de se ad actum vitii aut virtutis indifferens, proindeque si obliqua si curva si vitiosa redditur, id a Deo procedit, qui ex se atque a voluntate ipsa omnino independenter indifferentiam illam ad actionem, cui adnexa est malitia, primum praedeterminat, non secus ac qui arte ac studio claudicaret. Quapropter adductum de tibia exemplum vel nihil probat, vel Adversarios ipsos urget quammaxime. Nihil inquam, probat si tibia sine animae culpa fuerit curva: urget porro Adversarios, si ipsa recta fuerit, et tamen anima quae praemotionem physicam referret, arte ac studio efficeret, ut tibia reddatur curva, curveque moveatur.

399. ℞ *ad* 2. Latissimum physicam praemotionem inter et concursum simultaneum intercedit discrimen. Ideo Deus per physicam praemotionem diceretur peccati author, quia ipse voluntatem creatam per se indifferentem antecedenter et quidem libere (§. 366.) applicaret inclinaretque efficacissime ac determinate ad actionem hic et nunc malam (§. 396.). At in hypothesi divini concursus Deus non determinat non applicat non inclinat creatam ipsam voluntatem (§. 354.), sed quinimmo ab eadem, aliqua saltem ratione ad actu concurrendum dependet (§. 355.); unde in sacris Scripturis de eo, qui ipso abutitur in malum, conqueritur inquiens (*a*): *servire me fecisti in peccatis tuis: praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Tum Deus uptote naturae author necessario, vi nempe conservationis ad actionem illam concurrit (§). 335. 343.), atque ideo moralis malitia, quam ceteroqui detestatur Deus, non ab ipso, sed a sola procedit humana voluntate, quae sese determinat, non praedeterminatur. Hinc quoque elucet, quod antea dicebamus (§. 341.), videlicet in hypothesi divini concursus malitiam esse necessario cum actione physica conjunctam ex parte quidem hominis non autem ex parte Dei; quod sane dici non potest in altera physicae praemotionis hypothesi.

(*a*) *Isaiae cap.* 43.

400. ℟. *ad* 3. Deus tenetur concurrere ad malam creaturae actionem, quatenus est actio physica, aliunde vero ipsius actionis malitiam detestatur. Itaque creatura divinum concursum non potest nisi ad *materiale* peccati terminare. At si Deus humanam voluntatem praedeterminaret ad actionem malam, hoc ipso, uti saepius diximus, fieret non actionis modo, sed etiam moralis malitiae, quae actioni ipsi adnexa esset, auctor et caussa. Exemplo doctrinam hanc illustremus. Si quis ad patrandum crimen determinaret alterius hominis operam, quam ceteroqui hic alter praestare tenetur, simulque criminis inde patrandi malitiam detestatur; ille profecto hujus operam nonnisi ad *materiale* peccati terminare dicendus esset: hic enim homo non peccaret (§. 343.). At si hic alter homo non tenetur praestare operam illam; sane quoties homo ille hunc alterum aut hortaretur aut excitaret physice, hujus operam non tantum ad *materiale*, sed etiam ad *formale* peccati terminare dici deberet. Constat itaque, cur voluntas creata terminet divinum concursum ad solum *materiale* peccati, praemotio autem etiam ad *formale* peccati creaturam terminet.

401. ℟. *ad* 4. Ut haec difficultas perspicue diluatur, observandum est, quod *materiale* peccati seu entitas physicae actionis sit quidem aliquid positivum ac per se bonum; unde Deus sub hac praecisa ratione actionem illam reapse efficit, dum immediate concurrit. At cum eidem actioni adnexa sit malitia moralis seu moralis defectus, idcirco non potest Deus eamdem praedeterminare, quin simul sit caussa, cur peccet creatura, atque ideo quin illius peccati author censeatur: nam ut aliquis peccati author sit, plane sufficit, quod libere efficiat, ut alter peccet. Concedimus porro, *formale* peccati esse extra activitatis ac voluntatis divinae spheram. Id tamen nihil omnino suffragari Adversariis potest. Nostra siquidem argumentatio huc demum redit: si Deus physice praemovet creaturas ad actiones malas, ipse est author peccati; sed author peccati esse non potest Deus: ergo Deus ad actiones malas creaturas non praemovet. Secunda propositio est penes nos et Adversarios nostros certissima. Probandum itaque ab ipsis est, Deum non esse peccati authorem, quamvis ad actionem malam physice praemoveat. Unde quum respondent, Deum esse non posse autho-

rem

rem peccati, quia *formale* peccati est extra activitatis ac voluntatis divinae sphaeram, nihil respondent.

402. *Schol.* Alia plura, quae dici hac super re possent, omnino praeterimus, atque ea praesertim, quae ex S. Augustino ac Thoma hinc inde desumuntur. Quae tamen diximus, ejusmodi esse arbitramur, ut officio nostro si non plene, saltem magna ex parte functos nos credamus. Unum vel alterum addidisse operae pretium est. Imprimis itaque si rejicienda esset physica Thomistarum praemotio, quae cum divino absoluto decreto praedeterminante necessario connectitur; profecto Deus non in laudato decreto res futuras videret, uti opinantur Thomistae (*). Advertimus praeterea, sententiam de divina Gratia per se efficaci, ac de Praedestinatione ante praevisa hominum merita sartam tectam consistere, quamvis Deus creatas voluntates physice non praedeterminaret.

CAPUT III.

De Deo Provisore.

Duo hoc loci expendenda a nobis sunt; alterum ad divinam attinet circa res omnes creatas providentiam; alterum vero ad finem, quem Deus in suis operibus *ad extra* sibi praestituit.

QUÆSTIO XI.

Utrum Deus omnibus omnino creatis rebus provideat?

403. *Def. Providentia*, si nominis etymologia spectetur, idem est ac *præscientia*, vel etiam *procul videntia*, aut demum *porro videntia*. At si spectetur ejusdem natura, providentia divina est divina, eaque libera rerum omnium dispositio ac gubernatio, qua res ipsae ad praestitutos fines, vel necessario, si res necessariae sint, vel libere, si ipsae sint liberae, diriguntur.

404. *Schol.* Non eadem ab omnibus tradi solet divinae providentiae definitio. Eam, quam exposuimus, accuratam esse puta-

---

(*) *Sententiam hanc superius indicavimus* (§. 193.), *ubi aliquid de* medio, *in quo Deus futuras res videat*, *disseruimus*.

putamus. Nam praeterquamquod intimam ipsius providentiae naturam exprimere videtur; omnino quoque distat a *Fato* sive democritico, sive aristotelico, sive stoico, sive spinozistico, sive mahummedano, sive demum astronomico: nam id genus fata vel divinam vel humanam vel etiam utramque libertatem, quam nos adstruimus, prorsus evertunt (*Ontol.* §. 279. *et seqq.*). Distat etiam a *casu et fortuna*, si rigido in sensu usurpentur: hic enim casus aut fortuna nullas praestitutas caussas, praescientiam nullam, nullumque ordinem ac finem complectitur (*Ontol.* §. 275.).

405. Duplex porro est divina providentia; *generalis*, quae ad res omnes aeque pertinet, et *specialis*, qua singulari quadam ratione certis quibusdam rerum generibus consulitur.

406. Plura ad divinam providentiam attinent. 1. *Libertas*: vera etenim proprieque dicta providentia cum fato, quod libertatem evertat, conciliari haudquaquam potest (§. 404). 2. *Praescientia* seu rerum futurarum antecedens cognitio: neque enim ad praestitutos fines ordinari dirigique res possunt, nisi antea res ipsae futurae earumque actiones et effectus dignoscantur. 3. *Prudentia*, qua possit Deus media ad praefixum finem in his atque in illis circumstantiis applicare 4. *Dispositio* rerum, unde ipsae ita arcte concinneque nectantur, ut totum sapienter coagmentatum emergat, quod ad communem finem tendat. *Gubernatio* postremo, quae est optima mediorum et actionum effectuumque ad finem communem directio. Deum esse in operibus *ad extra* liberrimum, superius luculenter, nisi fallimur, demonstravimus (§. 109. 110.). Deum praeterea res omnes futuras praescire, compertum cuique est et exploratum (§. 190.). Prudentiam quoque in Deo esse, manifestissime constat: quis enim non concesserit, Deum, qui perfectissimus est, et scire et posse media ita applicare, ut eorum ope praestitutus finis obtineatur? Duo itaque posteriora ea potissimum sunt, quae in praesenti disputatione inquirenda sunt ac determinanda, ut in Deo re ipsa esse de omnibus omnino creatis rebus providentiam definiamus.

Sensus Quaestionis.

407. Quaerimus hoc loci, an Deus ex praescientia sua libertate ac prudentia res omnes creatas ita libere disponat ac gubernet, ut res ipsae, necessariae quidem necessario, liberae autem libere ad praestitutos fines dirigantur?

Opi-

Opinionum historia .

408. In plures veluti classes distribuuntur infensissimi, quos patimur, divinae providentiae hostes. Imprimis Athei, qui Deum ipsum negant. Ii etiam, qui non consilio ullo ac ratione, sed casu et fortuna, si proprie sumantur (*Ontol.* §. 275.), omnia fieri stultissime arbitrantur. Pantheistae quoque, quorum princeps Spinoza aperte docet, naturam nullum habere praefixum finem, finalesque caussas non esse nisi *humana figmenta* (*a*). At fine sublato, tollitur etiam providentia, quae finem aliquem respicere omnino debet (§.403). Id autem colligit Spinoza, ex quo Deus non voluntatis arbitrio, sed necessitate naturae operetur. Itaque Fatalistae omnes, qui fatum adstruunt, quod vel divinam vel humanam vel demum utramque libertatem evertat, nullam providentiam agnoscunt, aut saltem non eam, quae Deo vel rerum naturae conveniat. Tullius eo ipso sustulit providentiam divinam, quod divinam praescientiam sustulerit: illa namque sine ista esse nullatenus potest (§. 406). Alii putant, Deum non curare nisi supernas res ac cœlestes, uti de Aristotele scribit S. Ambrosius (*b*); docent nempe, *usque ad lunam descendere Dei providentiam, Deumque suis contentum finibus, et praescripto regni modo degere*; seu, ut eleganter inquit Nazianzenus (*c*), *providentiam ad nos usque demittere gravati sunt*. Horum sententiam recitasse videtur Eliphaz inquiens (*d*): *quid enim novit Deus, et quasi per caliginem judicat? Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines coeli perambulat*. Hic error *deismus*, et qui eum docent, *Deistae* adpellantur. Putant alii, Deum universalia quidem, scilicet rerum genera et species (*e*) vel praecipuas mundi physici partes (*f*), tum etiam Imperia et Nationes curare (*g*), sed non singularia et individua, aut res minimas vilissimasque. Mittimus veteres quosdam haere-

ticos.

(*a*) *Eth. part.* 1. *in Appendice*.

(*b*) *lib.* 1. *de Offic. cap.* 13.

(*c*) *Orat.* 16.

(*d*) *Job. cap.* 22. *v.* 13. 14.

(*e*) *Philosophus de Sans-souci Lettre a Maupertuis*.

(*f*) *Rousseau Lettre a M. de Voltaire*.

(*g*) *Bolinghbrooke Oeuvrues posthum. tom.* 5.

ticos, Marcionem, Bardesanem Syrum, et Priscillianum, qui et ipsi divinae providentiae hostes fuerunt.

PROPOSITIO.

Deus omnibus omnino creatis rebus providet.

409. *Pr.* Deum libertatem quoad res omnes creatas habere; praescientia quoque ac prudentia donari, compertissima res est (§.406.). Itaque Deum omnibus omnino creatis rebus providere constabit, si constiterit, ipsum easdem creatas res et sapientissime disposuisse, et eas ac totum Uuiversum ad praestitutos a se fines dirigere; quae quidem duo proprius ad divinam providentiam attinent (*ibid.*). Ita porro sese res habet. Et sane negari non potest, Universum ex omnibus singulisque creaturis tamquam ex totidem partibus constare: immo vero partes ipsas, quae compositae fuerint, esse totidem machinulas, quae ex aliis aliisque substantiis tamquam ex minutioribus partibus coalescant. Sed partes debent esse ordinatae ad totum. Singulae igitur creaturae ita esse debent dispositae, ut totum ipsum Universum constituant. Porro Deus est hujus ordinis ac dispositionis auctor, cum sit summa rerum omnium caussa et principium. Est etiam sapientissimus, neque aliter quam plane consentanee ad naturam suam potest operari. Constat igitur, Deum res omnes creatas et quidem sapientissime disposuisse.

Sed constat etiam, ipsum easdem res ad fines suos dirigere. Profecto cum summa polleat ratione (§. 199.); quidquid facit, fine aliquo eoque sapientissimo efficiat necesse est (§. 200.). Itaque in singularum rerum, totiusque universi creatione aliquem sibi praestituit finem, eumque consequi vult: aliter enim creaturas, quae sunt totidem ad finem illum media, haud sane condidisset. At obtinere hunc finem non posset Deus, nisi media ipsa, atque ideo nisi res omnes creatae, totumque ipsum Universum, ad eumdem praestitutum finem dirigerentur. Diriguntur itaque. Sed a quonam, queso? nonne a Deo? Ipse namque res ipsas condidit, et conservat; virtutem quoque eisdem concessit servatque; postremo cum ipsis concurrit etiam atque agit, adeo ut nihil omnino in eisdem sit, quod a Deo non procedat: non enim plus agunt creaturae in seipsis, quam in eisdem agat Deus. Si igitur creaturae omnes totumque Universum ad praestitutum finem diriguntur, Deus est, qui easdem res dirigit, et

qui-

quidem sapientissime, cum non possit nisi sapientissime operari. Quae cum ita sint, Deus omnibus omnino &c. *Q. E. P.*

410. *Schol.* Quae in divinae providentiae Demonstrationem adhibuimus, ita a Dei natura ipsa profluunt, ut Deum neget oportet, qui ejusdem providentiam negaverit. Hinc Ovidius de immaturo Tribulli fato loquens, ita canit:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Scilicet *Deismus* est *Atheismo* quammaxime affinis, atque ideo ea omnia, quibus superius Dei existentiam naturamque demonstravimus, demonstrant quoque divinam rerum omnium procurationem (*). Nihilo tamen minus cum praesens veritas maximi momenti sit, esseque penes omnes debeat, non erit abs re, quod eadem argumentis selectoribus magis magisque firmetur.

1. Divinam sapientiam bonitatemque plane dedecet, mundum, quem condidit, omnino deserere, casuique caeco [illegible] fortunae committere. *Quis operator negligat operis sui curam? quis deserat aut destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne major injuria est fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia est; non curare autem quod feceris, summa inclementia*, inquit S. Ambrosius (*a*). Ne ipsos quidem homines, immo vero ne animantia quidem bruta partus suos, quos ediderint in lucem, desarere videmus; vel si desererent, acriter profecto homines illos justissime vituperaremus. Tum Deus est perfectissimus. Si igitur providentia est perfectio, Deus est providus.

2. Di-

(*a*) *Lib. 1. Offic. cap.* 13.

(*) *Qua igitur de caussa Deistae, cum Deum fateantur negant porro summam ipsius Dei praesertim in res humanas providentiam? Nempe, ut opinor, ne a voluptatum, quas inhiant avidissime, fruitione distrahantur ac deturbentur. Hinc Vellejus epicureus, qui providentiam non agnoscit, ita conqueritur apud Tullium* (lib. 1. de nat. Deor. cap. 20.): imposuistis in cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies et noctes timeremus, Quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum, et plenum negotii Deum?

2. Divinam providentiam confirmat quoque perpetua et communis omnium hominum persuasio ac consensio. Mittimus vel ipsos Ethnicos Philosophos ac Poetas, Hieroclem, Chalcidium, Jamblicum, Gellium, Platonem, Hesiodum, Homerum, Virgilium, ceteros, si democriticos aliosque perpaucos exceperis. Profecto penes populos omnes omnesque nationes aliqua, quaecumque tandem fuerit, semper viguit Religio. Hinc templa, altaria, sacrificia vota, cultus, praecationes, adeo ut sicuti communis et constans fuit de Deo persuasio, ita etiam constans fuerit et communis erga Deum ipsum Religio (§. 57.). Immo vero vel Athei ipsi in periculis constituti Deum tandem agnoscunt, invocant (§. 45.), timent, reverentur (§. 51.). At Religio sine parsuasione de divina providentia vel esse nullatenus potest, vel est stultissima. *Si Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum*, inquit Augustinus (*a*). Idem sentit etiam Tullius: *si Dii*, inquit (*b*), *neque possunt nos juvare, neque volunt, nec omnino curant, nec quid agamus animadvertunt, nec est quod ab his ad hominum vitam permanare possit: quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* Sublata providentia, *simul et sanctitatem et religionem tolli necesse est*. Nam *quid tam vanum*, ut Lactantii verbis utar, (*c*), *tam stultum, quam templa aedificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur?* Itaque sicuti communis et constans est de religione aliqua consensus, ita quoque de divina providentia; qui quidem consensus in re aliqua quanti aestimandus sit, nemo unus ignorat (§. 16.).

3. Si praesentis mundi machinam vel minimum spectemus, luculente constabit, aliquam esse mentem, quae ipsam regat ac moderetur. Perspicua sunt divinae providentiae argumenta creatarum rerum leges constantissimae, ordo mirabilis, dispositio, nexus, motus utilitas, pulchritudo, temperatio. Si coelum, si stellas, si tellurem, si plantas, animalia, homines perspexeris, nae deprehendes, ubique elucere splendidissima quaedam divinae providentiae vestigia. Me-

(*a*) *Lib. de utilitate credendi cap.* 16.
(*b*) *Lib.* 1. *de nat. deor. cap.* 2.
(*c*) *De Ira Dei cap.* 8.

Merito itaque Tullius: *quis*, inquit (a), *hunc hominem dixerit, qui eum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?*

Dic igitur, num tanta queat prudentia caeco
Principio affingi, nullum cui cernere finem,
Nullas nosse vias datur, aut intendere quidquam (b)?

Quidquid casu fit, inquit Augustinus (c), *temere fit*. Si casus esset, qui res, quales conspicimus, tam apte concinneque disposuisset ac regeret, inclamandum sane nobis foret:

Oh casum prudentem! Oh sanae mentis et omni
Dignandum cultu ..... (d)
Quam bene disposuit res cunctas, aemulus alti
Judicii: melior casu mens nulla fuisset (e).

Deistarum calumniae dispelluntur.

411. *Ob.* 1. Siquod est opus, cui Deus provideret, essent procul dubio homines, qui sunt praecipuum ipsius Dei opus; atqui hominibus non providet Deus: ergo falsa propositio. *P. min.* Si Deus, qui est summe bonus summeque beneficus, provideret hominibus, hi profecto essent felicies (*); atqui miseri sunt (**): ergo etc.

412.

(a) *Lib.* 2. *de nat. Deor. cap.* 38.
(b) *Anti-lucre. lib.* 9.
(c) *Lib. qq.* 83. *q.* 24.
(d) *Anti-lucre. lib.* 9. (e) *Ibid.*

(*) L' Auteur de notre être, *inquit Bayle* (Dict. &c. art. *Pauliciens* Rem. E.), s' il est infiniment bienfaisant, se doit faire un plaisir continuel de nous rendre heureux, et de prévenir tout ce qui pourroit troubler ou diminuer notre joie.

(**) *Hominum mala, miseramque eorumdem conditionem longa oratione exponit Plinius* (Lib. 7. Hist. nat. in Proemio); *additque Mirabaud* (System. de la nat. part. 2. Chap. 3.), *tot ac tantas esse ipsorum hominum calamitates, easque nos circumquaque ita obsidere ac premere, ut fere nullus contentus sit sorte sua, dumque unus laetatur, innumeri*

412. ℟. *D. maj.*, si Deus etc., hi profecto essent felices, quoties aliter non sibi promeruissent per culpam, *C.*, secus, *N. maj.*; *et D. min.*, miseri sunt, eo quod id per culpam sibi promeruerunt, *C.*, secus, *N. min*; *et Cons.* Deus, quantum ad ipsum pertinet, vult profecto homines plane felices beatosque (*Psychol.* §. 85.). At cum turpissime peccaverint; hinc est, quod divino justissimoque ipsius Dei judicio miseri effecti sunt et infelices. Haec est sicuti catholica, ita etiam verissima malorum physicorum seu *poenae* fons et origo (§. 118.); quamquam aliae quoque naturales adsignari merito possent eorumdem caussae (*ibid.*). Novimus equidem, deistas laudatam malorum originem non agnoscere: nam si eorum doctrina spectetur, vel nulla est in hominibus libertas, vel nullam moralem legem constituit Deus, vel Deus ipse humanas actiones sive bonas sive malas non curat, vel non scit omnia, vel aequus non est, vel demum neque præmia decernit neque supplicia. Verum haec ipsa sunt ea absurda, quorum aliqua jam refutavimus, alia vero suis in locis dispellemus, vel saltem adeo perspicua sunt, ut Deistae eadem usurpare pro re sua non possint, quin deridiculi fiant, aut petant principium.

Nihilotamenminus bonus Deus summeque beneficus adeo miseratione sua sapientiaque etiam mala physica moderatur, ut ex ipsis plura bona deducat (*ibid.*). Hinc mala haec sicuti divinae bonitati non adversantur, quinimmo eamdem plurimum commendant (*ibid.*); ita quoque providentiam divinam ne minimum quidem possunt labefactare.

413. Neque porro hoc loci a nobis petant, cur Deus summe bonus hominibus libertatem concesserit, qua ipsos abusuros praevidebat: aut cur eamdem antea concessam non abstulerit; aut ita ipsam non munierit potentissimis gratiae suae donis, ut tantum ad bonum inserviret, aut alia id genus:

---

numeri alii et plorent et angantur. Verum fortasse multo plura ac majora sunt bona in mundo, quemadmodum vel ipse Miraband fatetur (ibid. part. 1. Chap. 16.); *maxime si mala illa, quae homines aut inani timore, aut vitiis, aut imaginatione, aut imprudentia, aliisque id genus mediis sibi pro lubitu comparant, excipiantur. Plinii querelas persequitur, egregieque refellit Lactantius* (De Opificio Dei cap. 2. et 3.).

nus: has enim quaerimonias, superbaeque humanae mentis inquisitiones jam antea praefocavimus (§. 150. *et seqq.*).

414. *Inst.* Si caussa malorum poena est hominum culpa: jam divina providentia, siqua est, saltem efficeret, ut probi homines felices sint, infelices autem improbi; atqui persaepe res contra evenit (*): ergo etc.

415. ℞. *D. maj.* si etc., nisi adesset justa caussa, cur interdum res contra eveniat, *C.*, secus, *N. maj.*; *et D. min.* persaepe res contra evenit, idque justa de caussa, *C.*, secus, *N. min.*, *et cons.* Imprimis non tam facile judicandum definiendumque est de felicitate improborum hominum, proborumque infelicitate: neque enim vera felicitas dimetienda est ex honoribus, divitiis, sensibilibus voluptatibus, aliisque id genus externis rebus futilibusque, nisi forte lascivienti voluptuosaeque Epicureorum doctrinae turpiter inhaereamus. Non raro improbi, qui feliciores beatioresque existimantur, sunt aliis longe longeque miseriores, saltem dum conscientiae stimulis,

(*) *Vetustissima est haec altera querela*: Telamo, *inquit Cotta apud Tullium* (lib. 3. de nat. deor. cap. 32.); uno versu locum totum conficit, cur dii homines negligant; nam si curent, bene bonis sit, male malis; quod nunc abest. Debebant illi quidem, *prosequitur Cotta*, omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulant. Sin id minus; bonis quidem certe consulere debebant. *Ejusdem meminit quoque S. Ambrosius*: quidam, *inquit* (lib. 1. de Offic. cap. 13.) videntes sceleratos quosque divites, laetos, honoratos, potentes, cum plerique justorum egeant atque infirmi sint, putant vel nihil Deum curare de nobis, ut Epicurei dicunt; vel nescire actus hominum, ut flagitiosi putant; vel si scit omnia, iniquum esse judicem, ut bonos egere patiatur, et abundare improbos. *Immo vero hanc ipsam querelam, quam contra divinam providentiam evomunt etiam recentiores Increduli*: *Mirabaud* (system. de la nat. part. 2. Chap. 3.), *aliique apud Bayle* (Diction. etc. art. *Rufin* Rem. *C*), *expressam legimus in sacris Scripturis*. Quare via impiorum prosperatur? *inquit Jeremias* (cap. 12. v. 2.); *et Habacuc*: quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se (cap. 1. v. 13.)? *Verum Jeremias ipse, divinique alii Scriptores Deum velut* justum, sanctum, bonum, *providentissimumque et agnoscunt et praedicant*.

mulis, supplicii timore, vitii turpitudine, aut etiam ipsa fruendi cupiditate, quae satiari in hac vita per bona haec temporalia non potest, acerbissime torquentur; unde Metastasius:

Se a ciascun l' interno affanno
Si leggesse in fronte scritto,
Quanti mai, che invidia fanno,
Ci farebbero pietà!
Si vedrìa che i lor nemici
Hanno in seno, e si riduce
Nel parere a noi felici
Ogni lor felicità.

Probi autem quamvis terrenis hisce spoliati rebus, esse possunt, ut persaepe sunt, feliciores, dum pacata conscientia tranquilloque animo Deum diligunt ac proximum, virtute delectantur, coelestibus perfruuntur deliciis, speque supernorum bonorum ita eriguntur, ut in ipsis etiam tribulationibus malisque laetitia maxima perfundantur, et superabundent gaudio. 2. Non tam facile homines habendi a nobis sunt ut probi aut improbi: possunt enim quidam aut probi aut improbi, quin tamen re ipsa sint, nobis apparere. 3. Quod si aliqui sint vere probi Deoque cari, nihilominus malis physicis, quæ sunt stipendium originalis noxae, jure merito subjiciuntur. Tum probi ipsi saltem leviter deliquerunt quandoque, aut modo etiam delinquunt, unde in hac vita pœnas luunt, ne severius in vita altera puniantur. Denique his malis efficit Deus, ut probi Deum timeant, caducis mortalibusque bonis non corrumpantur, terrena despiciant, suspirent cælestia, æternum gloriæ pondus operentur, eorumque virtus exerceatur probetur splendescat perficiatur. Hinc physica proborum mala si non carnis oculis sed spiritus inspiciantur, non mala sed potius bona eaque maxima, cum maximorum bonorum fons sint ac caussa, dici æquiori ratione deberent.

Ad improbos, qui vere improbi sunt, quod pertinet, mirum esse non debet, si ipsi bonis interdum et aliquali caduca felicitate perfruantur. Imprimis enim hæc ipsa felicitas persæpe non est nisi ad tempus. An Deus nequit beneficentiam suam largitatemque creaturis etiam indignis adplicare? Tum nulli fortasse sunt adeo improbi, qui aliquid boni saltem quandoque non operentur. Itaque justus Deus, qui quodlibet recte factum aliquo afficit præmio, temporariam felicita-

tem tamquam mercedem in hac vita eisdem elargitur, cum ipsos in altera cumulare sempiternis bonis non possit. Quid porro si his bonis eosdem excitaret Deus, ut demum agnoscant bonitatem suam, patientiam, miserationem, indeque a vitiis se retrahant, et convertantur? Ceterum plerumque improborum bona, non bona sed potius mala dicenda sunt, cum iis in sui perniciem abuti saepissime soleant: unde Augustinus *nihil est*, inquit (*a*), *infelicius felicitate peccantium, qua paenalis nutritur impunitas, et mala voluntas, velut hostis interior, roboratur*.

Observandum postremo est, homines probos aut improbos in iis quandoque esse circumstantiis, ut illi quidem torqueantur malis, isti autem bonis fruantur, nec Deum posse sine miraculo, quod ut auctor naturae patraré non tenetur, aut illos liberare a malis, aut istos bonis spoliare. Ex his porro jure deducitur, quod cum Deus justis de caussis neque proborum virtutem præmio, neque vitia improborum supplicio in hac vita pro merito afficiat (*Psychol*. §. 89.), altera superest vita, in qua unicuique juxta opera sua vel præmium vel supplicium ad juris apicem rependatur (*ibid*. *Annot. ad* §. 66. *n*. 3.). Quare ut objectum argumentum vim ullam habeat ad labefactandam divinam providentiam, ostendi oporteret, aliquam esse actionem aut bonam aut malam, quae neque in praesenti vita neque in futura ullo omnino praemio afficiatur aut supplicio: quod quidem est falsum est, et Deistae nunquam, si superis placet, demonstrabunt.

416. *Inst*. Si aliqua haberetur justa caussa, cur infelices sint probi, improbi autem felices, esset prae ceteris vel quia spectanda est vita altera, in qua utrisque debitum praemium vel pœna retribuatur, vel quia mala ad proborum virtutem inserviunt; atqui primum illud probaret, divinam providentiam in hac vita justam non esse; cum ad vitam alteram confugiendum sit, ut ab injustitiae nota absolvatur (*b*); postremum autem est falsum: cum enim mala orta primum sint ex virtutis defectu, nequeunt sane ad ipsam virtutem inservire. Tum quidam ob mala, quae patiuntur, a virtute ipsa recedunt.

417.

(*a*) *Epist*. 183. *ad Marcell*. *cap*. 2. *n*. 14.
(*b*) *System*. *de la nat*. *part*. 3. *chap*. 3.

417. R. Divinam providentiam non spectare nisi mortalem hanc vitam, ii tantum effutire possunt, qui humanorum animorum immortalitatem stultissime inficiantur; quique, cum alias refutati a nobis fuerint (*Psychol. q. 2.*), ne audiendi quidem hoc loci sunt. Itaque divina providentia utriusque vitae, temporalis nimirum et aeternae complexione absolvitur. Nam praesens vita neque est nec esse potest status, in quo plena fiat sive praemii sive poenae retributio: virtus enim aeternum et infinitum praemium, vitium autem infinitam aeternamque poenam meretur (*ibid.* §. 90. 91.). Hinc dum ad vitam alteram confugimus, non equidem putamus in vita praesenti deesse rectum ordinem, qui reparari per alteram vitam oporteat, sed quinimmo rectissimum ordinem adstruimus, qui postulat, ut vita haec temporaria ad aeternam vitam referatur.

418. Falsum porro est, mala ordinari a Deo non posse ad virtutem. An quia orta primum sunt ex virtutis defectu, Deus minus sapiens est minusque potens? Immo vero hinc maxime elucet summa ejusdem bonitas ac sapientia, ut voluerit noveritque ex ipsis malis bona elicere. Qui id negat, jugem obviamque experientiam neget oportet. Opus non est, ut in re perspicua, omnibusque compertissima diutius immoremur. Quod si nonnulli a virtute recedunt ob mala, quae patiuntur; id ipsorum vitium est, non divinae optimaeque providentiae defectus. Hoc idem dicendum esset de iis, qui ob mala, quibus interdum anguntur probi, virtutem sequi detrectarent.

419. *Inst.* Si aliqua esset justa caussa, quaecumque tandem sit, cur probi infelices sint, felices autem improbi, jam illi semper infelices, hi autem felices semper constanterque esse deberent; atqui hoc est plane falsum: ergo &c.

420. R. Ideo quandoque Deus non permittit, probos omnes semper constanterque esse infelices, felices autem omnes improbos, ne virtus aspera nimium atque oppressa videatur; itemque ne impietas nimium sese extollat atque amabilis adpareat, hominesque ad se alliciat. Hinc persaepe mira prorsus Deoque digna temperatione sunt bona mista malis. Aliam supremae sapientissimaeque hujusce dispositionis rationem reddit S. Augustinus: *ista*, inquit (a), *temporalia bona et mala utrisque*

(a) *Lib. 1. de Civit. Dei cap. 8.*

utrisque (justis nimirum et impiis) *voluit Deus esse communia, ut nec bona cupidius oppetantur, quae mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur.* Fieri etiam potest, ut Deus bonis cumulet probos, quod ipsos eisdem in majorem sui gloriam, proximique utilitatem usuros praeviderit; malis autem excruciet improbos, quod ipsi vel mereantur, ut in hac etiam vita excrucientur, vel eos praenoverit bonis in sui aliorumque perniciem abusuros. Denique huc redit, quod antea dicebamus (§. 415.), scilicet ejusmodi quandoque esse rerum circumstantias, quae vel felicitatem probis vel improbis infelicitatem conferunt, ut ipsae inverti variarique sine miraculo a Deo non possint. Itaque mala physica seu pœnae divinae sapientissimaeque providentiae ne minimum quidem officiunt.

421. *Ob.* 2. Divina providentia divinum antecedens decretum, atque de omnibus humanis rebus praescientiam involvit, ut res ipsas humanas moderetur ac dirigat; atqui hoc ipso nulla amplius esset in hominibus libertas; ergo falsa propositio.

422. R). Divina providentia humanae liberati officere videretur vel quatenus praescientiam supponit, quae, ut Stoicis placet, libertati adversatur; vel quatenus Deus decreto suo antecedente ita dirigeret ipsos homines, ut eosdem ad efficiendum, quod intendit, compelleret. At neutrum dici jure potest. Divinam siquidem praescientiam humanae libertati non adversari, alibi luculente ostendimus, vindicavimusque (*Psychol.* §. 576. *et seqq.*). Directio autem quoad hominum actiones, quas *liberas* vocamus, unis absolvitur præceptis, suasionibus, illiciis, verbo, morali praedeterminatione, quae libertatem nostram plane intactam relinquit. Scilicet novit Deus ita media, quibus finis a decreto antecedente intentus obtinetur, rerum naturae conditionique accomodare, ut caussae necessariae necessario, liberae autem libere operentur. *Sic itaque administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat*, inquit Augustinus (a).

423. *Inst.* Si Deus res humanas dirigeret, homines profecto semper constanterque bona operarentur: nam ad haec tan-

---

(a) *Lib. 7. de Civit. Dei cap.* 30.

tantum idem Deus illas dirigit ; alinnde vero nulla omnino res creata ejusdem voluntati resistit ; atqui falsum est, homines semper constanterque bona operari : igitur quamvis ipsi sub divina providentia sint plane liberi, res tamen humanas non dirigit Deus.

425. R. Concedimus, Deum ita homines dirigere, ut ipsi, si quidem voluerint, semper constanterque operarentur bona, aeternamque felicitatem tandem consequerentur. At cum liberi sint, possunt pro lubitu repugnare divinae voluntati, ac persaepe re ipsa repugnant. Cur itaque non semper bona reapse operentur, ipsi tantum in caussa sunt, non Deus.

425. Neque porro ad divinae Gratiae distributionem nos provocent Adversarii. Imprimis enim id genus argumentum ad sacros Theologos pertinet. Tum ingenue cum Augustino fatemur, cur Deus uni plura validioraque tribuat auxilia, alteri vero pauciora minusque valida, esse divinae providentiae arcanum, quod nobis mortalem hanc vitam adhuc agentibus patere noluit idem Deus. Illud certo scimus, quod cum ipse essentia sua optimus sit ac justissimus, justissime quoque, sapientissimeque distribuit dona sua. Sufficere haec deberent aequo homini ingenuoque, licet ignoret, cur Deus una potius ratione quam alia in rerum humanarum directione sese gerat.

426. *Inst.* Si Deus non ita dirigit homines, ut hi semper constanterque operentur bona, neque proinde omnes aeternam felicitatem, quae est finis hominis, consequantur, jam divina providentia praestitutos creaturarum fines non semper obtineret ; atqui istud non esset nisi ipsius divinae providentiae defectus : ergo &c.

427. R. Duplex distinguendus est creaturarum finis, *particularis*, qualis est respectu hominis felicitas sempiterna ; et *generalis* seu etiam *ultimus*, qualis est Deus ipse seu divinorum attributorum manifestatio, de quo paullo inferius. Postremum hunc finem semper obtinet Deus, etiamsi homines non recte operentur, neque proinde suum particularem finem assequantur : ipsi enim quamvis ab uno per culpam recedant ordine, in alium tamen, velint nolint, incidunt, uti superius cum S. Thoma adnotavimus (§. 135.). Sane nonne Deus in hac etiam hypothesi justitiam suam, misericordiam, longanimitatem, aliaque id genus attributa luculente demonstrant (*Annot. ad* §. 121.)? Ceterum ad divinam providentiam, quae praesentem statum spectat, attinet crea-

turas,

turas, quantum ex se est, dirigere. Hoc autem praestat Deus, quamvis homines libertatis abusu proprium peculiarem finem, ad quem Deus ipse eosdem dirigit, reapse non obtineant. Praeclare idem S. Doctor: *in qualibet*, inquit (*a*). *ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, & exitum vel eventum ordinis; non enim omnia, quae ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergo ordinem in finem respicit tantum, unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur; sed praedestinatio respicit etiam exitum vel eventum ordinis; unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur*.

428. *Inst.* Ergo divina providentia, ut providentia sit ac dici possit, etiam peccata ad generalem finem et ultimum dirigere debet atque ordinare; atqui hoc est plane falsum: igitur etc. *P. min.* Peccatum est suapte natura inordinatio; atqui quod est suapte natura inordinatio, ordinari ne a Deo quidem potest: neque enim Deus potest rerum naturam atque essentiam immutare: ergo etc.

429. ℟. Aliud est peccatum in se inspectum, et aliud sunt ea, quae ad peccatum ipsum aliqua ratione pertinent. Peccatum priori sensu usurpatum ordinari sane non potest: est enim inordinatio, deficientia, nihil, quod proinde non caussam efficientem, qualis est Deus, sed deficientem, qualis est homo, postulat. At si posteriori sensu spectetur, ordinari equidem posse conspicimus. Nam nonne ex culpis alii humiliores ut David, gloriosiores alii ut Joseph, alii sanctiores ut Martyres evaserunt? nonne magis perspicue nobis innotescit Dei clementia dum parcit, justitia dum punit, potentia dum portenta operatur, infirmitas nostra, precum opportunitas, necessitas divinae gratiae, brevius, quid homines sint, quid sit Deus?

430. *Dices*. Saltem cur Deus, si providet humanis rebus, sinit, quosdam perditissimos homines diu vivere, in profundum malorum prolabi, peccata peccatis accumulare, indeque exquisitioribus excruciari suppliciis, dum quandoque qui prima fortasse vice peccaverit, statim morti damnat, poenisque sempiternis? Negari praeterea non potest, in hypothesi divinae providentiae inutilia esse humana consilia at-que

(*a*) *De veritate q.* 6. *art.* 1.

que industriam : quidquid enim preordinavit Deus, eo modo fiat necesse est, quo illud idem praeordinavit. At nunc videmus, consilia humana industriamque plurimum potissimumque ad rerum humanarum eventus conferre.

431. R. *ad* 1. Ex hactenus dictis manifestum est, sicuti mala physica seu poenae, ita etiam mala moralia seu culpae atque ideo sive mortem ejus, qui prima vice peccaverit, sive aliorum vitam, qui in profundum malorum prolabuntur, divinae subdi providentiae. Deus praeterea liberrimus est, ac proinde aequissime potest vel justitiam exercere, dum peccatores in adinventionibus suis iniquisque desideriis relinquit, vel clementiam miserationemque, dum alios a tot malis vel eripit vel praeservat. Fieri etiam potest, quod Deus ea de caussa e vivis cripiat, qui prima tantum vice peccaverit, quod ipsum noscat in multo plura gravioraque prolapsurum, si diu viveret, subiturumque acerbiora supplicia; unde ejus mors misericordiae potius quam justitiae effectus esset ac dici deberet. Quid vero, si neque mori possint perditi laudati homines, neque vivere, qui prima vice in culpam ceciderit, nisi miraculum aliquod patrari iccirco oporteat?

432. R. *ad* 2. Etiam ipsa humana consilia, sollicitudo, industria, vires, preces, vota, cetera sunt media, quae suppeditavit Deus, ut homines juxta eorum naturam, statum, conditionem, et fines operarentur. Divina praeordinatio media haec atque humanam operam non evertit; unde ipsa quoque in serie negotio atque ordine divinae providentiae locum habent; neque nisi injuria atque immerito dici possunt inutilia.

433. *Ob*. 3. Alia bene multa nobis opponunt Deistae. Praecipua seligamus. Plura, inquiunt, in hoc mundo inutilia sunt, velut, missis ceteris, pluvia in mare cadens, aut tot illa vermiculorum genera, quae ne microscopiis quidem videri detegique a nobis possunt. Plura etiam noxia, ut voraces ferae, venena, atque alia id genus sexcenta. Plura quoque inordinata, ut grandines, praerupti montes, similia. Plura imperfecta, ut monstra: ac demum fortuita. In his profecto divina, quae sapientissima esse deberet atque optima, non elucet providentia.

2. Providentia manifeste pugnat cum perfectissima, qua Deus frui debet, beatitudine: *sive in mundo Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet, terras*

et

et maria contemplans, hominum commoda vitasque tueatur; nae ille est implicitus molestis negotiis et operosis, inquit Vellejus apud Tullium (a). Simili argumento usus est etiam Lucretius, quem alias laudavimus (*Annot. ad* §. 235.), ut Deum res praesertim humanas nihil curare demonstraret.

3. Indignum est Deo, sese ad minimarum vilissimarumque rerum procurationem deijcere. Consultius sane se gereret, si de his rebus curam ministris suis, ut solent Reges ac Principes, committeret. Hinc S. Hieronymus, *absurdum est*, inquit (b), *ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur*. Et Apostolus, *numquid*, inquit (c), *de bobus cura est Deo?*

434. *Ad* 1. Nihil omnino est in mundo, quod sit plane inutile: Deum sapientissimum aliquid frustra molitum fuisse, vel cogitare nefas. Adde quod rerum utilitas dimetienda potissimum est ex ordine, quem habent ad totam ipsam rerum universitatem. Ut itaque aliquis jure ac tuto possit judicium ferre, an res aliqua vel nullo fine creata sit, vel minus apte ad finem sit disposita, oporteret, quod ipse non modo intimam cujusvis rei naturam, sed fines quoque omnes, ordinem, nexum, relationes, harmoniam tum cum rebus ceteris praeteritis praesentibus ac futuris, tum etiam cum toto perspicue dignosceret. Aliter enim nonnisi temere judicaret, ut re ipsa temere judicant Deistae. Haec igitur difficultas ex una nostra ignorantia procedit. Quod exemplo ejus imperiti, qui alicujus artificis officinam ingressus ea instrumenta, quorum usum ignorat, veluti plane inutilia existimaret, illustrat S. Augustinus (d).

435. Si quaedam sunt noxia hominibus, id sibi meruerunt per culpam (§. 118). Nonnulla aliis quidem rebus sunt noxia, non tamen iis, quae illa habent. Ita ferae per voracitatem cibum sibi comparant vitamque tuentur. Venena sunt plurimum utilia serpentibus, imo vero ipsis etiam hominibus si iis bene utantur. Universim dicimus, res plane omnes ac singulas vel sibi ipsis, vel saltem rerum universitati aliquid boni semper conferre, nec esse noxias, nisi quatenus non con-

(a) *Lib.* 1. *de nat. Deor. cap.* 20.

(b) *In cap.* 1. *Habacuc.*

(c) *Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 9. *v.* 9.

(d) *Lib.* 1. *de Gen. cont. Manich. cap.* 16. *n.* 25.

convenienter adhibentur, uti de venenis loquens scribit idem Augustinus (a).

436. Nihil etiam est vere ac proprie inordinatum, cum res quaelibet bonae in se sint, et ad finem aliquem inserviant. Quaedam ideo inordinata nobis adparent, quod proximam tantum caussam inspiciamus, non autem supremam rationem, ad quam demum referri debent. Saltem quae monstrosa sunt, aliarum rerum, quae sunt perfectiora, pulchritudinem magis luculente demonstrant. Denique Deus ut naturae auctor, praepadire eas naturales caussas circumstantiasque non tenetur, quibus interdum fit, ut monstra quaedam ac portenta nascantur.

437. Ad rerum creaturarum imperfectionem quod attinet; vel imperfectio, haec est metaphysica, atque hoc in sensu spectata essentialis est quibusque rebus creatis sicuti malum ipsum *methaphysicum*, quod proinde divinae bonitati ac providentiae non adversatur (§. 117.). Vel est imperfectio sive *absoluta* sive *relativa*, malum *naturae* a quibusdam adpellata (*Annot. ad* §. 117.), quarum illa est deficentia ab ea perfectione, cujus creatura ceteroqui est capax: altera vero est deficientia etiam a perfectione, qua res aliae ejusdem generis vel speciei reapse donatur (*ibid.*). At neutra divinae providentiae vel minimum contraria est. Non equidem prior illa: siquidem cum Deus in operibus *ad extra* liberrimus sit nulla obstringebatur lege, ut creaturas suas ea omni, cujus capaces sunt, perfectione exornaret, quemadmodum ex iis perspicue constat, quae de mundi optimismo superius dicebamus (*q.* 7.). Sed neque altera. Nam si de rerum corporearum generibus aut speciebus loquamur, nonne ex inaequalitate ac dissimilitudine qualitatum et perfectionum mirum in modum elucet speciosissima illa ipsarum rerum varietas, subordinatio, elegantia, coaptatio, numerus, harmonia? Inde quaeso esset, si res omnes non forent nisi aut plantae, aut animantia, aut homines, sique singula ejusdem speciei individua paris inter se essent perfectionis virtutis capacitatis? Hinc est, quod quamvis in mundo id genus imperfectio reapse existat, mundus tamen ipse adeo pulcher est et admirabilis, ut plumbeus sit oporteat, qui plane infinitam divini Opificis sapientiam bonitatemque non suspiciat ac fatea-

(a) *Lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 22.

fateatur. Quod si aliqua sunt individua, quibus desint naturales perfectiones; velut esset planta vel contorta vel manca vel quae acerbos fructus edat; nihil mirum: Deus enim ut naturae auctor eo potissimum spectat, ut res ipsae creatae juxta propriam naturam circumstantiasque vel operentur, vel modificationes recipiant. Ceterum has ipsas imperfectiones ad finem suum ordinat Deus, atque ad totius universi pulchritudinem: sicuti enim pictae imagines per intermixtas umbras redduntur pulchriores vividioresque, ita etiam res aliae per aliarum defectus magis magisque splendescunt. Hoc idem de rebus sensu aut etiam ratione exornatis dicendum est; illudque praeterea addendum, scilicet relativam hominum imperfectionem plurimum conferre ad societatis vinculum ac bonum, ut scite animadvertit Lactantius: *homo*, inquit (a), *si eodem modo haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec ullius alterius auxilio indigeret, quae societas esset? quaeve ratio? quae humanitas? aut quid esset tetrius homine? quid efferatius? quid immanius? Sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine vivere, societatem appetit, ut vita communis, et ornatior fiat et tutior* (*). Itaque imperfectiones, quae in hoc mundo sunt, nihil omnino divinae providentiae refragantur.

438. Quae *fortuita* dicuntur, fortuita nobis sunt, qui plurium rerum nexum et finem ignoramus: non autem Deo, qui res omnes, earumque vires actiones effectus relationes cetera pervidit acutissime, et ad praestitutos fines ordinavit.

439. R. ad 2. Epicurum, cujus est objectum argumentum merito deridet Tullius. *Epicurus*, inquit (b), *quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. At ipsi tamen pueri, etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludrica de- lectan-*

(a) *De Opificio Dei cap.* 4.

(b) *Lib.* 1. *de nat. Deor. cap.* 37.

(*) *Hinc facile comprimuntur Plinii ac Deistarum querelae, quarum superius meminimus* (Annot. ad §. 411.), *desumptae ex miseriis indigentiisque, quibus subjecti sunt homines vel a primo nativitatis suae momento, adeo ut, si ipsos audiamus, melior feliciorque censeri debeat brutorum animantium conditio. At si optio eis daretur, an stulti adeo bardique essent, ut belluinam potius quam humanam conditionem ac statum seligerent?*

lectantur : Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, si se commoverit, vereamur ne beatus esse non possit? Haec oratio non modo Deum spoliat motu et actione divina: sed etiam homines inertes efficit; si quidem agens aliquid, ne Deus quidem, esse beatus potest. Neque vero defatigaretur Deus, si omnibus creatis rebus prospiceret: *non enim*, inquit idem Tullius, (*a*) *venis, et nervis, et ossibus continentur* (dii) *nec iis escis aut potionibus vescuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant: nec iis corporibus sunt, ut aut casus, aut ictus extimescant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum.* Scilicet non aliena opera aut molesta anxietate et sollicitudine; sed tantum intellectu suo ac voluntate et quidem tranquille providet Deus. Nam unico intellectus sui intuitu simplicissimoque cognoscit omnia (§. 194.), tum omnia unico simplicissimoque suae voluntatis actu vult atque efficit (§. 204.). Eo itaque ipsissimo actu, quo seipsum intelligit vultque sua, intelligit quoque ac vult aliena (§. 206.). Porro non modo non defatigatur Deus dum seipsum intelligit ac vult, cum haec p... essentiam suam ac sponte libentissimeque praestet, sed quinimmo hoc ipso beatus est, cum infinitis hisce perfectionibus perfruatur. Dei itaque naturam non agnoscunt, qui opinantur ipsam ea beatitudine, qua frui debet, spoliari, si omnibus creatis rebus provideret.

440. *ad* 3. Si indignum non fuit Deo, res minimas condidisse et conservare, cur indignum, easdem moderari ac regere? Tum dicuntur quidem res vilissimae, sed tamen re ipsa non sunt. Si vermiculum paullo attentius spectaveris, adeo mire fabricatum esse comperies, ut longe longeque omnia etiam perfectiora hominum opificia superet atque antecellat. Denique res minimae spectandae existimandaeque potissimum sunt ex nexu, quem cum ceteris habent. Exemplo minimorum lapidum quoad aedificium aliquod, vel quarumdam partium quoad horologium illustrare res praesens posset. Jam vero universali hac gubernatione amplitudo divinae potentiae splendidius commostratur; dum Reges ac Principes, qui ministris suis quaedam minoris momenti negotia committunt, eo ipso ostendunt, se pares non esse, ut omnibus providéant; neque esse nisi angustis coarctatam limitibus eorumdem dominationem.

(*a*) *Lib.* 2. *cap.* 23.

441. S. Hieronymus negat quidem, Deum *specialem* illam habere de minimis rebus curam, quam de hominibus habet; non autem negat, ipsum ullam curam de laudatis rebus habere. Inquit enim (a): *non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nosipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes*. Docuerat autem, quod *sicut in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in ceteris animalibus generalem quidem dispositionem et ordinem, cursumque rerum intelligere possumus*. Tum alibi (b) suspicit in formica, in culice, in vermiculis; inque aliis id genus animalculis solertiam Creatoris. Hoc itaque unum docet Hieronymus, scilicet ad probandam Dei providentiam sumi non debere, quae vilia sunt, quaeque homines ipsi exhorrescunt, sed quae gravia sunt ac nobilia, ne Dei majestas apud pussillos vilescat.

442. Apostolus quoque negat tantum *specialem* divinam de bobus curam, qualem gerit de hominibus, uti ex scopo objecti testimonii liquet manifestissime. Ceterum Deum curam habere de passeribus, de corvorum pullis, de liliis quoque, de capillis, aliisque minutissimis creatis rebus; verbo, de *omnibus*, docent sacrae Scripturae.

443. *Animad.* Quasdam rationes, cur Deus hoc potius quam illud aut effecerit aut permiserit, sparsim pro rerum opportunitate exposuimus. Non tamen putandum est, nullas alias esse easque sapientissimas. Certe temerarium est, tanti nos facere, ut altissima quaeque divinae sapientiae consilia perscrutari valeamus. Hinc si plura sunt (sunt etenim), quibus accurate satisfacere non possimus, nemo miretur. Mirandum quinimmo est, Deistas querulosque homunciones audacissime ex una, qua laborant, rerum ignorantia, divinam sapientissimam optimamque providentiam censura notare vel etiam penitus rejicere. Ad pleniorem absolutae hujus disputationis notitiam consulantur, quae in altera de summo malo Manichaeorum Principio longa oratione sumus persequuti (q. 4.): sunt enim maxime affinia.

QUÆ-

(a) *Loco citato.*

(b) *Epist.* 3.

QUÆSTIO XII.

Quinam sit omnium ultimus rerum creatarum finis?

444. *Def. Finis*, quem etiam *caussam finalem* adpellant, illud est, propter quod seu cujus gratia aliquid fit. (*Ontol.* §. 256.).

445. *Schol.* Finis esse potest multiplex (*ibid.* §. 257.). Ad rem nostram quod pertinet, duplicem distinguimus, *ultimum*, qui nullum alium finem supponit, ad quem referri possit ac debeat, et *non ultimum*, qui scilicet ad finem alium refertur, eique subordinatur.

446. *Corol. I.* Finis *operantis*; quem nempe sibi praestituit, qui operatur: postulat ut operans non adhuc, seclusa actione, illud ipsum, quod est ipsius actionis finis, possideat. Operatio siquidem est *medium* ad obtinendum finem; at ipsa haud esset medium, tum frustra adhiberetur, si quidem finis obtentus sine ea jam fuerit.

447. *Corol. II.* Finis, quem in suis operibus *ad extra* sibi praestituit Deus, non ea spectat, quae Deus ipse per essentiam suam obtinet. Haec enim semper ac perfectissime obtinuit semperque obtinebit; contra ac postulat finis natura (§. 446.).

448. *Corol. III.* Finis Dei in operibus *ad extra* non potest esse nisi aliquid, quod eidem extrinsecum sit. Quae enim intrinseca eidem sunt, semper obtinuit. Tum si posset aliquid intrinsecum per opera *ad eytra* sibi comparare, procul dubio intrinsecus mutatus fuisset, neque esset per essentiam suam perfectissimus: nam perfectionem aliquam naturae suae addidisset et quidem libere atque in tempore, cum opera illa et libere et in tempore facta sint.

449. *Corol. IV.* Finis Dei non potest esse nisi aliquod bonum. Nequit enim sibi praefigere finem aliquem, quin ipsum velit et optet. At velle et optare non potest Deus nisi bonum, cum dumtaxat bonum sit ac esse possit cujusvis voluntatis objectum (*Psychol.* §. 517.).

Sensus quaestionis.

450. Cum totam hanc rerum universitatem condiderit et conservet Deus, cum ipsa quoque ad operandum concurrat, eique sapientissime provideat; quaeri oportere videtur, quemnam demum ob finem eumque ultimum haec omnia praestiterit?

451. *Animad.* Duo veluti omnino certa habenda hoc loci sunt, scilicet Deum finem aliquem in rerum molitione sibi praestituisse (§. 200.). Alterum, finem ultimum non excludere *secundarium* finem et *intermedium*, qualis profecto esset respectu hominum æterna eorumdem felicitas: liquet enim, homines obtinere perpetuam felicitatem posse, simulque eamdem ipsam posse ad Deum referri. Immo vero eo ipso, quod eadem sit *intermedius* finis et *secundarius*, alium finem se priorem supponit, ad quem referatur.

Sententiarum compendium.

452. Plura quoad finem ultimum creaturarum excogitarunt veteres praesertim Philosophi, quorum opiniones omnes recensere et longum esset et inopportunum, cum id ad Ethicam potissimum pertinere videatur. Ii omnes negant, ultimum creaturarum finem esse Deum, qui aut putant, nullum Deum existere, ut Athei; aut docent, nullos fines praestitutos a Deo fuisse, ut Lucretius, et Spinoza; aut opinantur, Deum ipsum ex necessitate naturae omnia operari, ut quique Fatalistae; aut demum finem illum sive in virtute hominum, sive in eorumdem sapientia, sive etiam in voluptatibus, verbo, in ipsis creaturis stultissime collocant. At cordatiores quique plane inter se conveniunt, ultimum creaturarum finem esse non posse nisi Deum; quod quidem expresse docent sacrae Scripturae: legitur enim (a) *universa propter semetipsum operatus est Dominus*.

PROPOSITIO I.

Deus est ultimus omnium rerum creatarum finis.

453. *Pr.* Finis quem in mundi molitione sibi praestituit Deus (§. 451.), vel in eodem mundo situs est vel in ipso Deo: nihil enim praeterea configi potest. Si in mundo situs dicatur; hic sane finis non est ultimus, de quo disputamus cum enim quaestio sit de fine mundi, jam mundus ipse *finis* non est, sed *medium* ad praestitutum finem: *finis* namque a *medio* ad finem distinguatur oportet. Vel igitur nullus haberetur finis mundi, quod repugnat (*ibid.*); vel finis, qui in mundo situs est, non esset ultimus, sed secundarius et intermedius. At intermedius finis et secundarius ad alium necessario refertur (*ibid.*). Igitur finis mundi non in mundo

---

(a) *Prov. cap.* 6. *v.* 4.

do ipso situs est, bene vero in Deo; quod erat altera superioris dilemmatis pars. At ultra Deum nihil est aliud, ad quod finis, qui situs in Deo est, referatur; finis autem, qui ad alium non refertur, est ultimus (§. 445.). Itaque Deus est ultimus mundi seu rerum omnium creatarum finis.

Rursus. Deus est per essentiam suam prima ac suprema rerum omnium caussa. Itaque aliae quaevis caussae secundae, earumque existentia, conservatio, actiones, qualitates, effectus, cetera siculi a Deo necessario pendent, ita quoque suapte natura referuntur ad Deum, eique subordinantur. Deus porro ordinatissimus est ac sapientissimus, neque essentiales necessariasque creaturarum relationes potest evertere. Igitur oportet, ut creaturas omnes ad se referat. At referre aliquid ad se perinde est ac illud ipsum propter se velle; velle autem aliquid propter se, est plane idem ac seipsum velut illius finem constituere. Deus itaque omnium omnino creaturarum finis est. Cum igitur ultra Deum nullus alius sit finis, nec esse unquam possit; Deus est ultimus omnium rerum creatarum finis. *Q. E. P.*

PROPOSITIO II.

Hic ultimus creaturarum finis est divinorum attributorum manifestatio, seu externa ipsius Dei gloria.

454. *Pr.* Ex rerum molitione nihil Deo, quod internum sit, advenire potest, neque proinde finis ultimus, quem sibi praestituit. esse potest aliquid eidem intrinsecum (§.448.). Oportet igitur, ut laudatus finis in aliquo externo situs sit. Is autem esse non potest nisi *externa* ejusdem Dei *gloria*, seu suarum perfectionum sive attributorum manifestatio (*). Ultimus itaque creaturarum finis &c. *Q. E. P.*

455. *Corol.* Divinorum attributorum manifastatio, seu externa Dei gloria infinita non est, sed in aliquo plane determinato gradu consistat oportet. Nam creaturae, quae sunt medium, sunt suapte natura finitae, neque infinitae evadere unquam possunt. Item finitae sunt creaturae rationales, quibus

---

(*) Interna *Dei* gloria *est infinitarum, quas possidet per essentiam suam, perfectionum collectio, seu infinita naturae divinae excellentia. Cum itaque qui propter finem operatur, non adhuc finem ipsum possideat* (§. 446.); *interna Dei gloria non potest esse ultimus creaturarum finis.*

quibus attributa Dei manifestantur. Cum itaque gloria Dei externa respondere debeat medio, tum creaturis, quibus manifestantur divina ipsa attributa; laudata Dei gloria non potest esse nisi finita et aliquo determinato gradu coarctata: quod etiam superius adversus Leibnitianos et quosvis alios Optimistas indicavimus (*Annot. ad* §. 298.).

Excutiuntur contrarii scrupuli.

456. *Ob.* 1. Finem inter et medium aliqua intercedere debet proportio; atqui inter creaturas ac Deum proportio nulla intercedit: igitur creaturae non sunt medium ad consecutionem finis, qui sit Deus, ac proinde falsa propositio.

457. ℟. Creaturae finitae ratione *perfectionis* nullam equidem habent cum Deo infinito proportionem, adeo ut comparate ad Deum ipsum tamquam nihilum reputari jure possint ac debeant. Nihilominus ratione *connexionis* ita cum Deo ejusque attributis nectuntur, ut ex eisdem facile deducatur ipsius Dei, pluriumque ejusdem proprietatum ac perfectionum existentia, uti ex hactenus dictis est manifestissimum. Cum itaque finis ultimus creaturarum in externa Dei gloria, seu in divinorum attributorum manifestatione sita sit (§. 454.): perspicue elucet, creaturas ipsas esse medium, quo Deus earumdem finem ultimum consequatur. Altera quoque apparet proportio, quatenus nempe sicuti finitae sunt creaturae, quae *media* sunt, ita etiam finita est externa Dei gloria, quae est *finis* (§. 455.).

458. *Inst.* Si ratione *connexionis* ea creaturas inter et Deum intercedit proportio, ob quam Deus finem consequatur suum, jam Deus ipse ut finem illum obtineat, seu ut manifestet attributa sua, indiguisset creaturis; atqui plane repugnat Deum omnino et a quavis re independentem creaturis indigere: ergo &c.

459. ℟. Repugnat quidem Deum indigere creaturis, ut suas perfectiones vel conservet vel augeat, cum per essentiam suam atque ideo independenter ab alia quavis re sit usquequaque perfectissimus. At dum ad finis sui consecutionem utitur creaturis, neque conservat neque auget perfectiones suas: hic enim finis non est aliquid eidem intrinsecum, sed externa tantum ipsius gloria (§. 454.), quae proinde nihil novi impertit divinae naturae. Neque vero aliquid nobis facessit negotii necessitas, quam habet Deus, utendi ad finis sui consecutionem rebus creatis: non enim *absoluta* est, sed

tan-

tantum *hypothetica*. Scilicet Deus finem illum liberrime sibi praestituit. Porro rerum ordo postulat, ut qui vult finem, velit etiam media, quales in re, de qua loquimur, sunt creaturae: neque enim Deus potuisset manifestare attributa sua, indeque externam gloriam sibi acquirere, nisi creaturas rationales, quibus illa manifestarentur, tum eas res, ex quibus eadem attributa patefierent, condidisset. Quare laudata utendi creaturis necessitas non est nisi hypothetica, tantumque a summa ipsius Dei libertate dependet; neque iccirco est aliquid in hac nostra hypothesi, quod non sit ordinatissimum, quodque divinam independentiam naturamque vel minimum dedeceat.

460. *Inst.* Omnis manifestatio est actio; atqui actio efficit aliquid, quod sine ea non esset: igitur divinorum attributorum manifestatio, si esset ultimus creaturarum finis, aliquid in Deo efficeret, quod sine ipsa non esset, atque ideo vel conservaret divinas perfectiones vel augeret.

461. ℟. Dariesius, cujus est objectum argumentum, finem cum medio imperite confundit. Nam divinorum attributorum manifestatio, quae est *finis*, actio per se non est, sed tantum externa quaedam relatio ad Deum, quam habent creaturae rationales, quibus divina ipsa attributa manifestantur. Creatio quidem est actio; sed ipsa est *medium*, quo manifestatio illa seu finis obtinetur. Confundit itaque divinorum attributorum manifestationem cum creatione, finem cum medio. Ceterum creatio efficit quidem aliquid, quod sine ea non esset; verum id efficit in creaturis tantum, quibus existentiam confert, non autem in Deo: actio enim Dei, qua creat, vel ad Deum ipsum, vel ad creaturas refertur. Si ad Deum; ipsa est *immanens* (§. 162.), nihilque aliud est, quam decretum liberum ex aeternitate editum creandi mundum: quod quidem decretum ab perfectio sit nec ne, tum quomodo conciliari cum divina essentiali absolutaque immutabilitate queat, alibi quantum fieri per nos licet, exposuimus (§. 165.). Sin autem refertur ad creaturas; actio illa est *transiens* (§. 162.), seu res, quin nova edatur actio, consentaneo ad aeternae immutabilisque divinae voluntatis nutum in tempore existunt (*). Unde per realem creationem

(*) *Difficultas haec, quae nimirum ex rerum creatione desumitur, eos omnes aeque urget, qui Deum res creasse sicut reapse creavit, pro comperto habent et explorato.*

nihil de novo accedit Deo, sed tantum novi aliquid in creaturis contingit. Itaque sive spectetur finis, hoc est, divinorum attributorum manifestatio; sive medium, hoc est, temporaria creatio rerum, nihil est, quod Dei perfectiones vel conservet vel augeat.

462. *Inst.* Si divinorum attributorum manifestatio est ultimus creaturarum finis, Deus profecto eamdem vult; at nemo aliquid velle potest nisi sub ratione *boni* et quidem boni *sui*: igitur laudata manifestatio aliquod bonum Deo conferret, proindeque vel conservaret Dei perfectiones vel augeret.

463. ℟. Equidem Deus non potest velle nisi bonum. Quod autem ipsum velit sub ratione boni *sui*, non eo in sensu intelligendum est, quo sensu respectu ad voluntatem creatam intelligeretur. Scilicet voluntas creata cum perfici intrinsecus possit, res bonas sub ratione utilitatis propriae et commodi potest velle; non item vero Deus, qui perfici omnino nequit, sed vult quatenus seipsum diligendo, qui est per essentiam suam summum bonum, diligit quoque bona cetera; dumque propriam externam gloriam pro fine habet, ipsam suam bonitatem aliis impertit rebus et communicat.

464. *Ob.* 2. Si Deus pro ultimo creaturarum fine suam præstituisset externam gloriam, esset ambitiosus; quod est a Deo plane alienum. *Absurdum dictu est*, inquit Plotinus (a), *Deum mundum progenuisse, ut honoraretur, eorumque haec est opinio, qui sculptorum nostrorum affectus ad superos transferunt*. Hoc idem argumentum contra nos urget Mirabaud (*).

2. Sal-

(a) *Ennead. lib. 9. cap. 4.*

(*) Ce Dieu, dit-on, creé le ciel la terre et touts les êtres, qui les habitent en vue de sa propre gloire. Mais un Monarque superieur à touts les êtres, qui n' à point de rivaux ni d' egaux dans la nature, qui ne peut être comparé à aucunes de ses creatures, peut il être animé du desir de la gloire? Peut-il craindre d' être avili aux yeux de ses semblables? a-t-il besoin de l' estime, des hommages, de l' admiration des hommes? (system, &c. part. 2. chap. 3.) *Nihil sane his opus habet Deus; sed tamen gloriam suam in creaturarum bonum felicitatemque voluit creaturis ipsis manifestare.*

2. Saltem summa Dei liberalitas labefactari videretur, dum propter suam gloriam operatus traducitur.

3. Vel Deus etiam per hominum culpas finem suum seu suorum attributorum manifestationem consequitur, vel non. Si hoc alterum; ergo aliqua, quae fiunt, ad finem ultimum non referuntur. Cur porro asseri hoc ipsum de aliis quibusque rebus eodem jure non potest? Sin autem primum illud; ergo sicuti Deus absolute sibi praestituit finem, ita quoque praestituisset et media, atque ideo ipsas culpas: media enim in gratiam finis praestituuntur. Atqui porro istud esse videtur plane calvinianum.

4. Ut aliquis sapienter se gerere dicatur, satis est, quod aliquem rationalem suorum operum finem sibi praestituat. Igitur sapientissimus esset Deus, etiamsi nonnisi peculiares creaturarum fines praestituisset.

5. *Qui quaerit*, inquit S. Augustinus (*a*), *quare voluerit Deus mundum facere caussam quaerit voluntatis Dei. Sed omnis caussa efficiens est. Omne autem efficiens majus est, quam id quod efficitur. Nihil autem majus voluntate Dei. Non ergo ejus caussa quaerenda est.*

465. ℟. *ad* 1. Deus non laudum aut gloriae cupiditate, neque propriae utilitatis voluptatis felicitatisque studio, quod est hominum proprium; hunc mundum condidit; est enim perfectissimus per sese ac beatissimus; sed tantum vi bonitatis suae, quam aliis externis rebus communicare intendebat. *Cum Deus*, inquit S. Thomas (*b*), *alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas .... sequitur, quod non aliquid aliud moveat voluntatem ejus nisi bonitas sua*: quod quidem ex infra dicendis luculentius constabit. Deus igitur ambitiosus non est, quamvis externa ejus gloria rerum omnium creatarum sit finis ultimus.

466. ℟. *ad* 2. Divinorum attributorum manifestatio, seu externa Dei gloria dum nihil ipsi confert (§. 459.), confert plurima eaque maxima bona creaturis rationalibus, quibus divina ipsa attributa manifestantur: unde S. Thomas, Deus, inquit (*c*), *suam gloriam non quaerit propter se, sed propter nos*. Cum autem libere id praestet Deus; liquet,

ipsam

(*a*) *Lib. qq.* 83. *q.* 24.

(*b*) 1. *part. q.* 19. *art.* 2. *ad* 2.

(*c*) 2. 2. *q* 132. *art.* 1. *ad* 1.

ipsam externam ejus gloriam . quam pro fine ultimo sibi præstituit, non solum ejusdem liberalitati non adversari, sed quinimmo eamdem commendare quammaxime atque attollere.

467. ℟. *ad* 3. Deus etiam per hominum culpas gloriam suam et attributa, puta justitiam manifestat (§. 427. 429.); culpas tamen ipsas non praestituit. Quod quidem ut perspicue intelligatur, observandum est, Deum ita *absolute* sibi praestituisse externam suam gloriam, ut eamdem consequi voluerit in quavis hypothesi, sive nempe homines recte sive non recte essent operaturi. Hoc firmum sit oportet et inconcussum. An fine suo et gloria ea de caussa fraudandus Deus, quod homo propria malitia futurus esset malus? non sane. At idem Deus praevidit, quod homo erat re ipsa peccaturus. Vel tum itaque sapientissime sibi praefixit, ut culpae ipsae vel potius ea, quae ex culparum occasione futura erant, ad externam suam gloriam ordinarentur. Jam vero haec ordinatio non culpas efficit, ut per se liquet, sed supponit. Igitur Deus praestituendo gloriam suam etiam ex culpis, si quidem futurae essent, non praestituit ipsas culpas, ut falso docent Calviniani.

468. ℟. *ad* 4. Dei sapientia numeris omnibus absoluta res spectat, quales in se sunt, et juxta essentiales necessariasque earumdem relationes ac naturam. At necessaria creaturarum relatio ac natura postulat, ut ipsae ad Deum tamquam ad finem ultimum referantur (§. 453.). Deus itaque sapientissimus non esset neque ordinatissimus, si creaturas ad seipsum non referret, licet quosvis alios sed tantum *particulares* earumdem fines praestituisset.

469. ℟. *ad* 5. S. Augustinus aliquam assignat caussam, cur Deus mundum condiderit, eamque esse ait ipsam ejus *bonitatem*. Nam illos profanos homines reprehendit (*a*), qui *noluerunt istam caussam fabricandi mundi tam bonam ac simplicem bene ac simpliciter credere, ut Deus bonus conderet bona*. Porro laudaverat Platonem, qui hoc idem senserat: *hanc etiam Plato caussam condendi mundi justissimam dicit, ut a Deo bono bona opera fierent* (*b*). Quum igitur scribit, quaerendam non esse divinae voluntatis caussam, hoc unum docet, scilicet nihil esse extra Deum, quod ipsum ad mundi

---

(*a*) *Lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 23.
(*b*) *Ibid. cap.* 21.

mundi creationem moverit, seu quod *effecerit*, ut ipse mundum creare voluerit. Nec sane immerito; etenim res quaevis contingentes comparate ad Deum sunt velut nihilum. Quare distinguendum in Deo videtur *motivum* a *fine*. Deus utpote summe bonus aliquam, ut ita dicam, in se experiebatur propensionem inclinationemque, ut bonitatem suam diffunderet extra se, juxta vulgatum illud: *omne bonum est sui diffusivum*. En motivum. At cum id Deus praestare non potuerit nisi libertate et consilio: neque enim bruto impetu atque inconsulto extra se operatur; necesse fuit, ut ejus sapientia fines sibi proposuerit, quos postularet ipsa rerum natura. Porro natura rerum postulabat, ut ipsae ultimo referri ad Deum deberent (§. 453.), atque ideo ut Deus ipse seu externa ejus gloria esset omnium ultimus creaturarum finis. Doctrina haec quam bene non modo cum rerum creatarum, sed etiam cum ipsius Dei natura ejusque operandi ratione congruat, nemo, opinor, est qui non videat.

THEOLOGIÆ NATURALIS

FINIS.

APPENDIX PRIMA

De Religione.

Praestitutis in Psychologia et in Theologia Naturali praecipuis Religionis fundamentis, quae doctorum omnium sententia sunt existentia Dei, supremum ejusdem in res omnes creatas dominium, providentia, ceteraque attributa; tum nostrorum animorum spiritualis natura, immortalitas, ac libertas; operae pretium esse ducimus, quaedam brevissime ex iis ipsis eruere, quae propius ad ipsam Religionem pertinent. Novimus equidem, id genus Tractationem esse oportere diductam absolutamque numeris omnibus hac potissimum aetate nostra, quum quaevis Dei jura, hominumque adversus eumdem officia impii quidam et increduli evertere, totis, quibus possunt, viribus conantur. Verum cum in alio Opere, si Superis placuerit, eamdem longiori pleniorique oratione simus persequuturi, iis in hacce rerum luce contenti sumus, quibus tirones nostri tanti momenti argumentum si non plene, aliqua saltem ratione callere possint. Totam hanc Appendicem duobus absolvemus Capitibus, in quorum altero de Religione generatim, in altero vero de Religione Naturali brevissime disseremus.

CAPUT I.

De Religione generatim.

470. *Def.* 1. *Religio* est verus debitusque amoris, timoris, fidei, spei, obsequii, invocationis, orationis, actionum gratiarum, grati animi sensus, omnimodaeque obedientiae ac servitutis cultus Deo exhibitus.

471. *Schol. Religionis* nomen a *relegendo* derivat Tullius (*a*), cui etiam consentit S. Augustinus (*b*), quasi nimirum ipsa sit *lectus* adversus Deum *cultus*; Lactantius vero a *religando* (*c*), quasi nempe homines Deo religat sacro quodam vin-

(*a*) *Lib.* 2. *de nat. Deor. cap.* 28.
(*b*) *Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 4.
(*c*) *Lib.* 3. *Institut. divin. cap.* 2.

vinculo atque obstringat. Si spectetur Religionis natura atque officia, utrumque verum esse manifeste perspicitur: nam et verus esse debet lectusque cultus, et per ipsam summo rerum conditori provisorique sapientissimo atque optimo obstringimur.

Religioni opponitur *Irreligio*, quae dicitur *practica* sive *morum*, si non ea fiant, quae Religio praescribit; *speculativa* vero seu *theoretica*, si ipsa ad intellectum pertineat. Haec porro duplex est, *negativa*, si ignoretur Religio ejusque objectum; et quidem pro hujusce ignorantiae qualitate *vincibilis* est aut *invincibilis*; *positiva* vero, si nota quidem sit Religio, sed tamen ex animo consilioque aut vertatur in dubium, et esset *pyrrhonica*, aut tanquam vanum figmentum hominum aperte rejiciatur, et *systematica* esset sive *dogmatica*.

472. *Def.* 2. *Cultus* est sincera quaedam omnimodae nostrae a Deo dependentiae protestatio, quae laudatis amoris, obsequii, similium actibus eidem Deo exhibitis absolvitur.

473. *Schol.* Multiplex est cultus; *internus*, qui internis animi nostri actibus perficitur; *externus*, qui absolvitur externis sensibilibusque signis. Priorem illum *pietatem* adpellarunt Veteres; hunc autem alterum *Religionem*. Porro externus cultus vel *privatus* est; si laudata protestatio privata fuerit; vel *publicus*, si haec fuerit publica. Rursus publica memorata protestatio vel pompa magnificentiaque celebratur, et dicitur cultus *splendidus* seu *magnificus*; sin autem minus, cultus ille *abjectus* solet vocari.

474. *Def.* 3. *Superstitio* est id genus cultus, qui vel exhibetur rei, cui non debetur, vel iis exhibetur modis ritibusque, qui falsi sint absurdique; quique vel rei cultae, vel colenti; vel demum utrique non conveniant; brevius, est cultus sive falsus, sive, ut ajunt, indebitus.

475. *Schol.* Quidam totos dies deprecabantur et immolabant, ut sui sibi liberi *superstites* essent, atque ideo appellati sunt *superstitiosi*. Nomen *superstitionis* hanc primum habuisse sui originem, testatur Tullius (a); additque, nomen illud postea latius penes homines patuisse. Visum nonnullis est, rectam ac puram de Deo deque hominibus cognitionem esse Religionis partem, eamque appellant Religionem *theoreticam*, quae in eo a *practica* discriminatur, quod isthaec

(a) *Loco citato*.

isthaec ad operationes juxta laudatam cognitionem exercendas pertineat. Verum, nostra quidem sententia, aliud est quod supponi debet in Religionis negotio, qualis est memorata cognitio, et aliud Religio ipsa. Illud dici potius *fundamentum* vel *motivum* Religionis quam Religionis *pars* deberet. Quidquid tamen sit, illud certum est, de Dei hominumque natura ac proprietatibus cognitionem esse omnino necessariam, ut vera Religio haberi possit ac re ipsa habeatur: aliter enim fieri sane nequit, ut quid Deo debeamus, quibusque ipsum colamus modis ritibusque, scire uti par est possimus. Hinc ii omnes qui, quid Deus sit quidque sint homines, ignorarunt, superstitioni potius quam verae Religioni operam dederunt suam.

PROPOSITIO I.

Deus est super omnia amandus.

476. *Pr.* Deus non modo est quoddam per essentiam suam summum bonum (§. 155.), sed est etiam beneficus (§.229.), scilicet bona omnia, quae habent creaturae, quibusque tum in hac vita cum in altera felices beatique esse possumus, ab eodem pendent atque dimanant. Ita praeterea bonus est Deus ac beneficus, ut nihil esse possit, quod eumdem aut superet aut exaequet. Constat porro, illud esse amore dignum ac diligendum re ipsa, quod bonitate beneficentiaque est praeditum, cum id genus dotes ac perfectiones suapte natura sint amoris objectum. Igitur Deus est super omnia amandus. *Q. E. P.*

PROPOSITIO II.

Deus timendus est.

477. *Pr.* Duplicem timorem distinguunt Philosophi aeque ac Theologi, *filialem*, qui ex amore nascitur, et quo, laedere Deum ut patrem amantissimum, ut bonum, ut beneficum, ut ultimum nostri finem veremur; et *servilem*, qui nascitur a poena, quoque eumdem Deum, ut potentissimum dominum puniteremque severissimum reformidamus. Priori timore filius patrem suum, quem amat, et a quo amatur, alterο vero reus judicem, a quo puniendus severissime esset, si violaret statutas leges, prosequitur. Utroque timendus est Deus. Si Deus bonus est si beneficus si pater, sicuti amandus est (§. 476.), ita quoque vereri ipsum debemus timore filiali. Filius quia amat patrem, a quo amatur, timet ipsum laedere. Deus praeterea justissimus est (§. 231.), poten-

potentissimus (§. 220.) , et immutabilis (§. 158. 159.) ; quo quidem fit , ut poenam irrogaverit peccantibus , eamdemque ab ipsis certo et immutabiliter exigat . Cum itaque poena timenda sit , timendus quoque est Deus . Sed ut universim loquamur , sicuti Deus liberrime bona sua , ut felices simus beatique , nobis impertit , ita etiam liberrime eadem amovere a nobis potest . Quod quidem si demum efficeret , infelices essemus ac miserrimi . Igitur Deus timendus est . *Q. E. P.*

478. *Schol.* Timor filialis magis culpam quam poenam , servilis autem poenam magis quam culpam spectat : unde filialis nobilior procul dubio est ac purior . Nihilotamenminus etiam servilis est maxime utilis , praesertim quatenus aliquod bonum in societatem ex ipso dimanat : nam qui eodem percitur , leges servat . Perspicua haec sunt ac verissima . Attamen Mirabaud vel timorem rejiciendum esse vel amorem contendit (a) : timor enim , sua quidem sententia , cum amore pugnat manifestissime . Verum omnia imperite confundit hic Incredulus , ut dogmata omnia sacratissima evertat . Oportuisset timorem *filialem* a *servili* timore secernere . Hic quidem ab amore sejunctus est , non autem filialis , cum is quinimmo ab amore ipso nascatur (§. 477.) . An filius nequit amare patrem suum , si eum timore filiali veretur ; vel nequit filiali timore eumdem vereri , si ipsum amat ?

PROPOSITIO III.

Fides praestanda est Deo .

479. *Pr.* Deus est summe verax (§ 201.) . Itaque si constet , ipsum fuisse loquutum ; tum quaenam sint ejusdem verba ; ac postremo qualis sit perspicuus vel probatus horum verborum sensus ; quae quidem sunt totidem canones , quibus divina fides innititur (*Log.* §. 293.) ; dubitandum non est , quin vera sint , quae hac via nobis innotuerint , quamvis naturali ratione assequi eadem non possimus . Igitur fides praestanda est Deo . *Q. E. P.*

480. *Schol.* Haec nemo , qui Deum noverit , negare unquam potest . Quare Increduli ut evertant divinam fidem , docent , Deum vel rem ullam revelare non potuisse hominibus , vel saltem non revelasse . At primum illud stultissimum est , quasi nempe Deus nequeat ne rerum quidem naturalium notitiam hominibus communicare , quum homines ipsi hominibus

(a) *System. etc.* 2. *part. chap.* 10.

nibus aliis eamdem communicant. Alterum vero perfrictam frontem sapit: tot siquidem tamque splendida sunt existentiae divinae Revelationis argumenta, ut qui eam negant, caecutire vel in meridiana luce dicendi sint. Ceterum haec longa oratione versant christianae Religionis Apologistae ac vindices, ubi divinae Revelationis existentiam maximo rationum pondere adversus incredulos demonstrant.

PROPOSITIO IV.

In Deo spes nostra collocanda est.

481. *Pr.* Deus ut potentissimus equidem potest nobis bona sua elargiri et conservare; ut beneficus ac misericors constantem habet nobis benefaciendi voluntatem; ut fidelissimus nequit promissa non solvere; ut sanctissimus justissimusque non potest non rependere sicuti supplicium vitio, ita quoque virtuti promissum praemium. In ipso itaque omnis spes nostra collocanda est. *Q. E. P.*

PROPOSITIO V.

Exorandus est Deus.

482. *Pr.* Nos innumeris indigemus rebus bonisque, quae in Dei potestate sunt posita, quaeque sine Deo permittente agente conservante nobis comparare ac servare non possumus. Deus porro quoad actiones suas resque omnes *ad extra* est liberrimus (§. 209. *et seqq.*). Æquum est igitur, ut ipsum exoremus. Id usu venit, probatumque est etiam in humanis. Praeterea invocatio est obsequii nostri adversus Deum, nostraeque fiduciae argumentum, ac per ipsam protestamur, nos esse miseros, Deum autem bonorum omnium largitorem munificentissimum; tum ea, quae obtinemus, ab uno Deo nos recipere fatemur; tandemque animum excipiendis ejus donis praeparamus. Itaque exorandus est Deus. *Q. E. P.*

483. *Schol.* Adeo humanae conditioni consentanea est oratio et invocatio, ut non modo pii homines, sed etiam ii ipsi, qui se *spiritus fortes* jactitant, in calamitatibus potissimum subitisque periculis Deum invocent quodam naturæ impetu, manusque supplices atque oculos ad coelum attollant (§. 45.). Sed tamen eo processit quorundam impietas seu potius insania, ut orationem invocationemque nostram irrideant, esseque clamitent Deo injuriosam, vel plane inutilem, vel demum eo spectare, ut Deus naturale rerum systema invertat

per-

perturbetque. Deum precari, inquiunt (a), est ambigere de ejus omniscientia, quasi indigentias nostras ignoret; de ejus erga nos benevolentia, quasi homines non ita amet, ut per sese eisdem conferre velit sua beneficia; de ejus providentia, quasi nolit nobis sine nobis prospicere; tandemque de ejus immutabilitate, quasi, si quidem vota nostra aeternis ipsius decretis adversentur, eadem possit immutare, ut nostris precibus morem gerat: si enim consonant, cur, quaeso, exorandus est Deus? Equidem illud erit infallibiliter, quod decrevit ex aeternitate. Deinde inutilis persaepe est oratio: non enim semper, quae petimus, obtinemus. Immo ne obtinere quidem possumus; non raro siquidem contraria, velut serenitatem simul et pluviam diversi homines postulant, quae Deus efficere eodem tempore atque in eodem loco non potest (b). Tandem uti observat Rousseau (c), miracula patrare deberet Deus, si quidem hominum precibus annueret; nam ut aegrotus sanitatem (quod quidem de ceteris dictum sit) vi precum obtineat, nonne supponitur, quod sanitas ipsa obtineri per humana remedia non possit?

Hactenus impii homines, quorum deliria ac calumnias quis non detestetur? Non enim Deum precamur, quasi res nostras ignoret, aut beneficus non sit ac providus, bene vero invocatione nostra supremum protestamur ejus dominium, ceterosque quos superius indicavimus (§. 482.), exercemus actus et officia Religionis; quos quidem actus et officia jure a nobis exposcit Deus. Tum si omnia inexoratus nobis concederet, fieri sane posset, ut interdum quae uni ipsi referri debent accepta, nostris viribus caussisque secundis accepta referamus. Equidem immutabilia sunt Dei decreta; sed tamen non omnia, quamvis conditionem penitus excludunt. Scilicet, ad rem nostram quod pertinet, concedere vult Deus quaedam dona sua, ac concedit re ipsa, si tamen eadem petamus. Porro etiam orationis donum decrevit Deus. Itaque et hoc donum, et bona, quae vi precum impertitur, cum divinis decretis ex aeternitate editis omnino consentiunt, neque proinde vel minima apparet decretorum Dei immutatio.

(a) *Oeuvres de Freret tom. 4. Letrre 4. à Eugénie. Mirabaud systeme etc. part. 2. chap. 10. Boulenger la Christianisme dévolié.*

(b) *Auctor Dictionarii philosophici art.* Dieu.

(c) *Emile tom.* 3.

Neque inutiles sunt hominum preces, uti etiam paullo superius adnotavimus (§. 432.). Quod si ea interdum non obtinemus, quae petimus, id fortasse ex eo procedit, quod concessa nobis ipsis aut aliis nocerent, vel inverti deberet rerum ordo ac systema. Tum alia bona, quae non petimus, quaeque majoris utilitatis sunt, magisque rerum naturae consentanea impertit Deus. Postremo ipsa oratio est per sese maxima utilitas: bona quippe est, Deo grata, animum perficit, atque ideo si pro hac vita, vel spectata temporalium bonorum ratione inutilis esse videtur, inutilis tamen non est pro vita altera, aut ratione bonorum spiritualium, quibus maxime indigemus. Si porro diversi homines contraria interdum a Deo postulant, id vitium esse ad summum potest orantium, qui bona tantum sua ac sibi propria exoptant, non autem orationis. Hinc dum temporalia bona imploramus, humili animo conformatoque ad divinam voluntatem implorare eadem debemus. Ceterum Deus, qui novit quid expediat magis, concedit quae magis sapientiae suae ac providentiae consentanea sunt atque opportuna.

Neque demum semper miracula patrari oportet, ut preces nostrae effectum suum sortiantur. Deus enim sicuti preces hominum praestituit perviditque, ita etiam eum ex aeternitate stabilivit rerum ordinem, qui ipsis precibus responderet. Ceterum petimus a Deo, ut vel miracula patret, si quid id opportunum judicaverit; vel ut ea naturalia media nobis insinuet, quibus intentum finem assequamur; vel demum ut nobis eam patientiam virtutemque concedat, qua malis utamur bene, fructumque sempiternum ex ipsis capiamus. Haec innuisse sufficiat, ne a praestituta brevitate paullo recessisse videamur.

PROPOSITIO VI.

Grati animi sensus exhibendi sunt Deo.

484. *Pr.* Innumeris beneficiis perenniter nos cumulat Deus: ab ipso existentia nostra, motus, vita, conservatio, corporis animique dotes, verbo, omnia. Porro beneficia memorem animum gratumque postulant, uti vel ipsa natura rectusque ordo adeo exposcit, quod vitium maximum ac vituperatione dignissimum existimari penes omnes homines solent, gratitudinem; ut ajunt, iis, qui nobis benefecerint, non exibere. Itaque grati animi sensus exhibendi sunt Deo. *Q. E. P.*

PRO-

PROPOSITIO VII.

Deo agendae sunt gratiarum actiones.

485. *Pr.* Gratiarum actiones grati animi sensum testificantur; tum qui agit gratias, aliis beneficiis se dignum præbet et conservat. Cum itaque et grati animi sensus exhibendi sint Deo (§. 484.), et divinis aliis beneficiis perpetuo indigeamus; profecto eidem Deo agendae sunt gratiarum actiones. Q. E. P.

486. *Schol.* Neque porro summa Dei liberalitas vel minimum labefactatur. Non enim Deus gratiarum actiones a nobis exposcit vel jactantiae caussa, vel spe utilitatis suae, vel saltem delectatione aliqua, quemadmodum fieri plerumque ab hominibus solet; bene vero ut ipsum, sicuti par est omnium bonorum largitorem agnoscamus ac protestemur, eidem adhærescamus tenacius, in ipso collocemus spem nostram, majoraque et cumulatiora bona percipiamus. Quae quidem omnia maximam quinimmo ipsius Dei liberalitatem commendant.

PROPOSITIO VIII.

Omnimodum obsequium, obedientia, et servitus Deo debetur.

487. *Pr.* Infinita Dei majestas, dignitas, et perfectionum excellentia obsequium reverentiam ac veneratiouem a nobis exposcit, uti res loquitur per sese: *habet enim venerationem justam quidquid excellit*, inquit Tullius (a). Praeterea cum omnia Deus condiderit conservet moderetur, sitque iccirco supremum omnium rerum principium et caussa, summum quoque in res ipsas omnes jus habet ac dominium. Porro ex dominio ac jure obedientia ac servitus necessario consequuntur: dominus enim et servus, dominium et servitus sunt duo correlata, quorum proinde alterum sine altero ne intelligi quidem potest. Sane omnia si pendent a Deo, ad Deum quoque referri postulant suapte natura, eique subjici atque obtemperare. Quae cum sint, omnimodum obsequium, obedientia, et servitus Deo debetur. Q. E. P.

PROPOSITIO IX.

Deo debetur internus cultus.

488. *Pr.* Cultus internus in amoris, timoris, obsequii, similium actibus animi nostri situs est (§. 472. 473.). At vero

(a) *Lib.* 1. *de nat. deor. cap.* 17.

vero id genus actus exhibendi sunt Deo (§. 476. & *seqq.*); igitur Deo debetur internus cultus. *Q. E. P.*

489. *Schol.* Pauci quidem sunt, sunt tamen, qui eo impietatis stultitiaeque devenerunt, ut etiam internum nostrum erga Deum cultum penitus eliminare conarentur. Mittimus veteres Atheismi patronos, recentesque. Docet saepius laudatus Mirabaud (*a*), Deo, quamvis existere supponatur, nullum omnino cultum a nobis esse exhibendum. Idem sentire videtur de Voltaire, dum scribit (*b*), satis plane esse si dignoscamus *Deum*, easque sequamur rectitudinis leges, quas natura ipsa in nobis impressit, ac dictat ratio. Sed delirant.

PROPOSITIO X.

Cultus etiam externus Deo debetur.

490. *Pr.* Externus cultus postulat, ut in supremi divini in nos dominii, omnimodaeque nostrae a Deo dependentiae significationem per corporis inclinationes aliaque id genus signa exteriora internum cultum promamus. Atqui externa haec signa debentur Deo. Nam non minus animam ejusque facultates, quam corpus atque ejus vires actusque, tum ea omnia et singula, quae ad animae corporisque usum commodum felicitatemque pertinent, a Deo ipso accepimus. Æquum est igitur, quod ad subjectionis nostrae, amoris, grati animi sensus, et obsequii erga Deum significationem sicuti animam ita etiam corpus adhibeamus. Sane quidnam subditum est Deo? quis debitor? nonne totus, quantus est, homo? Anima itaque ea obstringitur lege, ut etiam proprio corpore in Dei honorem cultumque utatur, atque ideo cultus quoque externus Deo debetur. *Q. E. P.*

491. *Schol.* Hoc idem natura ipsa humana adeo insinuat, quod eidem vim inferri oporteat, ut laudata externa interni cultus signa saltem aliqua cohibeantur. Talis namque animam inter et corpus intercedit mutuus nexus, ut affectus omnes cum certa quadam praeternaturali sanguinis, spirituum animalium, corporisque vel ejus partium perturbatione necessario sint conjuncti (*Psychol.* §. 598.); quae quidem perturbatio esse vix potest, quin externas quasdam motiones causet mutationesque. Cum itaque internus cultus postulet actus affectusque

(*a*) *System. etc. part.* 2. *chap.* 10.

(*b*) *Poëme sur la Loi naturelle.*

affectusque amoris, obsequii, similium (§. 472.); ipso profecto naturae impetu ao genio compellimur, cultum aliquem externum Deo exhibere. Praeterea externus cultus pietatem fovet ac devotionem: unde Tullius, *illud bene dictum est*, inquit (*a*), *a Pythagora, doctissimo viro; tum maxime et pietatem et religionem versari in animis, cum rebus divinis operam daremus*. Accedit perpetuus et constans omnium nationum, nisi forte quaedam efferatiores ac brutinae potius quam humanae excipiendae sint; hac super re mos et consensus (*). Postremo adeo cognitio de Deo cum externo cultu, etiam Incredulorum sententia, conjungitur, ut ipsi nationes illas esse atheas existiment; penes quas nullus externus cultus exerceretur. Scilicet vel deneganda est, si ipsos audias, Dei existentia, vel cultus externus eidem Deo debetur.

492. Nihilo tamen minus quidam nostrorum temporum dum astruunt interni cultus necessitatem, cultum externum vel omnino rejiciunt; vel asserunt, exerceri ipsum oportere, non quidem quasi Deo debeatur; sed tantum ut aperta unius ejusdemque Religionis professione membra societatis in unum conjungerentur. Ita prae aliis omnibus scribit Panage (*b*). Sed errat quammaxime: licet enim externus cultus etiam ad societatis vinculum plurimum inserviat; ratio tamen praecipua, ob

(*a*) *Lib.* 2. *de Legibus cap.* 11.

(*b*) *Les Moeurs part.* 1. *art.* 1. *et* 2.

(*) *Interno tantum cultu Deum veneratos fuisse primos humani generis parentes, eosque celebratissimos viros, quos* Patriarchas *adpellamus, scribit Panage* (Les Moeurs 1. part. art. 1. *et* 2.). *At falso. Num praecepta diei septimae sanctificatio vel inani otio; vel unis interni cultus actibus absolvebatur? Quid de remedio dicemus, quo prisci illi homines noxam originalem expiabant? Nonne Cain et Abel sacrificia libabant Deo? quod quidem accepisse ab Adamo eorum parente ac magistro, verti in dubium jure non potest. Ceteros usque ad Noe Patriarchas, quorum insignis pietas ac Religio plurimum commendatur a Mose, eadem ratione sese erga Deum gessisse, nemo cordatus negabit, quamvis idem Moses compendium dumtaxat de eorum vita contexens nihil aperte de externa illorum, uno fortasse excepto Henos, Religione literis consignaverit.*

ob quam exerceri debet, sita est in ipsa natura hominis, qui totus atque ideo etiam quoad corpus a Deo dependet, ejusque est debitor. Quae quidem ratio cum in illo quoque homine, qui solus in terris hospitaretur, locum habeat; falsum praeterea apparet, quod docet idem Auctor, scilicet *hominem, qui solus in terris degeret, non teneri, Deo exhibere externum cultum*. Neque ipsi praesidio esse potest sententia, quam laudat, Christi Domini: *venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (a). Nam an Christus ipse non adorator verus, cum externis quoque signis precibusque coluerit Patrem suum atque exoraverit? Non itaque rejicit quemcumque externum cultum, sed tantum illum Judaeorum, qui aut hypocrisim sapiebat, aut abrogandus erat, futurusque nullius efficaciae, ac docet, novae legis cultum ex interiori animi pietate menteque pura et recta prodire debere.

PROPOSITIO XI.

Cultus externus potest esse, atque etiam interdum esse debet publicus.

493. *Pr.* Publicus externus cultus eo spectat, ut homines congregentur in unum, Deumque solemnibus ritibus caeremoniisque colant ac venerentur. Fieri id posse, nemo fortasse unus negaverit. Si enim privatus est per se bonus Deoque gratus, cur quaeso non item publicus, per quem officia nostra adversus ipsum propalam in hominum consortio solemniterque exsequimur? Sed etiam fieri interdum debere peraequum omnino est. Est namque Deus omnium hominum conditor, conservator, provisor, beneficentissimus pater ac largitor, cui proinde tamquam parenti optimo ac domino omnes ceu ejus familia servique subjicimur. Nonne igitur oportet, ut communibus votis precibus laudibus, aliisque Religionis actibus ipsum colamus exorémus revereamur? Id suadet quoque utilitas maxima, quae inde enascitur, vel quatenus Deus cultu publico collatisque precibus facilius ad largienda nobis beneficia sua movetur; quo quidem spectat illud Christi Domini (b): *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Vel quatenus alii etiam ad cultum Dei atque amorem excitantur validius; unde illud ejusdem

(a) *Jo. cap.* 4. *v.* 23.
(b) *Matth. cap.* 18. *v.* 20.

ejusdem Christi (*a*) : *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona; et glorificent Patrem vestrum* : plurimam enim vim habent et efficaciam aliorum exempla. Vel quatenus eo magis nos ipsos ad intimos pietatis sensus commovemus: nam per oblationes perspicimus, nos omnia a Deo habere; per solemnitates in memoriam revocantur vel quae pro nobis gessit Deus, vel quae gesserunt Sancti, ut et illi grati simus; et horum vestigia premamus. Plura alia eaque maxima bona, quae ex cultu publico enascuntur, mittimus, cum ea nemo unus ignoret. Addimus, cultum illum etiam ad civilis societatis bonum conferre: per ipsum enim religiosa quaedam necessitudo contrahitur, quae homines inter se amico jungit foedere, virtutesque sociales inspirat fovet conservat. Quae cum ita sint, cultus externus potest esse, atque etiam interdum esse debet publicus. *Q.E.P.*

494. *Schol.* Neque porro nobis obtrudant Increduli arbitrariam cultus publici institutionem, ex qua oritur tum ipsius cultus tum etiam Religionis alteratio; aut odium ac dissidia, quae ex cultus disparitate diversitateque quandoque inter populos exardescunt; aut demum illorum sive stultitiam sive malitiam, quae publico cultu contenti vel interno non vacant, vel plus meriti cultui publico quam interioribus moralibus virtutibus adscribunt. Quisque enim per se videt, id genus mala non procedere ex vero cultu publico; de quo loquimur, quique non a cujusvis arbitrio, sed vel a Deo ipso vel a legitima potestate statui debet et conservari, bene vero ex falso, quem reprobamus, aut ex hominum vitio malitia vel ignorantia.

PROPOSITIO XII.

Congruum omnino est, ut publicus externus cultus sit saltem quandoque magnificus.

495. *Pr.* Observat S. Thomas (*b*), ejusmodi esse hominum affectum, uti minus ea, quae communia sunt, et non distincta ab aliis, plus vero, quae majorem habent excellentiae discretionem admirentur ac revereantur. Hinc invaluit mos, ut Reges ac Principes, quos plurimum revereri oportet, pretiosioribus ornentur vestibus; ac pulchriores magnificentioresque habitationes possideant. Cum igitur eo prae-

(*a*) *Matth. cap.* 5. *v.* 16.
(*b*) 1. 2. *q.* 102. *art.* 4.

praecipue spectet exterior divinus cultus, quemadmodum observat idem S. Doctor, ut homines Deum revereantur; manifeste liquet, congruum plane esse, ut ipse saltem quandoque sit magnificus. Profecto homines praesertim, ut ajunt, simplices indoctique, quin et docti ipsi ita a natura comparati sunt, ut majorem admirationem concipiant existimationemque, ubi ornatus pompa solemnitas major splendidior magnificentiorque fuerit. Sensus enim externi hanc magnificentiae splendorisque ideam in animis altius imprimentes, parem quoque affectum parturiunt ac fovent. Hinc etiam ex cultu magnifico facilius ad Dei majestatem, qua nihil est grandius splendidiusque; veluti consurgunt ipsi homines, et ad supernam illam Civitatem cœlestem, quae est patria nostra, atque ideo eorum mens animusque, si sapiunt, a terrenis avelluntur rebus, atque ad cœlestes elevantur. Certe novimus, aliquem ex sanctis piisque viris, audita in Ecclesiis sacra harmonia, in exstasim raptum interdum fuisse. Veritatem, quam vindicamus, plurimum confirmant templa magnifica non jerosolimitanum modo, sed etiam illa, quae sub christianis Imperatoribus piisque Principibus excitata a patribus nostris fuerunt, locuplexque eorum supellex, ornatus magnificus, et augustus cultus. Itaque congruum omnino est, ut publicus externus cultus sit saltem quandoque magnificus. Q. E. P.

496. *Schol.* Mirum hinc est, quosdam nostrorum temporum sophistas, avarosque homines, qui certe neque ornatiora Principum palatia reprobant, neque quasdam in certis circumstantiis solemnitates pompasque splendidiores, contendere, templa, quae domus Dei sunt, humilia esse debere, vilesque ornatus, ei abjectum divinum cultum. Novimus equidem, quandoque abuti homines cultu magnifico ac celebriori ad luxum, vanitatem, pompam saeculi, ad contentiones quoque aemulationesque profanas. Sed quid inde? non enim hic est finis, quem spectant jure suo solemnitas et ornatus sacri. Nihil est tam justum tam bonum tamque sanctum, quo abuti in malum non possint scelesti homines. Neque etiam ii sumus, qui homines depauperari oportere asseramus, aut denegari debere miseris subsidia, ut publicus externus cultus sit magnificus. Suos habet limites religiosa devotio ac pietas. Impendatur divino cultui, quod in profano prodigitur.

Pro-

PROPOSITIO XIII.

Quivis cultus Deo exibendus esse debet cultus Latriae.

497. *Pr.* Cultus *Latriae* Deum venerari nihil est aliud quam summum ejusdem in nos, resque omnes creatas dominium ex animo profiteri, eique nos ac res nostras penitus subjicere. At Deus est omnium omnino rerum supremus dominus, resque ipsae omnes ab eodem dependent, suapteque proinde natura ipsi subjiciuntur. Igitur quivis cultus Deo exhibendus esse debet cultus Latriae. *Q. E. P.*

498. *Corol.* Latriae cultus seu *adoratio latreutica* nulli creaturae, quacumque excellentia perfectionis virtutisque praefulgeat, sed soli Deo exhiberi potest ac debet, cum solus Deus supremum habeat in res omnes creatas dominium, in quo laudatus cultus fundatur (§. 497.). Si tamen de cultu longe inferiori loquamur, possumus equidem Angelos sanctosque viros tamquam Dei amicos et servos religiose venerari.

499. *Schol.* Quemvis cultum esse denegandum Deo ex eo contendunt Increduli, quod vel sit superstitiosus, vel ipso Deo indignus, vel saltem inutilis. Superstitiosus quidem: superstitio namque est colere quod non cognoscitur, vel de quo peraequa non habetur in mente idea. Jam vero Deum non cognoscimus (*a*), vel saltem rectam de eodem ideam non habemus (*b*). Est quoque Deo indignus: esse enim non potest nisi finitus imperfectusque, Deus autem esse debet infinitus. Est tandem inutilis: et quidem Deo, cum sit per sese perfectissimus; hominibus autem, cum idem Deus sicuti ipsos sine ipsis condidit, ita etiam utpote naturae auctor tenetur eisdem sine eorum cultu media ad ipsorum vitam conservationem ac finem necessaria suppeditare.

Verum haec Incredulorum sophismata facile diluuntur. Hominum cultus est Deo dignus, si erroneus non fuerit atque indebitus. Neque enim Deus exposcit ab hominibus infinitum cultum, quem exhibere eidem non possunt, sed finitum, qui tum humanae tum divinae naturae sit consentaneus, neque proinde aliquid in Deo confingat, quod ab ejus natura et perfectionibus sit alienum. Hoc sensu dignus Deo est cultus licet finitus, quem Beati cum Christo in coelis regnantes ipsi Deo continue exhibent.

(*a*) *Lettre prem. à Eugénie: Oeuvres de Freret tom.* 4.
(*b*) *Mirabaud System. etc.* 2. *part. chap.* 10. *not.* 17.

Falsum porro est, nos Deum non cognoscere; et quamvis adaequatam de eodem ideam non habeamus, eam habemus tamen, qua possimus, ipsum velut rerum omnium dominum, patrem amantissimum, provisoremque agnoscere diligere venerari, ceterisque, quos hactenus demonstravimus, prosequi actibus Religionis.

Tandem cultus noster est quidem Deo inutilis, quatenus nihil omnino per ipsum eidem addimus, ac tantum externam ipsius gloriam magnificamus. Nobis tamen utilis quammaxime est, uti superius de invocatione praecibusque disserentes ostendimus (§. 483.). Ceterum non ex una utilitate nostra nascuntur memorata adversus Deum Religionis officia, sed potissimum ex ipsa rerum natura; unde quidquid sit de utilitate, quae ex divino cultu nobis proveniret; firmum sit oportet atque inconcussum, cultum ipsum Deo deberi.

PROPOSITIO XIV.

Deo debetur Religio.

500. *Pr.* Religio universim spectata est verus debitusque amoris, timoris, obsequii, similium cultus Deo exhibitus (§. 470.). At Deo debetur cultus tum internus cum externus, atque etiam quandoque publicus et magnificus (§. 488. *et seqq.*), et quidem cultus *Latriae* (§. 497.), qui Deo convenit (§. 498.). Igitur Deo debetur Religio. *Q. E. P.*

501. *Schol.* Si quae hucusque diximus, attente perspiciantur, constabit manifestissime, Religionem ex ipsa tum hominis tum Dei natura proficisci. Quippe Religionis fundamentum est realis ac necessaria, quae hominem inter ac Deum intercedit, relatio: nempe hic est creator, ille creatura, hic dominus, ille servus; hic princeps ille subditus, hic pater ille filius; hic donator, ille acceptor: hic creditor, ille debitor, ex quibus necessario consequitur, Deo deberi reverentiam, servitutem, obedientiam, amorem, grati animi sensus, gratiarum actiones aliosque id genus Religionis actus officia, de quibus hactenus disputavimus. Hinc mirum esse non debet, si Religio aliqua penes omnes omnino alicujus nominis populos semper constanterque viguerit.

PROPOSITIO XV.

Deus nequit homines a Religione absolvere.

502. *Pr.* Religio ex ipsa tum hominis tum Dei natura, seu ex reali ac necessaria hominis ad Deum relatione proficiscitur (§. 501.). Cum itaque Deus realem hanc relationem ac necessa-

cessariam evertere haud possit; uti per se liquet; nequit profecto homines a Religione absolvere. Q. E. P.

PROPOSITIO XVI.

Politichismus pugnat cum natura.

503. *Pr.* Politichismus, quem etiam *Macchiavellismum* & *Hobbesianismum* appellant, duo potissimum complectitur; alterum, Religionem non esse nisi politicum Legumlatorum commentum, quo homines in societate continerent; alterum vero, ipsam curandam non esse neque ea utendum, nisi quatenus ad temporale conferret Reipublicae bonum. Utrumque porro cum natura pugnat manifestissime. Religio siquidem ex ipsa natura hominis ac Dei, atque ex essentiali ipsius hominis ad Deum relatione ita proficiscitur (§. 501.), ut ne Deus quidem possit homines ab ipsa Religione absolvere (§. 502.). Non itaque est inventum hominum: quod enim fundatur in rerum natura, non ab hominum inventis commentisque, sed ab ipso naturae auctore procedit. Ex quo praeterea Religio ex essentiali hominis ad Deum relatione nascatur, necessario sequitur, quemlibet hominem, etiamsi solus in terris degeret (§. 492.), nullaque sive privata sive publica speranda esset utilitas, Religione ipsa obstringi: homo siquidem sive in societate fuerit sive non, tum sive bonum sperare ipsi liceat nec ne, laudatam habet ad Deum relationem. Absurdum est itaque asserere, Religionem neque curandam esse neque ea utendum, nisi quatenus ad temporale Reipublicae bonum conferret. Quare Politichismus pugnat cum natura. Q. E. P.

504 *Schol.* Praecipua tantum innuimus Politichismi capita, quem aperte docuerunt Nicolaus Macchiavellus (*), Thomas Hob-

(*) *Disputant eruditi, quo demum animo institutoque Opus suum, cui titulus* Il Principe, *scripserit Macchiavellus, an scilicet ut horrorem tyrannidi conciliaret, populosque excitaret ad libertatis conservationem* (Bayle Diction. etc. art. *Machiavel* Rem. C.); *an vero ut satiram contexeret, qua Tyrannis larvam detraheret, ac libertatis amatoribus exosum redderet eorum imperium* (Bruckerus Hist. crit. philos. Period. 3. part 2. tom 4. lib. 2. cap. 5. §. 7.); *an denique ut iniquas veterum praesertim Tyrannorum imperandi artes historico more ac velut narratione repraesen-*

Hobbesius, tum ac potissimum nonnulli alii nostrorum temporum Increduli, quorum nefarium systema, quod ex laudatis principiis magna saltem ex parte dimanat, huc demum redit: scilicet Principem nullo omnino obstringi Religionis vinculo, sed tantum subditos, et quidem non naturae ipsius vi, sed solum ex eorum praejudicio vel lege Civitatis. Imperantem simulare debere pietatem probitatemque, seu pium videri ac probum, atque ideo ejus Religionem esse non internam neque sinceram, sed externam tantum fucatam atque umbratilem. Item Principem esse quandoque oportere malum, moremque gerere depravationi irreligionique subditorum, quin etiam interdum agere contra *humanitatem*, *caritatem*, ac *Religionem* debere. Ipsum non teneri fidem servare, sed impune frangere eamdem posse. Esse in imperantium potestate, detrahere Religioni vel addere, quod ipsis videretur ad publicam felicitatem conferre. Absurda haec atque impiissima Politicorum dogmata recensuisse sufficiat. Nam apertissime ex hactenus demonstratis constat, omnes plane et singulos homines (§. 503.), atque ideo etiam Principes obstrictos esse Religionis, et quidem tum externae cum internae vinculo (§. 488.); nunquam idcirco ipsis licere esse malos, irreligionique subditorum, quantum ad eosdem attinet, morem gerere, aut agere contra humanitatem, caritatem, et Religionem, aut violare fidem, aut aliquid detrahere Religioni vel addere, cum, ut antea dicebamus (§. 502), ne Deus quidem possit homines ab eadem absolvere, et rerum natura constans sit et immutabilis, nec demum nisi ad sacram potestatem pertineat ea in Religionis negotio variare, quae ceteroqui variari pro temporum rerumque circumstantiis possunt. Cetera quae supersunt, suis in locis refellemus. Illud hoc loci animadvertisse juverit, quod id genus Politici dum suam, quae apud Deum stultitia est, prudentiam ostentant, non prosunt, sed quinimo officiunt etiam tem-

---

sentaret (Boccalini de' Ragguagli di Parnaso Centuria 1. Ragguaglio 89.). *Quidquid tamen sit, Macchiavellum vituperatione dignum jure merito existimant laudatus Bayle et Bruckerus, saltem quod non reprehenderit principia regulasque improbas, quas refert, nec praesenti veneno ullum omnino adjecerit antidotum.*

temporali Reipublicae felicitati . Nam haec eorum doctrina tyrannidem insinuat Principibus , et subditis rebellionem , uti etiam adnotarunt Puffendorfius *(a)* , Jo: Georgius le Franc Episcopus Podii *(b)* , Bergierius *(c)* , Petrus Bayle *(d)* , Jo: Fridericus Behrendt *(e)* , aliique permulti .

PROPOSITIO XVII.

Religio esse debet sincera .

505. ***Pr.*** Religio ejusmodi sit oportet ; ut per ipsam Deus colatur . At si sincera non fuerit , haud equidem per ipsam colitur Deus , sed potius irridetur , dum per externa signa pietas ficta simulataque ostentatur . Immo vero pietas ipsa sanctitas et Religio prorsus tolluntur . Praeclare Tullius *(e)* : *in specie autem fictae simulationis , sicut reliquae virtutes , ita pietas inesse non potest , cum qua simul et sanctitatem et religionem tolli necesse est .* Tum Religio internum cultum postulat (§. 488.) , quem Religio non sincera prorsus convelleret : non enim id genus Religio ex animo prodiret . Quapropter Religio esse debet sincera . *Q. E. P.*

506. *Corol.* Hinc apparet , quantum exsecrabilis sit *Hypocritismus* , qui & *Pharisaeismus* , seu error ille , quo hominem externis signis pietatem internam , quam non habet , ostentare posse suadetur : homo enim re ipsa careret Religione , quae potissimum ex animo procedit : irrideret quoque Deum , eique quasi insultaret : abuteretur praeterea Religione externa velut instrumento ad utilitatem suam ac voluptatem ; quod est species sacrilegii : alios etiam homines sub vana Religionis larva facilius deciperet mendacio putidissimo . Haec eadem adversus Politichismum militant , qui sinceram internamque non exigit saltem in imperante Religionem (§. 504.) . Est et altera Hypocritismi species . Putant quidam licere hominibus , veram Religionem ita simulare , ut dum eidem interne addicti sunt , alteram profiteantur externis signis , judaeique personam inter Judæos referant . Sed id quoque sinceritati adversatur , Religionem prodit , involvitque mendacium .

PRO-

(a) *Lib. 1. de officio hominis cap. 4. §. 9.*

(b) *Quaest. 5. de Incredulitate .*

(c) *Apologie de la Religion chretienne tom. 2. chap. 6. §. 2.*

(d) *Dict. etc. art.* Machiavel *Rem. E.*

(e) *Anti-macchiavellus .*

PROPOSITIO XVIII.

Religio, quae Deo debetur, vera sit oportet.

507. *Pr.* Ea Religio, quae in erroneo et falso cultu consistat, placere haud dubie non potest Deo: cum enim Deus sit summa veritas, nequit profecto quod falsum est et erroneum, quodque proinde eidem adversatur, approbare. Religio praeterea fundatur in reali essentialique hominis ad Deum relatione (§. 501.). Siculi igitur haec relatio est vera, ita quoque Religio, quae Deo debetur, vera sit oportet. *Q.E.P.*

508. *Schol.* Hoc uno theoremate plures Religiones convelluntur. Unam vel alteram prae ceteris nominamus; *etnicam* et *mahummedanam*, quarum illa multitudinem Deorum complectitur, milleque superstitionibus est conspurcata; haec autem altera animam hominis portionem esse divinae substantiae, fatalique necessitate regi docet. Universim eam Religionem rejiciendam esse dicimus, quae vel insinuat falsa dogmata, vel indebitum cultum praescribit: nam etiam id genus cultus esset falsus.

PROPOSITIO XIX.

Indifferentismus in Religionis negotio est omnino rejiciendus.

509. *Pr.* Indifferentismus in Religionis negotio eo spectat, ut velit, homines in qualibet sive pagana, sive mahummedana, sive haeretica, sive catholica, vel quavis alia Religione consequi posse sempiternam vitam ac felicitatem. Quod quidem quantum a veritate alienum sit, nemo profecto non videt. Nam diversae Religiones diversa, quin et pugnantia profitentur dogmata, quemadmodum ipsas expendenti manifeste constabit. Itaque una vel altera falsa sit oportet, et si una vera fuerit, ceterae sunt falsae. Quare si Deus æternum prœmium conferret hominibus, qui cuivis Religioni nomen dederint animumque, falsam sane Religionem adprobaret. Hoc autem de Deo, qui est summa veritas, cujusque Religio esse debet vera (§. 507.), vel cogitare nefas. Igitur Indifferentissimus in Religionis negotio est omnino reiiciendus. *Q. E. P.*

510. *Schol.* Profecto quis unquam in animum sibi induxerit, Deum, qui sanctissimus est atque infinitus, eos afficere sempiterno præmio, qui ipsam ejus divinitatem discerpserit velut in partes, atque in Jove incestuoso, in Mercurio rapaci, in Marte sanguinario, in Venere impudica, in Bellona

na discordiarum, bellorum, et rixarum protectrice, immo vero in arbore, in serpente, in bove, in cœpe etiam collocaverint? qui deos deasque fecerit vinolentos, helluones, iracundos, invidos, rixantes, malorumque facinorum suasores? qui in Divinitatis honorem vel mancipia immolaverint, ut Mexicani: vel patraverint infanticidia, ut Carthaginienses, et Chananæi; vel homines voraverint, uti Thraces, Hunni, et Phœnices; vel immunditiis profanaverint delubra, ut Peruani? Hæc quoad ethnicam Religionem, cujus superstitiosa falsa absurda ridicula impia quoque atque obscœna festa, ritus, sacrificia, vel pudet retulisse. Idem quoad ceteras, quæ falsæ sunt, dicamus oportet. Neque enim ullus sanae mentis sibi persuaserit, Deum accepta habere praemioque afficere, quæ divinae ejus naturae aut detraherent aliquid, quod ceteroqui eidem debetur, aut aliquid, quod ipsam plane dedecet, eidem adjudicarent. Nihilominus Indifferentismum docere videtur de Voltaire, dum scribit (a), Socratem, Aristidem, Solonem; Trajanum, Marcum Aurelium, ac Titum æternam salutem consecutos fuisse. Tum Rousseau (b), cujus judicio filius jure sequitur patris sui Religionem; unde homo esse licite potest, si ipsum audiamus, mahummedanus Constantinopoli, catholicus Romæ, judæus Amstelodami, Genevæ calvinista.

PROPOSITIO XX.

Vera Religio esse debet tum divinae cum humanae naturae consentanea.

511. *Pr.* Vera Religio enascitur ex essentiali, quae hominem inter et Deum intercedit, relatione (§. 501.). At realis haec necessaria et essentialis relatio in utriusque natura fundatur, sicuti perspicuum per se est, atque ideo debet tam Dei quam hominis naturae omnino congruere. Sane Deus est ordinatissimus, qui iccirco non potest nisi ordinatam Religionem praescribere. At hæc ordinata non esset, nisi foret utrique, divinae nimirum et humanae naturae consentanea. Postremo si vera Religio alicui Dei proprietati jurique adversaretur, Deus, cum eam Religionem praescribat, approbaret praeciperetque quod sibi contrarium est; hoc autem omnino repugnat. Sin autem adversaretur alicui proprietati hominis

(a) *Poëme sur la Loi naturelle.*
(b) *Lettre* 3.

minis ac juri, Deus praeciperet et approbaret quod eas ipsas proprietates, quas condidit, ac jura, quae concessit, destrueret; quod quidem esset manifestae pugnantiae genus. Quare vera Religio esse debet tum divinae cum humanae naturae consentanea. *Q. E. P.*

512. *Schol.* Ea ipsa necessitas, quae nos adigit, ut veram Religionem profiteamur, adigit quoque, ut tum Dei cum hominis naturam, proprietates, juraque accurate dignoscamus: aliter enim fieri quam facile posset, ut nostra Religio vel Dei vel hominum naturae adversetur, atque ideo non vera Religio sit, sed pura puta superstitio. Exemplo sint Ethnici (§. 510.). Oportet igitur, ut noverimus, Deum esse bonum, beneficum, omniscium, veracem, fidelissimum, immutabilem, liberrimum, infinitum, justum, sanctissimum, omnipotentem, supremum rerum omnium dominum, creatorem, conservatorem, provisoremque optimum. Tum hominis animum spiritualem esse, intelligentem, immortalem, liberum, felicitatemque et quidem perfectam æternamque appetere, atque ad eam tamquam ad suum peculiarem finem ultimum tendere; verbo, non minus Dei quam hominis attributa proprietates relationes nobis innotescant oportet, ex quibus in nos ipsos dimanant ea, quae praestare Deo debemus, officia Religionis.

PROPOSITIO XXI.

Vera Religio esse non potest neque privato homini, neque societati noxia.

513. *Pr. 1. pars.* Si vera Religio noxia esset privato homini, non equidem humanae naturae consentanea esset, sed quinimmo eidem adversaretur. At ipsa naturae humanae consentanea sit oportet (§. 511.): non itaque privato homini noxia est. *Q. E. 1. pars.*

514. *Pr. 2. pars.* Societas est humanae naturae consentanea, uti facili negotio concedent quique cordatiores (*). Sed vera

(*) *Deridendi potius sunt quam refellendi quidam veteres Philosophi, qui, uti scribit Lactantius (de vero cultu cap. 10.), stultissime commenti sunt homines, quos asserunt ex terra primitus natos, per sylvas camposque erraticam duxisse vitam, neque ullo antea inter se sermonis aut juris vinculo cohaesisse; quam a fortioribus animalibus laniati*

vera quoque Religio consentanea est naturae humanae (§. 511.): igitur etiam societati. Non esset autem societati consentanea, si eidem foret noxia. Tum si vera Religio societati noceret, noceret quoque homini privato: nemo enim ignorat, societatis bonum aut malum in bonum etiam aut malum privati hominis, qui est societatis pars ac membrum, dimanare. At vera Religio homini privato esse non potest noxia (§. 513.): igitur neque noxia est societati. *Q. E. 2. pars*.

515. *Corol.* Religiones omnes, quae vel humana sacrificia praescribunt, vel praecipiunt hominum sine ulla necessitate internecionem, vel prohibent utilia scientiarum studia, vel intellectum inficiunt fabulis ridiculisque traditionibus, vel applicant voluntatem falsis bonis, vel a summo bono eamdem avertunt, vel humanos effrenes affectus non moderantur, sed fovent, vel omnes ipsos affectus etiam bonos eradicant; brevius, quae hominum societatisque jura perfectionem veramque felicitatem ac finem ultimum violant, perturbant, labefactant evertunt, falsae sunt ac superstitiosae: sunt etenim sive privato homini, sive societati, sive demum utrique omnino noxiae.

516. *Schol.* Religionem tum privato homini, tum societati esse noxiam, effutiunt quidam nostrorum temporum nebulones Lucretium epicureum secuti (*a*). Privato quidem homini: is enim, inquiunt, vi dogmatum Religionis Deum timeat necesse est, ac sempiterna supplicia; suspicetur quoque, mortem esse posse acerbiorum miseriarum principium. Oportet etiam ut sit sollicitus anxiusque, ne in Deum peccet, tum ut ipsi fidelissime serviat, nihilque omittat eorum, quae perpetuo atque omnino ab eodem exigit Religio. Sin porro aliqua in re deliquerit, acerbissime torquetur conscientiae stimulis et excruciatur. Quae autem esse posset in tanto timo-

re et

(*a*) *Lib. 1. de nat. rerum v. 60. et seqq.*

laniati effugerent, aut laniari proximi periculum viderent suum, quod non possent nisi per societatem declinare. Scilicet negabant, homines a natura ipsa esse ad sociale vitae genus comparatos. Hunc errorem docet quoque Hobbesius (de cive cap. 1. §. 2.), *et Rousseau, qui aperte scribit, naturalem hominis statum esse sylvestrem, solitarium, ac* belluino similem (Discours sur l'origine et les fondemans de l'inegalité parmi les hommes).

re et suspicione, in tanta anxietate ac sollicitudine, in tantis ac tam diris conscientiae lacerationibus quies animi pax tranquillitas (*a*)? Tum seipsum affiictat, voluptates fugit, retundit inclinationes, quinimmo honores dignitates divitias vitam quoque ipsam profundere quandoque tenetur. Si sors est prospera, ea non fruitur; si adversa, mala malis accumulat.

Sed est etiam noxia societati. Nam si Religio ea fuerit, quae templis, altaribus, ritibus, et quovis alio careat externo cultu, quam Rousseau *Religionem hominis* adpellat (*b*); ipsa profecto nullam habet cum politico corpore relationem nexumque, immo vero sicuti a ceteris mundi rebus, ita quoque a corpore ipso politico civium animos avellit. Sin autem ea fuerit, quae ritus quidem habeat cultumque externum, tum peculiaria pro diversis populis numina deosque tutelares, sed tamen in qua haec omnia a civili potestate legibusque determinentur, quam vocat *Religionem Civis*; ipsa populum sanguinarium reddit et intolerantem, ita ut nihil aliud quam necem spiret ac caedem, sanctumque facinus diisque gratum putet, eos, qui sua numina respuit, mactare; quod quidem populum ipsum in quodam naturali belli adversus alios populos statu non sine maxima societatis perturbatione malisque constituit. Sin demum ea fuerit, quae aliud a Principe civili Caput seu Pontificem exigat, eumque veluti legislatorem ac judicem in iis, quae ad divinum cultum pertinent, agnoscat, quam nuncupat *Religionem Christiano-romanam*; ipsa cum homines duplici regimini, principi, patriaeque subjiciat, subjicit quoque contradictoriis officiis, efficitque, ut pietatis cultores simul et cives esse ipsi non possint. Addit Auctor anonymus (*c*), fieri haud equidem posse, quin diversae habeantur in terrarum orbe Religiones, uti etiam ex Historiis edocemur. Cum autem quamvis Religionem magno in pretio habeant, putentque esse summi momenti rem ii, qui eamdem profitentur, hinc zelus pro Religione propria, odium autem contra alienam, concertationes, simultates, discordiae; furores, seditiones, bella, cædes, aliaque id genus sexcenta mala, quae quantum societati sint noxia, nemo sane non videt. *Horret animus*, inquit Vol-

---

(*a*) *Mirabaud system. etc. part.* 2. *chap.* 5. *Le bon sens*.

(*b*) *Contract social liv.* 4. *chap.* 8.

(*c*) *Le militaire Philosophe chap.* 20.

Voltaire (a), *quum legimus, Christianam Ecclesiam semper suis laceratam fuisse concertationibus, ac per tot saecula vel eos ipsos effudisse sanguinem, qui Deum pacis gestant.*

517. Verum blaterent obgauniant exaggerent calumnientur, quantum ipsis libuerit, impii homines et irreligiosi. Nemo, opinor, est alicujus minervae, qui objecta tam grandia mala verae Religioni adscribat. Vetant praestitutae brevitatis leges, nos in rem hanc accuratius diligentiusque inquirere. Itaque pauca dicamus. Atque imprimis non ii sumus, qui velimus, homines religiosos in praesenti naturae corruptae statu esse vere felices. Immo vero miseri sunt, praesertim cum vi dogmatum verae Religionis dies noctesque pugnare adversus affectus effrenes, aeternaeque salutis infensissimos hostes debeant. Æquum propterea est, ut aliquid patiantur, cum et his malis sese subjecerint voluntate sua, et possint, si sapiunt, immensum gloriae pondus in coelis operari. Non enim docemus, quod stultum esset et absonum a veritate, Religionem suavitatem dulcedinemque temporalis hujus vitae in debitum virtutis praemium polliceri. Id sibi persuadeant, quamquam falso, qui nullam immortalem vitam sperant, unisque, velut bruta animantia, voluptatibus sensibilibus caducisque bonis contentos se esse profitentur. Æquo tamen nimium miserum hujus temporis religiosorum hominum statum exaggerant, demonstrantque, animalem hominem nescire quae sunt spiritus. Nam pii homines multis purisque caelestibus perfruuntur deliciis spe futurorum bonorum erecti (§. 415.); quo quidem fit, ut satis tranquilla sit eorum vita ac pacata: novimus enim, sicuti nullam esse impiis pacem, ita pacem multam esse diligentibus Deum. Quare pii homines si Deum si mortem si supplicia timent, hic ipse timor est *filialis*, qui amorem erga ipsum Deum complectitur (§. 477.), neque iccirco eos turbat redditque vere miseros, sed tantum ita cautos, ut et retrahantur a vitiis, et ad virtutis exercitium excitentur. Deus enim, mors, supplicia pertimescenda ab impiis sunt, non a justis, qui optime norunt, Deum esse patrem amantissimum, mortem sibi principium esse felicitatis sempiternae, supplicia demum non sibi esse parata. Sollicitudo et anxietas, qua curant servire Deo, dulcis est ac suavis Deum ipsum diligentibus: neque unquam laetiores sunt, quam

(a) *Le Seiécle de Louis XIV. chap.* 32.

quam quum magis ad exsequenda sancta opera feruntur. Da amantem, et scit quod dico. Si errant aliquando, excruciantur quidem conscientiae stimulis; sed eo ipso felices sunt, cum id donum Dei esse veniam pollicentis agnoscant. Si affli-ctant se se, si voluptates fugiunt, si retundunt inclinationes malas, si divitiis honoribus dignitatibus vel etiam vitae interdum oportet valedicere, aut nihil angoris sentiunt, cum terrena bona omnia odio habeant vel nihili pendant, aut saltem facili negotio tolerant quaevis mala erecti spe summorum bonorum, quae ipsis promittuntur in coelis. Neque vero omnino vetat Religio, quod homines praesentis vitae bonis ac sorte prospera licite atque honeste perfruantur. Quod si sors adversa sit, solamen efficacissimum eisdem praebet Religio, dum in mercedem tolerantiae sempiternam felicitatem ipsis pollicetur. Haec sufficere arbitramur. Nihilominus ut omnis via cavillandi praecludatur Adversariis, duplex agnoscendus est hominis status, *viae* ac *patriae*, quorum ille ad hunc alterum, qui est ultimus ipsius hominis finis, necessario refertur. Quare nisi demonstrent, Religionem a statu patriae seu immortalis felicitatis homines avocare (quod certe praestare non possunt), nunquam evincent, ipsam esse ac dici posse ulli homini privato noxiam.

518. Neque porro eadem vera Religio potest esse noxia societati. Falsum namque est, *Religionem hominis*, quamvis imperfecta sit, civium animos a politico corpore avellere: ipsa enim interna tantum supponitur ac privata, neque proinde per sese externa societatis jura evertit. Tum si vera fuerit, hominem adstringit, ut alios homines diligat saltem corde, atque ideo non eos odio haberet, neque aliquid contra societatem moliretur; quod quidem frenum non sane injicit Irreligio. Itaque quoad primum illud par esset Irreligio; quoad hoc alterum Religio Irreligioni praestat quammaxime. Ea *civis Religio*, quam describit Rousseau, nihil nobis facessit negotii: est enim falsa et superstitiosa. Ceterum saltem cives in unum cogit, continet in societate, ac mutua inter ipsos officia praescribit.

Ad Religionem *Cristiano-romanam* quod pertinet; falsum omnino est, ipsam societati nocere. Nam si duplex est legislatio, ac Princeps, duplex quoque est ejus objectum, *temporale et spirituale*, quorum unum uni, alterum vero alteri

ri respondet regimini, neque unum alteri adversatur, sed ambo inito velut foedere sunt mutuo adjumento. Dum civilis potestas Religionem tuetur ac protegit, Religio potestati civili mutuam vicem reddit, dum subditos magis magisque eidem adstringit. Si duplex est patria, *terrena et coelestis*, quid tum inde? Nihil profecto quod impediat, quominus homo dum coelum suspirat, civis quoque officia sedulo exsequatur. Immo vero id omnino praecipit christiana Religio; adeo ut nullus esset fidelior subditus civisque amantior, quam qui Religioni ipsi fideliter obtemperaret. Falsum est igitur, in Religione, de qua loquimur, contradictoria praescribi officia, hominemque esse simul non posse civem et pietatis cultorem. Veritatem hanc, quam vindicamus, Historia ipsa humana in tuto ponit, mirumque in modum illustrat.

Sed tamen, inquiunt, mala per Religionem in societatem non semel dimanarunt. Quid? deme inordinatum zelum, quem vetat sanctissima nostra Religio; effrenes cupiditates affectusque, quos ipsa compescit ac damnat; ipsius Religionis abusum, quem eadem detestatur, et nullum procul dubio erit malum, quod societatem perturbet. Quaenam quaeso et quanta est Incredulorum injustitia, ut Religioni attribuant, quae Religio ipsa exsecratur et probibet? Vera Religio odium praecipit in falsam Religionem, non in eos, qui ipsam profitentur. Haec brevissime innuisse sufficiat. Ceterum petimus ab Adversariis, num mala, quae adversus Religionem objiciuntur, nequaquam essent, pacatiorque foret atque felicior humana societas, si nulla esset Religio, sique sive atheismus sive deismus debaccharetur? Hoc problema, quod proponit Bayle, solutum pluries fuit a viris doctissimis ex principiis ipsis, quae tantus error involvit, et ex quibus enascitur. Sed nunc temporis solvi praeclarius posset invictissimeque ex tot illis Reipublicae perturbationibus malisque gravissimis, quibus affictatur tota fere Europa et exagitatur.

PROPOSITIO XXII.

Vera Religio non modo privato homini, sed etiam societati necessaria est atque utilis.

519. *Pr. 1. pars.* Vera Religio ex essentiali hominis ad Deum relatione proficiscitur, et quidem ita ut nemo absolvi ab eadem possit (§. 501. 502.). Homo praeterea assequi nequit finem ultimum sine ipsa Religione: cum enim eamdem praecipiat Deus, non equidem sempiternum praemium ac felici-

tatem

tatem, quae est hominis finis ultimus; iis elargitur, qui eam rejiciunt et aspernantur. Quod de privatis hominibus dicitur, dici etiam debet de societate: haec enim ex hominibus coalescit; eamdemque, quam privati quique homines, habet ad Deum essentialem relationem. Itaque vera Religio tum privato homini cum societati est necessaria. *Q. E.* 1. *pars.*

520. *Pr.* 2. *pars.* Sed est quoque utilis. Nam vera Religio esse debet naturae humanae, atque ideo etiam societati consentanea (§. 511.). Quod autem humanae naturae societatique consentaneum est, utile quoque eidem sit oportet. Deinde Deus nihil frustra molitur, nefasque est maximum vel cogitare, Deum summe beneficum, provisoremque sapientissimum aliquid nobis praecipere nisi animo benefaciendi. Cum itaque veram Religionem praescribat hominibus, vera ipsa Religio esse debet tum privato homini cum societati utilis. *Q. E.* 2. *pars.*

521. *Schol.* Haec universim. Sed operae pretium est, ut ad bona singularia, quae affert vera Religio, descendamus. Perficit hominum intellectum. Plures enim nobilissimasque de natura hominis, officiis, juribus; de Deo quoque, deque futuris ac sempiternis bonis aut malis cognitiones suppeditat, adeo ut innumeros errores putidissimosque, in quorum aliquos prolapsi sunt Philosophi etiam praestantissimi, ipsa dispulerit. Perficit quoque voluntatem; nam et eam retrahit a vitiis sive timore poenae, sive turpitudine peccati, sive amore in Deum, sive conscientiae stimulis quasi divina auctoritate in judicem erectae ac firmatae; et ad virtutem extimulat, non modo ipsius virtutis pulchritudine decore suavitate, sed etiam et quidem maxime spe aeternae perfectaeque felicitatis. Quid de animi tranquillitate dicam? Nihil est hujusce praesentis vitae, quod hominem religiosum jure perturbare unquam possit. Non adversi casus, cum probe noscat, omnia a Deo, patre amantissimo disponi et administrari in sui meritum, in sempiternum praemium, in bonum, seque esse sub tanti parentis tutela. Non pravarum voluptatum carentia, cum eas odio habeat, et voluptatem longe majorem sibi comparet in virtutis exercitatione. Non vitae hujus nostrae brevitas, cum alteram sempiternam vereque beatam speret ac suspiret. Non mors, cum eam non spectet nisi velut miseriarum terminum, principiumque coelestium bonorum. Non praesentia divini Judicis, cum ipsum laetus sustineat,

neat, ab eoque debitam gloriae retributionem et justitiae coronam expectet. Testes appello quotquot vere pii sunt. Itane vero homines irreligiosi? Dixisse sufficiat, asserere vel ipsum Mirabaud, hoc unum eisdem superesse in acerbis angustiis malisque extremis crudele solatium ac levamen, scilicet *suicidium* (*a*): nempe adeo tracti essent victique diris angoribus animique molestiis, ut in desperationem acti seipsos vel contra ipsum naturae institutum interimerent.

Sed nonnulla etiam bona, quae in societatem ex vera Religione promanant, exponamus. Profecto si homines religiosi cognitionibus illustrantur, si retrahuntur a vitiis, si ad virtutem comparantur, si tranquilli si pacati sunt, quaenam quaeso societas aut Respublica felicior perfectior aut beatior esse unquam posset? Princeps sbditos velut filios diligeret eisque opportune provideret; subditi Principem ceu patrem suspicerent ac venerarentur. Justitia in foro, aequitas in contractibus, in opulentia liberalitas, fidelitas in conjugiis. Nullum furtum, fraus nulla, nulla violentia. Procul calumniae, insidiae, rixae, rebelliones, discordiae, simultates. Ubique pax, ubique amor, ubique tranquillitas. Nemo invideret, nemo superbiret, nemo irasceretur. Infinitus essem, si vellem bona omnia, quae societati reique publicae suppeditat vera Religio, vel cursim dinumerare. Praeclare Eminentissimus de Polignac (*b*);

Ex illa siquidem venit observantia natis
In patres, famulis in heros, et civibus omnes
In rerum dominos: dominis venit ille vicissim
In cives amor, unde quies, ac firma potestas.
Quisquis enim vere supremum Numen adorat,
Sentit se patrem populi per mutua vincti,
Officia: hinc alios proprium si vertat in usum,
Se deberi aliis . . . . . .

Quam sancta est societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum judicibus tum testibus (*c*)! Insignis est Puffendorfii locus (*d*), ubi probat, Religionem esse firmis-

---

(*a*) *System. etc. part.* 1. *chap.* 14.
(*b*) *Anti-lucr. lib.* 2.
(*c*) *Cicero de Legibus lib.* 2. *cap.* 7.
(*d*) *De Offic. hominis cap.* 4. §. 9.

missimum societatis vinculum . At vero si nulla sit Religio, quae et quanta mala non inde sequuntur?

. . . . . . Vestro sed dogmate contra
Nil tutum superest: regnat pro jure libido.
Ipsa cadit virtus, nativaque destruitur lex,
Quam qui non audit, se tigribus, atque leœnis
Æquat, et humani cœtus convincitur hostis.
Omnia namque ad se referens, se cogitat unum
Vivere, quum vivat multis e millibus unus.
Centrum se mundi, rerum caput, atque tyrannum
Fingit; et ipse suo, quae non sunt subdita, subdit
Imperio; pariterque volens et peccat, et errat.
Hinc natae, stygio tanquam de gurgite, voces,
Non dicto, non officio; pactisque ligari
Prudentem, sed temporibus servire paratum:
Regnandi caussa violari posse sacrum jus:
Nec parcendum illi, quem læseris. Impia sane
Dogmata, corruptæ praecepta nefaria Sectae! (*)

Novimus equidem, Irreligionis patronos dictare, valida non deesse etiam sine Religione media, puta nativum virtutis amorem ac præmium, pacem cordis, bonæ famae laudis atque honoris desiderium, vitii turpitudinem ac vituperationem, leges civiles, conscientiæ stimulos, timorem infamiae ac pœnae, aliaque id genus plura, quibus excitetur virtus, et vitium procul arceatur. Verum imprimis media isthaec sine Religione vana sunt verba et jactantia Incredulorum; vel saltem tantam vim non habent, ut homines, qui vel Deum non agnoscunt, vel nihil Religionis, scilicet obsequii, amoris, timoris, servitutis, similium eidem deberi autumant, ita

(*) *Damna, quae ex Irreligione et deismo in societatem irreperent, videsis apud Nicolaum Spedalieri* (De' diritti dell' uomo lib. 3. et 4.). *Sine pietate et Religione perturbantur omnia, ac nutat ipsa societas*. Quibus (*pietate nimirum ac Religione*) sublatis; *inquit Tullius* (lib. 1. de nat. deor. cap. 2.), perturbatio vitae sequitur et magna confusio. Atque haud scio, an, pietate adversus Deos sublata, fides etiam et societas humani generis et una excellentissima virtus, justitia, tollatur. *Et Plato*: omnis societatis fundamentum convellit, qui Religionem convellit (lib. 10. de Legibus.).

ita contineant, ut ipsi praesentes effrenesque affectus et cupiditates compescant, aut sinceras virtutes profiteantur, in iisque sese exerceant, quemadmodum præ ceteris nuperrime demonstravit Cl. Nicolaus Spedalieri (*a*). Hinc Psalmista (*b*), *non est Deus in conspectu ejus: inquinatae sunt viae illius in omni tempore*. Ad minus negare non possunt Adversarii, veram Religionem laudata media non respuere, sed quinimmo vim novam ac firmitatem eisdem adjicere; tum alia plura eaque validissima hominibus suppeditare: quo quidem fit, ut ejusdem utilitas negari ne ab ipsis quidem possit Incredulis. Quod si in vera etiam Religione quidam male vivunt, id non vitium est Religionis, sed hominum, qui Religionis instituta non exsequuntur, neque utuntur mediis, quae ipsa abunde suppeditat. Tum nonne multo sane pejus viverent sine Religione?

Nam si dum Superos tremimus, dum fulmen Olympi,
Terribilesque minas, iramque Tonantis, et Orci
Supplicia, aeternosque Erebi exhorrescimus ignes,
Peccamus tamen, ac terras scelera omnia mergunt:
Quid si vindictae nullus timor? Undique coedes,
Undique flagitia, atque hominem natum esse pigeret (*c*).

Sane corruptissimis fuisse atque etiam nunc esse moribus certo scimus, qui frenum Religionis excussissent. Neque vero est, cur Petrus Bayle (*d*) quorumdam Atheorum ac potissimum Epicuri virtutem vitaeque probitatem commendet. Nam haec probitas vel nulla fuit, vel plane inanis. Illud certo novimus, ex ejus schola infandam prodiisse apud Græcos Romanosque corruptionem morum ac pravitatem.

PROPOSITIO XXIII.

Religio neque ex Legumlatorum astutia, neque ex metu, neque demum ex hominum ignorantia orta primum est.

522. *Pr.* Idea Religionis adeo cum Dei notitia conjuncta est, ut qui Deum agnoscunt, Deum etiam esse colendum, adorandum, timendum necessario fateantur oporteat. Sane nimium

(*a*) *De' diritti dell' uomo lib.* 2.

(*b*) *Ps.* 9. *v.* 26.

(*c*) *Anti-lucr. lib.* 1. *v.* 518.

(*d*) *Eclaircissement sur les Athées. Pensées diverses* §. 579.

nimium arcta est ac perspicua hominum ad Deum relatio, ex qua officia Religionis suapte natura consequuntur. At notitia de Deo neque ex Legumlatorum astutia, neque ex metu, neque tandem ex hominum ignorantia orta primum fuit (§. 48. 49. 50.). Ergo ne ipsa quidem Religio, *Q. E. P.*

CAPUT II.

De Religione Naturali.

523. *Def. Naturalis Religio* ea esse dicitur, quae cognosci recta naturali ratione ab hominibus potest.

524. *Schol.* In eo a *Revelata* discriminatur, quod haec naturali multo latior sublimior perfectior ad eas quoque veritates ac praecepta sese extendat, quae supra rationem sunt, quaeque propterea cognosci a nobis nequeunt, nisi speciali quodam modo hominibus a Deo revelentur. De una naturali Religione hoc loci disputamus.

PROPOSITIO I.

Existit Naturalis Religio.

525. *Pr.* Homo recta ratione naturali eam intelligit essentialem sui ipsius ad Deum relationem, ex qua sponte velut sua ac necessario Religio ipsa (§. 501.), tum aliqua ejusdem officia proficiscuntur, uti superius demonstravimus. Itaque fieri nequit, quin Religio aliqua penes homines vigeat. Quod quidem edeo verum est, ut *facilius esse* scripserit Plutarchus, *gentem sine sole reperiri quam sine Deo et religione*. Cum porro Religio haec duce ratione habeatur, est ac dici debet naturalis (§. 523.). Existit igitur naturalis Religio. *Q. E. P.*

PROPOSITIO II.

Religio Naturalis Deum habet sui auctorem.

526. *Pr.* Deus est sicuti naturae hominis, ita etiam essentialis ejusdem ad seipsum relationis, tum rectae rationis humanae supremus auctor. Igitur auctor quoque sit oportet eorum, quae ex relatione illa rationeque necessario procedunt; quod enim, ut loquuntur Scholæ, est caussa caussæ, est etiam caussa caussati (*Ontol.* §. 271.). Sed naturalis Religio necessario procedit ex laudata relatione rectaque ratione humana (§. 525.). Igitur Deum habet sui auctorem *Q. E. P.*

PRO-

PROPOSITIO III.

Naturalis Religio est vera.

527. *Pr.* Quod docet recta ratio, verum sit oportet: ipsa namque est semper constanterque cum veritate conjuncta (*Psychol.* § 392.). Porro Religio naturalis a recta ipsa ratione edocetur (§. 523.): ergo est vera. *Q. E. P.*

528. *Schol.* Ex quo naturalis Religio ex essentiali hominis ad Deum relatione procedat. Deum habeat sui auctorem, ac vera sit, facile intelligitur, ipsam esse tum divinae cum humanae naturae consentaneam, non esse neque privato homini neque societati noxiam, immo vero necessariam esse atque utilem, nec demum ortam fuisse ex Legumlatorum astutia, aut metu, aut hominum ignorantia, quemadmodum de vera Religione universim spectata paullo superius dicebamus. Illud dicendum hoc loci superest, definiendumque, an nempe haec ipsa naturalis Religio adeo perfecta sit, ut sine Revelata ad verum ac debitum adversus Deum cultum felicitatisque consecutionem omnino sufficiat? Non defuerunt neque desunt modo, qui id sibi persuadeant, vel saltem sibi persuadere videantur. Hos inter eminent Tindal, Rousseau (*a*), de Voltaire (*b*), aliique id genus non minus minuti quam audaces Philosophi. Hic error *Naturalismus*, qui vero eumdem tuentur, *Naturalistae* adpellantur. Quidam hunc errorem cum *Deismo* confundunt. At cum postremus hic error divinam providentiam, quae praecipuum est cujusvis Religionis fundamentum, e medio tollat (§. 408.), tollere quoque videtur etiam ipsam Religionem, quam ceteroqui saltem voce tenus astruit Naturalismus. Voce, inquam, tenus: puto enim Deismum ac Naturalismum non modo facile affines inter se re ipsa esse, verum etiam utrumque in Atheismum tandem degenerare. Saltem id consequens esse videtur, si quidem laudati Philosophi vellent sibi proprioque systemati cohaerere. Quidquid tamen hac de re sit, praesentis nostri instituti est, ut memorata controversia, quae magni momenti est, definiatur.

PRO-

(*a*) *Catéchisme de l' honnete homme.*
(*b*) *Henriade.*

PROPOSITIO IV.

Sola Naturalis Religio non est ita perfecta, ut hominibus plane sufficiat.

529. *Pr.* Perfecta Religio tria potissimum rerum genera necessario complectitur, scilicet sublimes quasdam de mente nostra deque Deo veritates, externum cultum, et naturae præcepta. At naturalis Religio ad haec omnia et singula non plane sufficit. Et ad primum quod pertinet, brevis equidem est humana ratio, sibique comparare vel nonnisi difficillime vel etiam nullatenus potest eas omnes veritates, quas ceteroqui exposcit perfecta Religio. Quis enim, una naturali ratione duce, perspecte noverit, quinam et qualis fuerint primaevus hominis status, qui ortus, quae conditio, qui finis, qui casus, quod remedium? Nam cecidisse humanum genus conjectarunt quoque licet subobscure nonnulli ethnici Philosophi (§. 118.); sed tamen quodnam esset pro tanto malo remedium, ne unus quidem subodoratus est, neque ullo modo conjectare poterat, cum secundus Adam Christus Dominus, qui primi Adami casum reparavit, naturalem rationem omnino fugiat. Interim necesse fuit, ut homo non minus propriam miseriam, quam remedium agnosceret. Nam si suam miseriam non novisset, superbiret; si, cognita miseria, non novisset remedium, desperaret. Quid porro de mentis humanae origine, natura ac fine dicemus? Nonne vel ipsos Philosophos plures his super rebus errores docuisse scimus ex philosophica historia, quam sparsim in Psychologia tradidimus? Nec minus erraruut quoad Dei naturam et attributa ex quibus quaedam Religionis officia derivantur: *qui Deos esse dixerunt*, inquit Tullius (*a*), *tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias*; ex quo colligitur, plures errasse, cum veritas veritati adversari minime possit. Perspectum id habemus ex iis, quae hactenus de Deo disseruimus, sique Gentilium theologiam sive *poeticam* sive *civilem* sive etiam *philosophicam* consulamus. Testis praeterea est luculentissimus immanis illa superstitionum colluvies, quae olim totum fere terrarum orbem occupavit; ex ea enim orta potissimum est, quod homines sibi repraesentarent Deum, non qualis in se est, sed qualem sibi con-

(*a*) *Lib. 1. de nat Deor. cap. 1.*

confingebant, plane monstruosum. Itaque humana ratio ad veritatum de mente nostra ac de Deo cognitionem, ex qua dimanat perfecta Religio, plane non sufficit.

530. Sed ne sufficit quidem ad externum cultum, quem vera Religio exposcit (§. 490.). Ipsum Deo deberi, scitu quam facile est, unde nulla gens fuit, natio nulla, nullus populus alicujus nominis, qui cultu aliquo exteriori Deum non veneraretur. At qui ritus, quae ceraemoniae dignae essent Deo eique placerent, quis unquam una naturali ratione assequi potuit, certoque affirmare? Sane cum Religio esse debeat naturae divinae consentanea (511.); aliunde vero haec ipsa divina natura solius naturalis rationis ductu cognosci, uti par erat, non potuerit; mirum esse non debet, si ne cultus quidem externus debitus semper fuerit ac verus. Hinc tam diversi apud diversos populos ritus, nec semel sibi invicem contrarii, falsi, perridiculi, superstitiosi. Sed disseramus hac de re paullo fusius. Ad externum cultum prae ceteris attinent imagines, caeremoniae, festa, sacrificia. Sed quid non obscoenum, non turpe, non flagitiosum, non truculentum etiam ac crudele nobis exhibet eorum cultus, qui unam naturalem rationem in Religionis negotio sequuti fuerunt? Quis enim vel immodestus Veneris, Priapi, aliorumque deorum atque dearum impudentissimas imagines sine pudore aliquo intueatur? quis nesciat, cultas publice fuisse Leaenam ab Atheniensibus, Lupam, Faulam, et Floram a Romanis, quae fuerunt Lupanaris magistrae (a); et Spartae ali magno sumptu in honorem Veneris meretrices consuevisse, quae infami huic numini sacra facerent? quis nefandam mysteriorum Eleusinorum, Orphicorum, ac Dianae obscoenitatem non exsequeretur? vel quem non pudeat *floralia*, *bacchanalia*, festaque in Priapi cultum celebrata describere? Quid porro de sacrificiis? Mittimus falsas, perridiculas, aniles quoque puerilesque superstitiones: plusquam triginta nationes recenset Eusebius (b), quae Religionis caussa homines immolabant. Neque vero ii, qui sapientiores videbantur, ab his aut similibus erant omnino alieni. Quis non miretur, Solonem prostitutae Veneri seu impudico amori templum Athenis dedicasse? Platonem velut licitam permisisse in Bacchi

(a) *Lactantius lib.* 1. *divin. Instit. cap.* 20.
(b) *Praepar. evangel.*

rhi festis ebrietatem? Lascivas imagines, quae deos deasque referrent, approbasse Aristotelem? Tullium ipsum (*a*), et Epictetum (*b*) docuisse, patrios Deos esse colendos? Nemo autem quae commemoravimus, uni priscorum temporum conditioni adscribat. Non plane dissimilia nunc etiam vigent penes eos populos, qui unam naturalem rationem in Religionis negotio sequuntur. In Insulis Philippinis, si fides viatoribus, sacerdotes sunt feminae, quae nudae sacra faciunt, uti mos erat in Floraribus, et eae, quae ad orientales Indos, Tartarosque pertinent, sese in deorum cultum publice prostituunt. Nasingae in India abscissa carnis suae frusta, et qui hospitantur in Insula Ceylon, Mexico, Perù, Terra Firma, et Virginia homines diis sacrificant.

Sed haec mittamus, de quibus erudita et copiose Antonius Genuensis (*c*). Aliud argumenti genus expendamus. Homines peccare in Deum, hunc autem expetere ab eisdem expiationem, facile quisque per sese dignoscit. Sed quomodo expientur scelera, divina placetur justitia, in offensi patris vindicisque gratiam redeamus, quis unquam per sese novisset? Veteres quidam Philosophi cum summam Dei misericordiam bonitatemque cognoscerent, sibi persuadebant, aliquod esse medium quo cum ipso reconciliarentur. Sed quodnam esset et quale, vel ignorabant penitus, vel saltem tuto affirmare non audebant. Certe nationes videntur in id consensisse, ut externa potissimum signa ad id operis adhiberent. Verum sive una interna retractatione veniam se consecuturos putarent sive externis signis, nunquam tamen pro explorato habere potuerunt, an Deus iis mediis ignosceret, sed tantum quaedam eluxisset congruentia. Itaque dubia ad minus esse debuisset delictorum venia, praesertim cum si naturalis ratio docet Deum esse bonum clementem misericordem, doceat quoque esse summe justum. Ritibus et sacrificiis, quae *placamina*, *februa*, *piamina* appellantur, usi sunt Gentiles. Ad quid tamen? Virtus sacrificiorum, quibus utebantur Hebraei, vim desumebat suam ex firma in Christum venturum fide, quae esse in hominibus per solam naturalem rationem sane non poterat. Hinc vel ipsi Ethnici acutiores, ac prae ceteris Ovidius

(*a*) *Lib.* 2. *de Leg. cap.* 8.
(*b*) *Cap.* 38.
(*c*) *Elem. Met. part* 2. *cap.* 7.

dius (*a*), et Plautus (*b*) id genus expiationes irridebant; immo vero detestari debuissent. Mittimus vanas ac superstitiosas corporis ablutiones, de quibus Euripides, et laudatus Ovidius; certe impium est, Deum placare vel ludis scenicis, quorum meminit Livius (*c*); vel mysteriorum Eleusinorum, Orphicorum, ac Dianae obscoenitatibus, de quibus paullo superius; vel Gladiatorum internecione, uti scribit Prudentius (*d*); vel humanis sacrificiis, quod testatur Virgilius (*e*), aliisve id genus sive ritibus, sive donis, sive hostiis, quibus nova potius crimina eaque atrociora patrabantur. Quo quidem solam naturalem rationem ad verum debitumque externum erga Deum cultum non omnino sufficere, manifeste perspicitur.

531. Ad naturae praecepta quod attinet, fatemur equidem, facile quidem negotio ea, quae *primaria* sunt, vel quae proxime ex ipsis sequuntur, dignosci potuisse. At non ita facile, quae a primariis illis deducuntur; unde plures invaluisse errores ad Ethicam naturalem pertinentes, ex Historiis compertum habemus. Mittimus crudeles illas leges, quae apud barbaras tum veteres cum recentes nationes viguerunt olim ac modo etiam vigent: innuisse sufficiat, vel illos, qui sapientes videbantur et acuti Philosophi, quaedam docuisse, quae profecto nemo non exsecraretur. Plato, cujus convivia in nefandis etiam amoribus consumebantur, ut scribit Philo (*f*), voluit, mulierem plures et communes viros habere (*g*): praepediendam esse superfluam filiorum copiam, eosque propterea aut abortu, aut jam natos inedia interimendos (*h*): Principibus, Magistratibus, tum etiam cuique privato contra inimicos mentiri licere (*i*). Jussit Lycurgus, infantes debiliores ac malesanos esse in foveam, quae *Apothetes* dicebatur

(*a*) *Lib.* 2. *Fastor. v.* 45.
(*b*) *In Rudent. Prolog.*
(*c*) *Dec.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2.
(*d*) *Lib.* 1. *cont. Symmachum.*
(*e*) *Lib.* 2. *Ænead.*
(*f*) *De vita contemplatrice.*
(*g*) *Lib.* 4. *de Republ.*
(*h*) *Ibid. lib.* 5.
(*i*) *Ibid. lib.* 2. *et* 3.

batur, praecipitandos, ut in eadem perirent (*a*); permisit quoque, virgines summa inverecundia educari (*b*), et uxorum communionem (*c*). Solon cuivis civi jus fecit occidendi sine ulla publici judicii forma eos, qui aliquam in regimine mutationem molirentur, civesque exilio mulctandos decrevit, qui vel virtute vel existimatione vel divitiis supereminerent.

Sed nihil luculentius humanae rationis in Religionis negotio imbecillitatem vanitatemque ostendit, quam ii ipsi nostrorum temporum Deistae ac Naturalistae, qui eamdem summis laudibus commendant atque exornant. Quid enim falsi impii absurdique non docent non minus de Deo, de anima, de Religione, quam de lege naturali, idque post tam praeclara scientiarum lumina, post tot de erroribus triumphos, atque etiam forte post quam ipsi in vera divinaque Religione instituti egregie fuerunt? quod certe mirandum esset maxime, nisi nos doceret divina ipsa ratio, Deum, quem cognoverant quidem, sed non, uti oportebat, glorificaverunt, in poenam tanti sceleris permisisse, ut in suis cogitationibus evanescerent, atque in meridiana etiam luce caecutirent. Quae cum sint, sola naturalis Religio non est ita perfecta, ut hominibus plane sufficiat. *Q. E. P.* (*)

532. *Schol.* Aliud argumenti genus illudque pressius addi potest, quod egregie versat S. Thomas (*d*). Deus cum ne possit quidem homines a Religione absolvere (§. 502.), jure exigit, ut omnes omnino, et quidem in cujusvis aetatis usum rationis adeptae differentia veram perfectamque, quae scilicet nullos admistos errores habeat, cum ipsa vera sit oporteat (§. 507.), profiteantur Religionem, ejusque ad amussim exsequantur. At porro rationem naturalem, ex qua Naturalis Religio enascitur, praestare haec omnia non posse, facile demonstramus. Principio nemo unus negaverit. Religionem

---

(*a*) *Plutarchus in Lycurgo*.

(*a*) *Idem loco citato*.

(*c*) *Idem loco citato*.

(*d*) *Lib. 1. cont. Gent. cap. 4.*

(*) *Veritatem hanc agnovit etiam Plato scribens* (in Epinomide); *docere eam* (*pietatem*) *neminem posse, nisi Deus quasi dux et magister præiverit*. *Hoc idem alibi confirmat. Socratem hac super re loquentem inducens* (in Phædone, & in Alcibiade.).

gionem naturalem plures veritates necessario complecti (§. 512. quae, seclusa Revelatione, comparari nisi studio, ratiocinatione, judicio acri, perspicaci ingenio, ac labore indefesso a nobis non possunt. At haecne in vulgo, in feminis, in omnibus, quorum plerique vel hebetes sunt, vel morbis infecti, vel domesticis distenti curis, vel manuum operibus destinati, vel officiis publicis negotiisque impliciti, vel aliis id genus impedimentis adeo praepediti, ut ne perspicuiores quidem naturales veritates perdiscere eo possit modo, quem praescribit Philosophia, quoque idonei sint paratique, saltem sibimetipsis rationem de illis veritatibus reddere? Quae cum sint, nonnisi paucissimis concessum esset, callere naturalem, quae Deo debetur, Religionem, et quidem post longum tempus: nemo enim ignorat, perfectam de eadem cognitionem et profundam esse et multa praerequirere, et longam exercitationem, postulare. Tandem hanc Religionem, quae una naturali ratione comparanda esset, plurimam admistam habere ignorantiam putidosque errores, ex superius dictis facile quisque perspiciet. Non itaque sufficit, ut omnes homines, quovis tempore, ac sine ulla errorum mistione Deum colant, uti par est, ac venerentur.

533. Sed inquit Tindal, naturalis Religio Deum habet sui auctorem (§. 526.), Nequit igitur non esse perfecta. Sin minus, non utique hominibus providisset Deus, cum non eam Religionem ipsis dedisset, quae necessaria esset, ut iidem homines assequi possent praestitutum finem, quod quidem vel cogitare nefas. In æternis quoque et immutabilibus rerum essentiis fundatur laudata Religio, quae propterea immutabilis, atque ideo sicuti ab initio, ita etiam nunc temporis sufficiens sit oportet.

Sane, addunt alii, tot illi, qui praecesserunt Mosis Legem, viri piissimi sanctissimique una naturali Religione ducebantur.

Verum ut omnis difficultas hac super re tollatur, alii adesse contendunt aptissimum medium, quo naturalis Religio reddatur et plane sufficiens, et omnibus omnino hominibus cujusvis ætatis conditionis ac status accomodata. Negari non potest, plures doctissimosque Philosophos, Platonem, Aristotelem, Epictetum, Plutarchum, Tullium, Senecam, Marcum Antonium, aliosque, una duce ratione, purissima ac sanctissima tradidisse tum quoad Religionem, tum quoad

reli-

reliqua vitae officia ac mores praecepta; quae si colligerentur in corpus, brevem, perspicuum, omniumque capacitati accommodatum codicem exhiberent. Qidpiam simile videmus in Christiana Religione, quamvis sublimissimas veritates, multiplicesque complectatur.

534. Haec Naturalistae; sed irrito prorsus conatu. Principio, an naturalis Religio omnino perfecta esset in felicissimo innocentiae statu, an vero ipsa quoque indigeret divina Revelatione, ad praesens institutum non pertinet: quamquam cum ex Mose doceamur, Deum in statu quoque illo Revelationem concessisse primis hominibus, dici fortasse non immerito posset, solam naturalem Religionem non omnino sufficientem per sese fuisse. Illud certum est, eam Religionem in nostro corruptae naturae statu non plane sufficere, uti ex superius demonstratis elucet manifestissime. Neque propterea Deus minus apte providit hominibus: nam rationis defectum abunde supplet, ut ipsi putamus, divina revelata Religio.
Porro Religio naturalis est equidem per sese immutabilis in iis quae docet ac praescribit; cum tamen mutata in deterius sit humana natura, plurimumque excaecata ejus ratio, mirum esse non debet, si Religio, quae naturali ipsa ratione dignoscitur, pro nostro hocce statu non sit plane sufficiens, quamvis sufficiens pro statu innocentiae fuisset ac diceretur. *Est humana ratio oculo persimilis*, inquit Antonius Genuensis (a). *Is si nihil officiat, aut corrumpat, iis viribus, quibus primum est praeditus, objecta intra ejus atmosphaeram posita percipiet: si nervus opticus obstruatur, si humor crystallinus densior evadat, aut si ab objectis removeatur longius, et morbis purgari oportet, et novis indiget viribus ac mediis, ut muneri suo satisfaciat.*

535. Est autem omnino falsum, sanctissimos viros, qui Mosis Legem praecesserunt, unu doctos fuisse naturali Religione. Sacrae Scripturae, quae ipsos commendant, tradunt quoque, plura eisdem fuisse divinitus revelata; eaque per traditionem a patribus in filios dimanasse, jure merito arbitramur.

536. Codex, quem confingunt Naturalistae, perridiculus est ac vanissimus. Nam plures errores docuerunt Philosophi, neque etiam simul sumpti veritates omnes, quae ad rectam vitae insti-

(a) *Elem. Met, part. 2, cap. 7.*

institutionem Religionemque perfectam necessariae sunt, tradiderunt. 2. Plerasque veritates, quas scriptis consignarunt, sumpserunt iidem Philosophi vel ex Religione per revelationem primum invecta, in qua fuere instituti, quaeque per constantem traditionem ubique ac semper viguit, licet corrupta esset ac deformata; vel ex divinis Libris, quos Trismegistum, Thaletem, Pythagoram. Platonem, et Aristotelem legisse, memoriae proditum est, vel saltem ex revelata ipsa doctrina, quam Haebrei inter Gentes quoque sparserunt. 3. Hic legum Codex perfici nisi post longum tempus non poterat, cum nonnisi multum temporis requireretur, ut Religionis praecepta omnia investigari sola naturali ratione et invenire potuissent. 4. Vel institutio ita fieri deberet, ut absolvatur disputationibus, vel tantum ita, ut tota doctrina per summa capita exponatur, quin ulla de iis afferatur ratio, quae docentur. Si primum illud; jam vel nullus esset Philosophus vel nonnisi paucissimi, qui forent et idonei, et tantum onus susciperent ut totum humanum genus erudirent. Tum non omnes omnino homines in iis sunt circumstantiis, ut doctrinam fere immensam tamque acutam philosophorum more perdiscant, uti ex superius dictis (§. 532.) manifeste colligitur. Sin autem alterum, certe deesset in Philosophis illa auctoritas, quae efficiat, ut eisdem credamus firmissime, eorumque scita ac praecepta recipiamus tamquam si Deus ipse loqueretur. Praeclare Lactantius (a): *nihilne illi simile praecipiant? immo permulta; et ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est divina, illa carent. Nemo igitur credit; quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui praecipit.* Accedunt perpetua Philosophorum dissidia et concertationes, quae pertinent etiam ad potiora quaedam Religionis et humanorum officiorum capita; aliunde vero non est, vel saltem non perspicitur ab indoctis hominibus potior ratio, cur uni potius quam alteri ex tot illis Philosophis adhaerescant. Non itaque haberetur nisi fides anceps, dubitatio perpetua, vel ad summum opinio, quae nihil certi efferat, atque ideo solida non esset haec Religio ac firmissima, ut esse oporteret, cum felicitatis summae vel summae miseriae basis sit ac fundamentum, neque ullus eidem ex

(a) *Lib. 3. divin. Instit. cap. 27.*

ex animo tenaciterque pareret. Egregie idem Lactantius, *cum inquit* (a), *multa diversa et varia proferantur, stultissimi est hominis, praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera sint an falsa, dubitatur; et ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.*

537. Aliter porro sese res habet quoad Christianam Religionem. Cum enim divina auctoritate, quae assensum nostrum omnino extorquet, non secus ac si quaevis ejus praecepta ac veritates praeditae essent metaphysica evidentia, firmata sit ac roborata; facile concipitur, qua de caussa redigi in brevem perspicuum omnibusque accomodatum codicem possit, nullique aut errori aut dubitationi locum relinquat. Paucis quidem rem egimus perdifficilem: neque enim praesens hoc nostrum institutum postulat aut sinit, ipsam ulterius promovere; sed tamen ita, ut quisque perspiciat, solam naturalem Religionem hominibus, quales sumus, non omnino sufficere.

538. *Corol.* I. Praeter Religionem naturalem, necessaria quoque est Revelata. Si enim illa non sufficit, ut homines rite colant Deum, ejusque praecepta et agnoscant, uti par est, & exsequantur, atque ideo ut ad praestitutum peculiarem finem ultimum, qualis est perfecta ac sempiterna ipsorum felicitas, duci tuto possint; oportet sane quod alia, quae esse non potest nisi *Revelata*, adjuventur ac fulciantur Religione.

539. *Corol.* II. Existit Religio revelata. Cum enim sit hominibus necessaria (§. 538.), ipsam profecto eisdem concessit Deus: nisi dicere, quod nefas est, velimus, ipsum humano generi ne in necessariis quidem providere, velleque ut plane omnes sine spe ulla salutis ac necessario aeternum pereant et excrucientur.

(a) *Loco citato.*

APPENDIX ALTERA.

De Anima Brutorum.

PLura sunt, quae de brutis animantibus inquiri a Philosophis solent. Nos plane missis iis omnibus, quae ad Physicam pertinent, de una hoc loci disserimus eorumdem anima, ejusque existentiam, facultates, et naturam ad trutinam limamque revocamus.

QUÆSTIO I.

Utrum bruta animantia sint pura puta automata?

540. *Animad.* Bruta, si quod ad corpora externasque affectiones spectentur, sunt notiora quam quod opus sit, ut eadem verbis explicemus. *Perfecta* seu, ut alii vocant, *perfectiora* dicuntur, quae, non secus ac homines, quinque sensibus ceu *canes* donantur; quae autem uno vel altero ex ipsis destituta sunt, veluti *insecta*, *imperfecta*, seu, ut aliis placet, *imperfectiora* vocari consueverunt.

541. *Def. Purum putum automa* universim spectatum est corporea quaedam machina eo constructa mechanismo et artificio, ut sine ullo interno creato activo principio a communi materia ejusque viribus distincto, quod eam ipsam machinam informet ac moderetur, omnes suos edere possit, ac re ipsa edat motus et functiones.

542. *Schol.* Duplex est automa, *artificiale*, si hominum ministerio atque artificio elaboretur, uti est horologium; et *naturale*; si nempe ex naturae instituto perficiatur, qualis est planta *retimusca*, ita adpellata, quod ejus folium, si supra ipsum musca insederit, illico curvetur pliceturque, insedentem muscam prehendat, neque, nisi mortuo jam ac putrescente insecti corpore, explicetur; vel herba, quam *sensitivam* vocant, quaeque, si manum ad ipsam extenderis, repente contrahitur, fugamque simulat ac timidum pudorem.

Sensus quaestionis.

543. An itaque bruta animantia non sint nisi pura puta automata, seu naturales machinae a Deo ita elaboratae, ut sine ullo interno creato activo principio a communi materia ejusque viribus distincto, quod ipsas informet, omnes functiones suas producat ac motus, hoc loci investigamus.

Pla-

Placita philosophorum.

544. Bruta animantia non esse nisi naturalia quaedam automata, docuisse videntur Stoici, uti ex Seneca edocemur (*a*). Saltem aliqua automatismi brutorum vestigia in horum Philosophorum sententiis dictisque deprehenduntur. Praeclarius apertiusque eumdem omnium inter recentiores primus exposuit propugnavitque Gomesius Pereira in libro, qui, ut patris sui ac matris nomina celebraret, *Antoniana Margarita* inscriptus ab eodem fuit. Gomesium secutus est Cartesius (*b*), hunc autem Antonius le Grand (*c*), Purchotius (*d*), Fortunatus a Brixia (*e*), Joanet (*f*), aliique non ex Cartensianis modo, sed etiam ex eclecticis Philosophis, quorum plerosque recenset P. Spagnius (*g*). Non una tamen eademque omnes ratione explicant operationes motusque brutorum. Alii ad Deum confugiunt, qui ex occasione circumpositorum corporum aut etiam affectionum internarum omnia in ipsis immediata actione sua operetur; quod quidem affine est systemati Occasionalistarum (*Psychol.* §. 326.). Alii motus omnes ex una derivant eorumdem structura artificio mechanismo viribus; quod consentaneum est harmoniae praestabilitae systemati (*ibid.* §. 330.). Alii demum addunt effluvia, quae in illorum externos sensus incurrant, eosque excitent concutiant moveant determinent. His adversantur alii quique Philosophi, quamvis non omnes omnino quod ad cetera inter se consentiant, quae erunt rerum paullo inferius dicendarum implicatissimum argumentum.

Propositio I.

Bruta animantia non sunt pura puta automata.

545. *Pr.* Si bruta essent pura puta automata, profecto in suis omnibus operationibus mechanicas virium materiae leges sequerentur: cum enim non constarent nisi ex commmuni materia (§. 541.); ne possent quidem nisi consentanee ad ejus virium

---

(*a*) *Lib.* 1. *de ira cap.* 3.
(*b*) *De methodo n*; 5. *et alibi.*
(*c*) *Dissert. de carentia sensus et cognitionis in brutis.*
(*d*) *Physices part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 1.
(*e*) *Phys. partic. part.* 2. *tract.* 2. *dissert.* 2. *sect.* 3.
(*f*) *Les betes mieux connues.*
(*g*) *Lib. de anima brutorum.*

um leges operari. Jam vero inter mechanicas has leges principem tenet locum 1. quod *corpus in iisdem circumstantiis positum eosdem effectus semper producat*: 2. quod *motus corporis semper sit vi motrici omnino proportionalis*. Utraque haec lex perpetuis observationibus et experimentis manifeste constat; tum prior illa ex natura caussae necessariae, quae semper agit quantum potest (*Ontol.* §. 272.), necessario sequitur; haec autem altera ex eo elucet, quod effectus nullus esse possit sua totali seu adequata caussa nobilior (*ibid.* §. 266.). Porro bruta animantia has leges in suis quibusdam operationibus interdum violant. Primam quidem. *Ostende jacenti cani corpus pani simile*, ad rem Cl. Genuensis (*a*), *surget, accedet, oculisque, naribus, aut etiam gustu imposturam deteget: itaque recumbet iterum. Tu ei recumbenti iterum ostende, fortassis et secunda hac vice surget. At detecta fraude, si centies ostendes, ne aures quidem quatiet: oculos etiam avertet: dormitabit postremo. Quid? eaedem externae motiones; eadem canis machina: cur non idem in cane motus?* Quidpiam persimile in fele, quam domi habebat, expertus saepius fuit idem Genuensis. An tantam in canis corpore ex accessu visione gustuve mutationem contigisse dixeris, ob quam tertia vice ne minimum quidem accedat vel aures caudamque quatiat, sed potius oculos avertat, occludat, dormitet, vel etiam alio divertatur? Comminisci istud est, non philosophari. Actio pluries repetita quamdam parit in agente facilitatem habitudinemque, qua actio ipsa promptius expeditiusque iterum fiat. Canis itaque tertio vocatus majori facilitate ac celeritate ad vocantem accedere debere videretur. Mittimus exempla alia non minus obvia quam illustria, quibus manifeste constat, bruta priorem laudatam legem quandoque violare.

Sed violant interdum etiam alteram. Quis enim sibi persuadeat, paullum cibi posse ingentia bovis, cameli, aut elephanti corpora antea immota ad motum de repente excitare? Sibilum hominis, aut venatoris aspectum pernicissimum avium volatum non tantum omnino sistere, sed etiam alio divertere? Equitis vocem erigere jacentem equum, aut non modo currentem frenare, verum etiam immotum ad cursum compellere? quaenam, quaeso, vim motricem inter et id genus mo-

(*a*) *Dissert. de anima brutorum* §. 4.

motum proportio? Neque porro ad internum brutorum mechanismum confugiant Adversarii, quasi ipsa, exigua etiam excitata vi motrice, effectus tam grandes motusque concipiant. Nostri corporis fabrica et mechanismus universim spectatus illo brutorum longe perfectior est vel saltem aeque perfectus. Ergo esurienti homini quis cibos exhibeat. Mordaciorem famem facile sentiet, excitabitur quoque ejus saliva: numquid tamen ad cibos accedet, eosque capiet, deglutiet, etiam voluntate in contrarium non nitente, sed permittente quinimmo corpus suum trahi quocumque trahitur? non hercle, nisi sive spontaneus sive liber accesserit voluntatis consensus ac determinatio. Bruta itaque utramque laudatam virium communis materiae legem in suis quibusdam operationibus interdum violant, atque ideo non sunt pura puta automata. *Q. E. P.*

Audiuntur Cartesiani.

546. *Ob.* 1. Potuit Deus ita bruta elaborare, ut essent purae machinae: igitur cum idem Deus nihil frustra moliatur; asserendum jure est, ipsa bruta nihil praeterea esse quam pura puta automata.

547. ℟. Imprimis non de eo, quod efficere potuerit Deus, sed de eo, quod effecerit re ipsa, philosophamur. Demus itaque Cartesianis, Deum potuisse bruta ita elaborare, ut essent purae putae machinae; quid tamen inde pro re sua? Nihil sane, nisi praeterea demonstraverint, Deum illud ipsum, quod potuit, effecisse. Effecit, inquiunt: secus enim frustra molitus fuisset aliquod, illum nempe, quod praeter communem materiam ejusque vires ac mechanismum in brutis adstrueretur. At constant ne ipsis fines omnes, quos Deus in brutorum creatione sibi praestituit? Nisi eos sciverint, summa audacia est asserere, Deum in nostra hypothesi aliquid plane frustra molitum fuisse.

Sed pressius. Cum bruta in suis quibusdam operationibus aliquas a Deo statutas communesque materiae leges interdum violent (§. 545.); asserere non dibitamus, Deum ipsum non potuisse eadem bruta ita construere ut essent purae machinae, nisi simul dicatur, eumdem Deum aut pro brutis alias diversasque praestituisse mechanicas materiae leges, aut leges mechanicas etiam brutis communes ac naturae ordinem in brutis ipsis interdum violare; quod quidem et commentitium est et perabsurdum.

548.

548. *Inst.* Ut asseri jure possit, bruta priorem legem violare, oporteret novisse totum perfectumque brutini corporis mechanismum et artificium: secus enim fieri posset, ut externae quidem circumstantiae sint eaedem, non tamen eaedem sint circumstantiae internae, indeque putemus, bruta in iisdem circumstantiis non idem operari, quamvis, spectatis circumstantiis internis, non ita sese res habeat. Ad alteram legem quod pertinet, certe novimus, vim plane exiguam posse in machinis vim maximam motumque excitare. Nos ipsi nullo voluntatis conatu, et nonnisi fere minima spirituum animalium seu cujusvis alterius fluidi actione corpus nostrum magno impetu movemus aut etiam elevamus pondus gravissimum. Fieri igitur potest, ut sibilus, vox, aspectus, similia brutorum corpora ad motum etiam pernicissimum concitent, quin laudata mechanica lex vel minimum violetur. Quibus praestitutis, ita urgetur difficultas. Ideo nequit Deus bruta ita elaborare, ut essent purae putae machinae, quia secus mechanicae communis materiae leges violarentur; atqui id vel nonnisi temere vel etiam omnino falso adseritur: ergo etc.

549. R. Si nos totum perfectumque brutini corporis mechanismum et artificium ignoramus, illud ipsum ignorant quoque Cartesiani. Si secus, edisserant nobis, quaeso, qui demum fiat, ut bruta, eisdem perseverantibus externis circumstantiis, non idem operentur. Sed est quo opinionem nostram praeferre Adversariorum opinioni debeamus. Novimus saltem, externas circumstantias mutatas non fuisse · novimus praeterea, bruta in his ipsis circumstantiis non idem interdum agere. Superest igitur, ut (nisi contrarium perspicue positivisque, ut ajunt, momentis ostenderint Cartesiani) ex ideis, quas de rebus habemus philosophando concludamus, bruta ipsa priorem laudatam legem (§. 545.) quandoque violare.

Porro hujus loci non est definire, qui demum fiat, ut exigua vis motrix motum maximum in machinis aut etiam in humanis corporibus possit interdum excitare. Quidquid enim hac de re sit, quae ad Physicam pertinet; certe affirmare non possunt automatismi patroni, nostri corporis mechanismum esse mechanismo elephanti aut bovis imperfectiorem: fieri tamen non potest, ut ad paratos cibos accedamus, etiam acri urgente fame, nisi adfuerit voluntatis consensus ac determi-

natio,

natio, quemadmodum etiam paullo superius adnotavimus (*ibid.*).

Quod ex voluntate nostra proprium corpus ad motum excitante petebatur, si quid probaret, probaret quoque, unum corpus corpus aliud movere posse sine conatu ullo, sicuti sine ullo conatu voluntas movet ipsum corpus; quod quidem falsissimum est. Alia itaque est lex corporum, et alia, quæ anima inter et proprium corpus intercedit.

550. *Inst.* Caussam in iisdem circumstantiis positam idem operari, sequitur ex ipsius caussae necessariae natura (§. 545.). Bruta sunt caussae necessariae. Itaque si canis aut feles, de quibus superius, non idem, quod antea, operantur, dicendum omnino est, aliquid mutationis vel in externis circumstantiis, vel in eorum corporibus contigisse. Hoc idem de aliis quibusque brutorum operationibus dicamus oportet. Falsum est igitur, bruta laudatam priorem mechanicam materiæ legem interdum violare. Rursus: bruta utpote caussae necessariae nequeunt agere nisi consentanee ad vim et actionem eadem ad agendum excitantem, seu tantum agunt, quantum aguntur: non enim possunt operationem suam augere pro lubitu aut minuere. Hinc sive bruta sint pura automata sive non, motus in ipsis excitatus est atque esse debet vi motrici proportionalis. Binae itaque laudatae leges constantissime atque omnino in quibusvis brutorum operationibus inviolatae consistant necesse est.

551. ℞. Aliqua profecto contigisse dicenda est in laudatis exemplis mutatio; sed non ea, quae favere vel minimum possit Cartesianis. Non equidem mutatio ulla in externis circumstantiis elucet. Ad canis autem corpus quod attinet, vox domini ipsum vocantis, aspectusque corporis pani similis puta lapidis eamdem, quam antea, commotionem in cane producere debent: sunt enim caussae necessariae. Itaque canis deberet accedere tertia etiam vice, et quidem promptius expeditiusque ob antea ab se repetitos id genus actus (§.545.), unde mutatio in corpore facta eo demum spectaret, ut canis ipse iterum voci aspectuique facilius obsequeretur.

At, inquis, prior aspectus excitavit in canis cerebro materialem ideam panis; accessus autem ideam lapidis: idea panis concitavit prima vel etiam secunda vice ad accessum corpus canis; idea lapidis ipsum ab iterato accessu retraxit. Acute quidem, sed an etiam vere? Illud probandum superest, scilicet materialem hanc ideam lapidis vim tantam ha-

bere,

bere, ut de repente retundat vim vocis aspectusque adhuc aeque agentis quam antea, tum contractam ad accessum habitudinem, imo vero ut ad contrarium motum canem determinet: quod si praestiteris, eris mihi magnus Apollo. Mutatio itaque, quae contigisset in cane, et ex qua diversae operationes in eodem fierent, ad canis animam non ad corpus pertinet. Nimirum ex priori panis perceptione accessit canis; detecta autem fraude, perceptoque lapide, non amplius accedit, sed potius dormitat aut alio divertitur, idque vi adhuc perseverantis ideae lapidis, legeque appetitus, qui in anima residet. Ideae, inquam, adhuc perseverantis: nam etiamsi eidem ostendas verum panem, non utique accedet. Si hoc idem experimentum in puero ad rationis usum non adhuc vento tentaveris, res eodem modo, quo in cane eveniret, quin tamen vel ullus Cartesianorum arbitretur, id in puero fieri una tantum mechamismi vi et energia.

552. Sed alteram argumenti partem adeamus. Errant, qui sive bruta sint pura automata sive non, dummodo tamen supponi debeant caussae necessariae, nihil discriminis esse in re, de qua loquimur, arbitrantur. Si enim essent pura automata, tantùm agerent quantum a praesente objecto agerentur; quo quidem fieret, ut eorum motus esse deberet vi motrici impressae constanter proportionalis. Non ita vero, si internum principium aliqua cognitione licet tantum sensitiva praeditum haberent. Nam principium istud cum activum supponatur, proprias etiam exserit vires, quae vim ipsam extrinsecus determinantem excederent. Ostende nucem puero necdum usum rationis adepto. Exiguus sane motus in aliqua ejus corporis parte producitur. Totus tamen, dum accedit, movetur, atque hic motus, qui haud dubie procedit ab ejus animae activitate ac determinatione, priori illo motu a laudata nuce producto major procul dubio est. 2. Cognitionem aliquo tempore conservans laudatum principium potest actionem continuare, quamvis eo tempore ab alia excitante caussa non actu determinetur. Postremo ex unius ideae excitatione excitari interdum possunt aliae, fierique rerum anteactarum recordatio; unde principium illud non movet se aut motum cohibet in una objecti praesentis actuque operantis ratione, sicuti postulant leges mechanicae, sed multo plus, diversimode etiam, quin et contrarie; quo quidem fit, ut mechanicae ipsae leges in quibusdam brutorum operationibus

non

non semel violentur. Haec omnia mirum in modum confirmat atque illustrat pueri, de quo antea (§. 551.), exemplum. Quamvis enim necessario agat; nemo tamen dixerit, ipsum tantum agere quantum agitur a communi materia, perindeque actiones suas elicere, ac si nullo interno activo cognoscent e principio ab eadem communi materia distincto donaretur.

553. *Ob.* 2. Atque imprimis longa oratione nobis obtrudunt Cartesiani plures mirabilesque machinas sapientissimo hominum artificio elaboratas. Refert Gellius (*a*), Architam construxisse columbam ex ligno, quae per aera volitaret. De statuis Daedali artificis celebratissimi inquit Plato: *hae nisi ligentur, discedunt atque aufugiunt; ligatae permanent*. Regiomontanus aquilam construxit, quae obviam iret Carolo V. Imperatori Norimbergam ingresso, eumque ad palatium duceret. Equus uno die septem aut octo leucas per longam planitiem confecit (*b*). Humanae formae statuam fabrefecit quidam artifex peritissimus in carcere Regni Marrocchii detentus, quae dimissa e carcere recta perrexit ad Regis palatium, ad ejus genua sese provolvit, ipsique supplicem libellum, quem manu ferebat, obtulit, indeque per eamdem viam regressa est ad carcerem (*c*). Testatur Schottus (*d*), se vidisse, artificiales homines, qui pingerent, artesque alias exercerent: vas humanam figuram referens, quod vino plenum mensaeque impositum mensam ipsam circumiret stato tempore, poculisque convivarum vinum infunderet: puellam, quæ pulsaret instrumenta musica, caneret quoque, saltaret, ac postremo auditores et circumstantes salutaret perurbane. Sed quis non miretur machinam illam, quam Regi Christianissimo eximius quidam artifex obtulerat? *Questi* (ut verbis utar P. Moniglia) *fece muovere da loro stessi in certe macchinette alla presenza del Re cavalli, carrozza, cocchiere, staffiere, e dama con uscire dal cocchio, inchinare il Principe, presentargli un memoriale, ritornare in carrozza con l' ajuto del servitore, e partirsi, come appunto siegue fra gli*

(*a*) *Lib.* 10. *cap.* 12.

(*b*) *Journal des Sçavans ad an.* 1680.

(*c*) *Ibid. ad an.* 1683.

(*d*) *Magiae universalis part.* 1. *cap.* 6.

gli uomini. Mittimus cetera id genus automata, quorum aliqua vel nos ipsi pluries conspeximus. Jam vero si homines haec possunt; qui non Deus? quorum quidem operationes aliquae motusque iis, quid eorum mechanismum ignorarent, violare mechanicas communis materiae leges viderentur.

2. Operationes brutinis persimiles in quibusdam herbis plantisque, maxime vero in *sensitiva* observamus, de qua ita canit Eminentissimus de Polignac (a):

Usque adeo, ut si instes importunusque sequaris,
Contrahat in seipsam ramos aversa dolentes,
Et properet capite in terram procumbere flexo:
Cernitur et simulare fugam timidumque pudorem,
Donec destiteris vim tandem inferre molestam:
Tumque resurgentem miraberis, omnia rursus
Pandentem folia, et reviviscentem ore sereno.

At ea omnia, quae in plantis herbisque fiunt, unis equidem mechanismi legibus peraguntur. Neque enim audiendus est Bonet, cujus judicio quaevis planta suam habet sensitivam animam, quae sentiat, gaudeat, tristetur, cupiat, aliisque affectibus sit exornata. Cur itaque non idem dicendum de brutis? nam ex iisdem similibusque effectibus, eaedem vel similes inferendae sunt caussae.

3. Nos ipsi plures mirabiles operationes sola mechanismi vi exercemus. Anima non agente, non advertente, non imperante, quin imo plane distracta, movemus linguam in recitando, digitos manusque in scribendo, pulsandove musica instrumenta. Si inopinato ardens carbo manum tangat, ipsum de repente excutimus; si delabimur, brachium, ne laedamur, extendimus. Quid de somnambulis dicemus, quorum aliqui plane eadem operantur ratione ac si omnino vigilarent?

4. Muscae, locustae, aliaque plura insecta hiemali tempore glaciata sunt omnique vita destituuntur. Testes sunt Poloni, aliique septentrionales populi, hirundines, adventante hieme, glomerare sese, atque alis pedibusque complicatis in stagnum demergi, ideoque tamdiu jacere inanimes, quamdiu aer iterum tepescat. Muscas per oleum antea extinctas reviviscere, si vel calido aspergantur cinere, vel soli exponantur, observarunt Ulysses Aldovrandus, et Joannes Sperlingius; idemque in iis accidere, quae intra aquam vel alium liquo-

(a) *Anti-lucr. lib.* 6.

liquorem suffocatae obierint, non Ælianus modo, Plinius, et Isidorus, sed plures quoque recentiores testantur. Haec porro explicari sane non possunt, nisi bruta pura esse puta automata supponamus.

554. R). *ad* 1. Imprimis ne Regnaultius quidem vadem se de iis omnibus automatis, quae refert (*a*), interponit. 2. Laudatae machinae nonnisi quasdam edunt operationes, quæ ne comparandae quidem cum iis sunt, quae a brutis eduntur. 3. Quaevis id genus machinae mechanicas communis materiae leges omnino et constanter sequuntur, non item vero bruta (§. 545.). Postremo inferri inde ad summum posset, Deum tantam habere potentiae sapientiaeque, ut construere valeat bruta, quæ sint purae putae machinae; quod tamen nihil omnino nos urget (§. 547.).

555. R). *ad* 2. Tria haec posteriora diluunt quoque argumentum, quod ex comparatione plantarum herbarumque operationes inter et operationes brutorum instituta desumebatur. Addimus, majorem procul dubio esse brutorum operationes inter et operationes hominum analogiam, quam quae inter operationes brutorum et illas plantarum intercedit. Itaque elucet potior ratio, cur dicamus, sicuti homines ita etiam bruta animantia non esse pura puta automata.

556. R). *ad* 3. Principio in brutis quasdam alias observamus operationes, quae in hominibus animae actionem haud dubie exposcunt, ab eaque proficiscuntur; quod quidem omnino evinceret, bruta nec esse puras machinas nec dici posse. Tum falsum est, objectas hominum actiones ab eorum anima non exoriri. Non utimur quidem consulatione, sed tamen sentimus carbonis ustionem, unde ipsum excutimus; advertimusque cadendi periculum, unde extendimus manus et exporrigimus. Ceterae, quae objiciebantur spontaneae hominum actiones quamvis actualem praesentemque non postulent animi advertentiam, antea tamen ex vi ipsius animi ortae primum fuerunt, toties que repetitae, ut demum habitus quidam fieret et consuetudo. Hinc pueri experientia et exercitatione destituti laudatos motus edere non observantur. Somnambuli ea ipsa repetunt, quae antea in vigilia vel cogitarunt, vel animae vi gesserunt.

557. R). *ad* 4. Muscae, locustae, aliaque id genus animalcula

---

(*a*) *Trattenimen ti fisici tom. 3. Tratt. 6.*

cula videntur quidem mortua, cum frigus externas eorum partes veluti corripiat mergatque in profundo lethargo; mortua tamen re ipsa non sunt: internas enim licet maxime debiles ac ferme insensibiles edunt functiones, iisque per aliquod temporis spatium vivunt. Hoc idem de hirundinibus dictum eodem jure intelligatur.

Nec porro mirum, si eo tempore neque vescantur cibo neque respirent. Frigus enim ita obstruit occluditque externos poros, ut vix aliqua fiat expiratio; aliunde vero cibi necessitas ex quo particulae corporis animalis alio avolent, maxime procedit. Debiles quoque sunt plurimumque infirmae internae illorum animalium functiones; quo quidem fit, ut chilus, sanguis, spiritus animales, cetera ad vitam necessaria non tam facile neque tanta in copia dissipentur. Denique compertum Anatomicis est, pinguedinem etiam ad nutritionem, praesertim si desit necessarius cibus, inservire. Ea itaque per id tempus nutriuntur; atque hinc est, quod laudata animalia macra sint et axsucca, dum veluti reviviscunt. Ad respirationem quod attinet, non ipsa semper atque in omnibus necessario requiritur. Foetus in matris utero, tum homines letargo correpti non respirant. Non defuere adulti homines, qui sine respiratione ulla etiam per multum temporis sub marinis aquis commode viverent. Hoc idem etiam in animalculis, de quibus disputamus, evenire posse, nemo fortasse unus ibit inficias.

Quod de muscis extinctis per oleum, aut intra aquam vel liquorem alium re ipsa suffocatis addebatur, falsum traducit Franciscus Redius (*a*), qui infinities, ut ipse ait, propria iteravit hac super re experimenta. Hinc fabula est, apes in alvearibus hiberno tempore mortuas, tempore verno redire ad vitam, si soli exponantur; quod narrat Columella. Fabula est etiam, americanos quosdam Serpentes a decem annis mortuos et exsiccatos reviviscere, si solis radiis per dies aliquot expositi fuerint; quod se accepisse ab indigenis scribit Bouguerius (*b*).

Propositio II.

Deus non ita est unica omnium operationum Brutorum caussa, ut ab iisdem quodvis aliud earum principium omnino excludat.

(*a*) *Generazione degl' Insetti pag.* 88.

(*b*) *De figura Telluris.*

558. *Pr.* Si Deus omnes brutorum motus per sese producit ex objectorum externorum occasione, quod est Occasionalistarum systema (*Ontol.* §. 302. *Psychol.* §. 326.), illos utique producit consentanee ad sequentes leges, ut nempe *iisdem existentibus occasionibus, eosdem producat motus: et motus ab eodem producti sint occasioni proportionales*. Hac in re vel ipsos Occasionalistas consentientes habemus: quamvis enim Deus sit naturae ejusque legum auctor ac dominus, non eas tamen violat, nisi velit prodigium aliquod in brutorum gratiam perpetrare. At bruta non in omnibus suis operationibus motibusque eas leges sequuntur (§. 545.): Deus igitur non ita est etc. *Q. E. P.*

Propositio III.

Aliquod in Brutis existit activum principium, et quidem eisdem intrinsecum, quod et ab eorum mechanismo et a notis communis materiae viribus sit plane distinctum.

559. *Pr.* 1. *pars.* Quaedam in brutis sunt operationes sive effectus; effectus autem esse sine aliqua sui caussa seu principio (*Ontol.* §. 261.), et quidem activo non possunt: nulla enim res producere aliquid potest, nisi activam vim habeat illud ipsum vel saltem occasionem producendi, ex qua alterum activum principium effectus illos immediate producat. Igitur activum aliquod principium in brutis existat necesse est. *Q. E.* 1. *pars.*

560. *Pr.* 2. *pars.* Caussa omnium et singularum operationum brutorum non sunt sola effluvia actionesque externorum corporum, ut facile quisque concedet, atque ex superius dictis (§. 545.) manifeste colligitur. Sed neque solus Deus, cum ipse non ita sit unica earumdem caussa, ut a brutis quodvis aliud principium omnino excludat (§. 558.). Superest ergo, ut activum principium, quod in brutis existit, sit eisdem intrinsecum. *Q. E.* 2. *pars.*

561. *Pr.* 3. *pars.* Cum non omnes brutorum operationes mechanicis virium materialium legibus respondeant (§. 545.); profecto eae saltem, quae has leges violant, neque a solis externis effluviis, neque a sola interna corporum brutinorum structura materialibusque viribus, neque demum ab utraque hac caussa simul procedunt. Necesse est igitur, ut illarum principium et a brutorum mechanismo, et a notis communis materiae viribus sit plane distinctum *Q. E.* 3. *pars.*

Pro-

Propositio IV.

Anima aliqua in Brutis existit.

562. *Pr. Animae* brutorum nomine illud, quodcumque tandem sit, intelligimus saltem aliquarum, quae in ipsis brutis fiunt, operationum principium, quod esset activum, brutis intrinsecum, et a puro eorumdem mechanismo notisque communis materiae viribus distinctum. Atqui id genus principium admitti in brutis debet (§. 559. *et seqq.*): ergo anima aliqua in brutis existit. *Q. E. P.*

563. *Schol.* Nostra haec opinio locum habet, etiamsi supponatur, quod Deus in brutorum corporibus motus plane omnes, et quidem se solo producat: fieri enim potest, ut id efficiat, sed tamen consentanee ad laudati principii sive *animae* non omnino mechanicas materiales leges, quemadmodum quoad nostri corporis motus juxta Occasionalistarum systema idem Deus operatur. Sed quaenam porro sunt brutinae hujus animae dotes indoles natura? En alterum latissimumque rerum mox dicendarum argumentum.

QUÆSTIO II.

Utrum Brutorum anima cognitione aliqua, memoria, atque affectibus donata sit?

564. *Schol.* Quid universim sit cognitio, memoria, atque affectus, ex iis, quae in Psycologia de mente humana disseruimus, constat manifestissime. Cum tamen bruta vera proprieque dicta ratione destituantur, uti paullo inferius demonstrabimus; laudatae ipsorum operationes esse non possunt nisi *sensitivae*. Eorum itaque affectus nonnisi *sensitivi* sunt (*Psychol.* §. 600.); cognitio non est nisi *sensatio* (*ibid.* §. 364.); memoria denique, quatenus brutis convenire potest, a se excludit sensum intimum, conscientiam, seu reflexionem, qua advertit animus, se antea percepisse rem aliquam, quam hic et nunc rursus percipit (*ibid.* §. 479.): haec enim reflexio non est pura puta sensatio, sed ad cognitiones abstractas et rationales certo certius pertinet. Quare *brutinae memoriae* nomine intelligitur facultas illa vel actio, qua bruta ipsa vetera phantasmata de novo in cerebro excitata iterum percipiunt sine ulla reflexione, qua advertant, se illorum phantasmatum objecta, seu res per phantasmata

amata repraesentatas antea percepisse. Exemplo esse possunt pueri, qui necdum rationis usum sibi comparassent. Id genus memoria nihil aliud esse videtur, quam imaginatio (*ibid.* §. 367.), vel saltem imaginationi affinis quammaxime est. Sed de his postea nitidius explicatiusque.

Sensus quaestionis.

565. An brutorum anima ornata sit cognitione aliqua, memoria, affectibusque eo sensu acceptis, quem indicavimus, inquirendum hoc loci a nobis est.

Philosophorum sententiae.

566. Si excipiantur Cartesiani, iique omnes, qui bruta non esse nisi pura puta automata, neque nisi notis communibusque materiae viribus praedita arbitrantur, ceteri quique aliquam cognitionem, memoriam, affectusque eisdem adscribunt. An porro eorum anima sit materia, vel saltem materialis, vel mentes ipsae humanae, vel daemones, vel demum quidpiam aliud, subinde et investigabimus et definiemus.

PROPOSITIO.

Brutorum anima cognitione aliqua, memoria, atque affectibus praedita esse videtur.

567. *Pr.* Si tum externa, cum interna organa sensoria, quibus donata sunt bruta saltem perfectiora, attentius inspiciantur, humanis similia esse nemo negaverit: nam iidem vel fere iidem oculi, aures, nares, palatus, nervi, cerebrum. Cum itaque hi sensus ad sensationes, memoriam, et affectus inserviant hominibus, sequitur ex lege analogiae, ad eas ipsas similesque operationes etiam brutis inservire: nam ex similibus mediis similes fines et usus recte colliguntur.

568. Sed est et alterum illudque efficacius analogiae argumentum. Commune est probatissimumque viris doctis, et qui serio philosophantur, ex similibus effectibus similes caussas esse conjiciendas. At in brutis observantur effectus iis similes, qui sine cognitione, memoria, atque affectibus in hominibus non sunt. Nonne simiae, vulpes, equi, feles, canes, aliaque id genus animalia edunt manifestissima alicujus cognitionis indicia? Narrasse sufficiat, quod sibi ipsi contigisse refert Antonius Genuensis. *Quum essem quinquennis*, inquit (a), *atque S. Magni parvo in oppidulo apud aviam lectissimam foeminam Annam de Medicis degerem, verno tem-*

(a) *Dissert. de anima Brutorum* §. 10.

tempore , vidente mane , ludibundus ab aviae oculis patriam versus , mille circiter passibus , sed arduis et alpestribus locis , distantem me deporto : comes adest et canis , quo cum plurimum et familiariter jocari consueveram . Advenio ad rivulum , qui utriusque pagi fines disterminat . Is vernis aquis paullulum excreverat . Ergo verti me in opacissimam , quae adstabat , silvam , proceris castaneis , quercubus , aliisque arboribus consitam . Ita autem in ea me implico , ut cum volo , exeundi nullas , quantum circumspicere possum , vias invenio . Adsideo maerens primum , mox lacrymans , hinc ejulans : adblanditur canis , et quasi me provocans , saepe ingreditur viam , iterum redit , nec , nisi ut manu me comprehenderet , deerat . Flebili me excitat voce lacrymantique collacrymatur . Eum , qui quid vellem videbat , non intelligo . Ad vesperum usque in eo me situ macero . Tum cadere altis de montibus umbras cum adspicio , silvamque obtenebrescere , pavidus rigidis capillis adsurgo : canis totum me ruspatur , prehensatque . Eum tandem sector ducem , qui domum refert incolomem . Haec ille . Infinitus essem , si ea omnia , quae efficiunt bruta , quaeque esse in hominibus sine cognitione non possunt , etiam cursim recenserem .

Efficiunt etiam quae manifesta sunt memoriae indicia . Hirundines priores domos nidosque repetunt ; apes alvearium suum cellulamque constanter ingrediuntur ; jumenta etiamsi attrita fuerint verberibus , non illud tamen adeunt periculum in quod antea incurrissent . Psittaci , Elephanti , simiae , canes , aliaque bruta hominum magisterio plura veluti ediscere ac tenere etiam diu videntur . Mira et singularia existimari debent , quae non multis ab hinc annis publice observata fuerunt Bononiae . Simiae et canes vestibus induti ducebant choreas , simia interim una manu lampadem tenente , altera vero caudam vestis feminae , qua canis induebatur . Fictum praeterea committebant inter se bellum , arcem defendentibus aliis , aliis expugnantibus . Praeclara est de leone historia ; quam ex Appione Polystore teste oculato excripsit Aulus Gellius (*a*) . Quidam servus viri proconsularis , *Androdus* sive potius *Androclus* nomine ingentem stipem vestigio pedis cujusdam leonis haerentem revulsit . Romam ex Africa dedu-

(*a*) *Lib.* 5. *cap.* 14.

ctus damnatusque ad bestias, illi ipsi leoni, qui captus, Romamque et ipse deportatus fuerat, devorandus in circo maximo objicitur. At leo ubi Androdum procul vidit, repente quasi admirans, stetit; ac deinde sensim atque placide tanquam noscitabundus ad hominem accedit. Tum caudam more, atque ritu adulantium canum, clementer et blande movet; hominisque sese corpori adjungit; cruraque ejus, & manus prope jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Androdus oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta, homo et leo laeti, ut ita dicam, gratulantur. Itaque Imperator, caussa miri hujus eventus cognita, Androdum poena solutum dimisit, eique leonem donavit; qui tenui revinctus loro urbe tota circum tabernas ibat. Celebris quoque est leo, quem Gothifredus de la Tour nobilis eques Gallus, occiso immani serpente, qui eum multiplici gyro convolvens stringebat, percutiebatque hac illac venenum instillaturus, morte liberavit. Nam hoc peracto, leo sese projecit ad Gothifredi pedes, mille laetitiae gratique animi signa edens, eumque postea, ceu canis domesticus, sequebatur, venatum ibat, praedas deferebat, irruebat in hostes, tandemque Gothifredum ex Asia in Europam in navi revertentem natando tamdiu insecutus est, quoad viribus plane deficientibus periit (a). Neque minus commemoratione digna est leaena illa, quam femina quaedam nomine *Maldonada* apud Buenos Ayres a partus periculo liberavit. Nam ipsa cum filiis grandioribus jam factis obstetricem suam contra alios leones ac tigres defendit, ne laceraretur (b). Nunquam fieret dicendi finis, si omnia excriberem, quae memoriam de acceptis beneficiis manifeste indicant in brutis. Silentio praeterire non possum, quod ego ipse, cum essem Neapoli, non sine admiratione conspexeram. Ad locum me defero, ubi ferae asservantur. Superveniens custos leonem vocat, qui consurgens illico accedit quasi gestiens ac ludibundus, quin et os aperit suum linguamque porrigit. Tum ille hujus capiti leniter manu primum adblanditur; deinde manum ipsam immittit in hiantes bestiae fauces, ejusque linguam incolumis jocansque tangit lenit palpat prehensat.

Po-

(a) *Maibourg Histoire des Croisades tom.* 1. *lib.* 2.
(b) *Charlevoix Histoire du Paraguy livre premier*.

Postremo signa quoque affectuum saepissime exibent bruta. Atque imprimis morbis correpta, percussionibus contusa, vulneribus lacerata edunt *doloris* indicia; *voluptatis* autem in venere, in cibo, in blanditiis. Porro dolor et voluptas sunt praecipua affectuum sensibilium fons et incitamentum. Sed luculentiora affectuum signa indicemus. Bruta itaque edunt *irae* indicia, dum eorum oculi rubent, corripiuntur pili, fremunt, impetuque in ostes irruunt. *Timoris*, dum tremunt eorum artus; cor vehementius palpitat, incondite fugiunt. *Amoris*, dum adblandiuntur filiis suis, ubera praebent, quaerunt cibos, eosque unguibus, dentibus, rostro, verbo, armis, quibus a natura istructa sunt, defendunt. *Odii*, dum injurias vel sibi vel suis catulis illatas et tenent, et ulciscuntur. Si itaque, ut rem totam perstringam, ex similibus effectibus similes conjicendae sunt caussae, aliunde vero in brutis observantur effectus iis persimiles, qui in hominibus ex cognitione aliqua, memoria, affectibusque procedunt; dubitari non posse videtur, quin etiam brutorum anima cognitione aliqua, memoria, atque affectibus donetur. *Q. E. P.* (*)

Satisfit objectionibus.

569. *Ob.* 1. Plures in quibusdam brutis observantur effectus, quos homines ex ratione ac libertate producunt; atqui tamen inferri inde non potest, brutorum animam esse rationis ac libertatis compotem: ergo ne ex iis quidem effectibus, qui observantur in brutis, quique sensationes in hominibus esse commonstrant, inferri jure potest, brutorum animam ullas sensitivas operationes elicere; atque ideo ruit praecipuum assertae propositionis fundamentum (§. 568.). Ita fere Pereira.

570. R. Non defuerunt, qui brutis saltem perfectis rationem quoque ac libertatem adscriberent. Sed falso, nostra quidem sententia; nam obstant plura, ut subinde dicemus. Hinc illae eorumdem operationes, quae eas hominum rationales ac liberas affectare apparenter videntur, alio prorsus modo atque ita explicari a nobis debeut, ut fieri etiam sine ratione.

(*) *Ex his manifestius constat, bruta animantia non esse pura puta automata; haec enim, Cartesianis fatentibus, nulla cognitione, memoria nulla, nullisque affectibus exornantur.*

ratione libertateque posse constet : At nihil vetat , quominus operationes mere sensitivas brutis adjudicemus , imo vero concedendas ipsis esse , momenta eaque , ut opinamur , satis valida ex lege analogiae desumpta nobis persuadent (§. 567. et seq.)

571. *Inst.* Ideo sensitiva brutorum anima non elicit rationales ac liberas actiones , quod eorum corpora organis diversis ab humanis longeque imperfectioribus sint instructa . Hanc ob causam, eas non elicit anima infantis . In hac itaque hypothesi anima belluina ab humana *essentialiter* non discriminaretur , sicuti essentiale discrimen inter infantis animam et animam adulti hominis , aut Ciceronis adhuc pueruli animam inter et animam ipsius Ciceronis jam grandioris non intercedit . Quibus ex Petro Bayle praemissis (*a*) , ita urgetur difficultas . Sensitiva brutorum anima , quae ex laudatis infertur eorumdem effectibus , ab anima humana essentialiter non discriminatur ; hoc autem et falsum est et perabsurdum : ergo etiam plura obstant , quominus ex laudatis brutorum effectibus anima sensitiva inferatur .

572. R). Falso quidam putant , nullum aliud esse belluinam animam inter et animam humanam discrimen , nisi quod illa cum imperfectiori organico corpore copulata sit . Ratio et libertas sunt vires ac facultates , quae vim mere sensitivam longe longeque antecellunt , neque verisimile est , Deum sapientissimum easdem concessisse belluinae animae , si haec ob organorum imperfectionem iis non modo non utatur , sed ne uti quidem possit . Itaque brutorum anima ratione destituta est ac libertate , atque ideo ab humana essentialiter discriminatur .

Aliter porro sese habet anima infantis : haec enim ornata est ratione et libertate , sed eas tantum non exercet ob organorum imperfectionem , vel ex eorum defectu , quae ad ipsarum exercitium conferunt ; unde discrimen inter infantis animam et animam adulti hominis non est nisi accidentale , cum exercitium potentiae in rebus creatis non ad earum essentiam , sed ad accidentalem dumtaxat ipsarum perfectionem pertineat .

573. *Inst.* Si brutorum anima est sensitiva , si cognoscit , si vult , eatenus tantum discreparet ab humana , quatenus illa

---

(*a*) *Diction. ec. art.* Rorarius *Rem. E.*

la destituta esset ratione ac libertate. quibus haec altera donatur, seu quatenus illa esset minus perfecta, haec autem magis perfecta esset; atqui *secundum magis et minus non mutatur essentia*, uti notissimum est verissimumque apud Scholas proloquium: ergo quamvis brutorum anima destituta esset ratione ac libertate, nihilominus, si quidem foret sensitiva, essentialiter ab anima humana non discriminaretur. Accedit quod si libertas esset essentialis menti humanae, mutaretur hujus essentia, dum aut ex infantia, in qua libera non est, ad aetatem grandiorem, in qua est libera; aut ex hac vita, in qua libertate fruitur, ad vitam alteram, in qua nullam habet libertatem, transiret; quod et falsum est et perridiculum. Igitur carentia libertatis in brutorum anima haud equidem efficit, ut ipsa essentialiter differat a mente humana.

574. a). Hoc argumento utitur Fortunatus a Brixia, utuntur et Peripatetici; ille quidem ut probet, bruta non esse nisi pura puta automata; hi autem ut demonstrent, eorum animam, cui aliquam cognitionem ceteroqui adscribunt, esse *materialem*. Sed oppido falluntur. Ratio et libertas intrinsecus afficiunt mentem humanam: sunt enim ejus facultates, quae proinde in eadem insunt. Notabile quoque discrimen diversitatemque ab anima mere sensitiva in eamdem inducunt: hinc enim notissima illa animalis in *rationale* et *irrationale* seu in duas species discretio. Sane homo per rationem et libertatem potest cognoscere abstracta spiritualia universalia; praeterita cum praesentibus aut etiam cum futuris quin et cum mere possibilibus comparare, ratiocinationes instituere, veritates ex veritatibus inferre; tendit quoque ad summum bonum, perfectam appetit immortalemque felicitatem, media eligit disponit exsequitur; capax est moralis legis, meriti, praemii; in seipsum inque res alias ex arbitrio dominatur. An facultates, quae id genus operationes tam sublimes tam nobiles tam praeclaras eliciunt, et quibus bruta destituuntur, immane prorsus et specificum, ut ajunt, ita non inducunt homines inter et bruta discrimen, ut inde eorum animae non sint toto fere coelo inter se diversae? Neque enim hic elucet ea tantum major aut minor perfectio, qualis esset aut alicujus creatae potentiae exercitatio, aut acutior vel minus acuta de re aliqua rationalis cognitio, quae non potest nisi accidentale discrimen inducere. Per rationem

et

et libertatem plus certe differre perspicitur anima humana a belluina, quam per qualemcumque proprietatum diversitatem discrepent a se invicem ignis et aqua. Sartum itaque tectumque est etiam in nostra hypothesi inter belluinam animam et animam humanam essentiale discrimen.

575. Quod addebatur, nihil nos movet. Imprimis enim libertas, quatenus potentia est, dici fortasse non immerito potest ad mentis nostrae essentiam pertinere: est enim facultas ac dos menti ipsi indita, per quam plurimum ab anima belluina differre videtur. Si neque in infantia, neque post mortem exercetur, nihil refert; siquidem creata potentia esse potest etiam sine ejus usu. Non exercetur porro vel ex actualis usus rationis aut objectorum, circa quae versetur, defectu, vel ob alia impedimenta, quamvis in ipsa mentis natura adhuc resideat. Deinde etsi libertas non constitueret per sese laudatum essentiale discrimen, ipsum tamen constitueret vi rationis, quam necessario supponit et ex qua procedit: neque enim esse potest libertas sine ratione. Postremo non una est libertas, ob quam mentem humanam a belluina anima essentialiter discriminari putamus. Principem tenet locum ipsa ratio, qua mens humana sive in infantia sive post mortem necessario donatur.

576. *Ob.* 2 Plura animalcula non habent sensoria organa humanis similia. Si igitur ex organorum similitudine inferri jure merito potest existentia animae sensitivae in quibusdam brutis, ex dissimilitudine organorum colligi eodem jure posset, laudata animalcula vel sensitivam animam haudquaqam habere, vel saltem dubitandum esse, an habeant. Quod si concesseris, vereor ne bruta etiam perfecta ullam habere animam asserere tuto possimus. Cum enim bruta omnia ejusdem demum sint generis; non elucet sufficiens ratio, cur aliis deneganda sit anima, aliis vero cencedenda. Quare argumentum ex organorum cum nostris similitudine petitum nihil omnino pro animae sensitivae in brutis existentia probat.

2. Si bruta cognoscunt, cur non etiam loquuntur? nam quaedam habent organa ad id operis aptissima.

3. Ex quo bruta quaedam idoneis ad loquendum instructa sint organis, non secus ac homines, inferri non iccirco debet, ipsa re vera loqui. Ergo ex quo habeant organa ad sentiendum idonea, inferri pari jure non debet, ipsa re vera sentire.

4. Si sentiunt bruta; dolent ergo: si dolent; ergo misera: at si misera; nonne injustus Deus? nam nihil peccaverunt; aliunde vero *sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest*, inquit S. Augustinus (*a*). Ita fere Malebranchius (*b*). Tum si dolent, nonne crudeles homines, qui ea percutiunt vexant feriunt aut etiam mactant? Hinc Cartesius, *pia est* inqnit (*c*), *mea sententia* (de brutis mere automatis), *quia homines a criminis suspicione liberat quoties comedunt, vel occidunt animalia*.

577. ℟. *ad* 1. Sunt equidem certa quaedam animalcula, quae plantis potius quam hominibus assimilantur, adeo ut nonulli ea inter plantas referre non dubitaverint. Non est hujus loci rem hanc definire. Ad praesens institutum quod attinet, dicimus, quod si re ipsa sunt animantia, habent quoque animam sensitivam. Id imprimis colligimus ex eorum cum ceteris analogia; scilicet ab homnibus ad bruta perfectiora, a perfectioribus brutis ad minus perfecta, atque ita porro descendimus, quoad ventum fuerit ad ea organica corpora, puta ad plantas, quae nullis organis sensoriis potiantur neque ad bestiarum genus referri amplius queant. Colligimus quoque ex iisdem vel fere iisdem effectibus, quos aeque in omnibns observamus, vel jure conjicimus: aeque si pungantur, contorquentur, aeque ad venerem concitantur; aeque cibis vescuntur: quae profecto dici ex eadem analogia etiam debent de minutissimis illis animalculis, quae ne microscopiis quidem videri a nobis possunt.

578. ℟. *ad* 2. Si locutio eo sensu sumatur, ut bruta per vocem internas affectiones suas promant, quin tamen intendant, se iis sonis exprimere illas ipsas affectiones, quas experiuntur. quod non aliter evenire in infantulis solet; manifeste liquet, bruta, quae organis ad id operis idoneis instructa sunt, loqui. Ejulat canis, si percutiatur; latrat, si domini sui tecta invisus homo subeat: eaque edit in venatione vocis signa, ut venator, an feram et qualem invenerit ex iis probe dignoscat. Verum si de ea sermo sit locutione, quam nos ipsi non naturae vi, sed ex arbitrio eo fine adhibemus, ut internos exprimamus sensus; mirum esse non

(*a*) *Lib*. 1. *Operis imperf. cap*. 39.
(*b*) *Deffense contre l' accusation de M. de la Ville*.
(*c*) *Epist. part*. 1. *epist*. 67. *ad Henricum Morum*.

non debet, si ipsa non conveniat brutis: quandoquidem rationem postulat ac libertatem, quibus bruta cujusvis generis destituuntur.

579. ℞. *ad* 3. Ideo inferri nequit ex organis ad loquendum idoneis vera ac proprie dicta in brutis locutio; quod ipsa ratione, quae, ut antea dicebamus, necessario ad id requiritur, plane destitui, pluribus validisque momentis constet, qua de re postea. At momenta desunt, quibus animam mere sensitivam eisdem brutis denegemus.

580. ℞. *ad* 4. Dolent equidem bruta; nec tamen aut injustus Deus, aut homines crudeles. Non, inquam, injustus Deus. Imprimis enim dolores sunt brutis, non secus ac hominibus (§. 118), plane naturales, cum ipsa ob mutuum animae corporisque nexum sicuti ex corpore voluptates percipiunt, ita etiam dolores percipere ex eodem debeant. Quod autem naturale est, nullam profecto injustitiam in sapientissimo beneficentissimoque naturae auctore arguere unquam potest. Tum dolores pluribus voluptatibus pensantur. Denique bruta non sunt tam misera, quantum putari ab ignaris solent; non enim reflexa malorum apprehensione, vel cogitatione futurorum, vel imaginatione aut phantasia, vel praeteritorum cum praesentibus aut futuris comparatione, vel timore panico, vel ambitione invidia aliisque id genus affectibus plus, quam postulat eorum natura ac praesens conditio, sese excruciant ac macerant; doloresque vel augent vehementius; redduntque acerbiores; vel diutius conservant; quod praestare saepissime solent adulti homines, qui propterea seipsos miseriores efficiunt, quam si nonnisi iis doloribus sensibilibus, qui praesentes sunt, tangerentur. Quid porro, si in eo ipso, quod bruta dolores patiantur, divina sapientia ac providentia luculente resplendeat? hinc enim et victum quaerunt, et necessaria ad conservationem sibi comparant et cavent ea, quae sunt eorum vitae incolumitatique infesta.

Objecta Augustini sententia ad rem non pertinet. Loquitur enim de uno homine, qui cum non naturae conditione, sed singulari Dei privilegio in eo felicitatis statu conditus fuerit, in quo nullis excruciaretur doloribus, molestiisque affictaretur; si miser est, poena peccati est malique meriti. Jure itaque docet, hominum neminem esse sub Deo justo miserum, nisi mereatur.

Sed

Sed neque crudeles sunt homines. Fons juris est suprema Dei voluntas: Deus autem concessit hominibus adeo absolutum perfectumque in bruta dominium, ut iis uti pro lubitu possint, eademque sine ulla crudelitatis nota percutere, ferire mactare comedere, fateor tamen, me detestari eos, qui sine caussa ulla vexant bruta, quin et fere subirascor, non quod crudeles esse putem aut legem ullam violare, sed quod animum haud dubie promant habeantque ad commiserationem lenitatemque minus comparatum.

QUAESTIO III.

Utrum Brutorum anima sit communis materia, vel saltem materialis in sensu Peripateticorum?

581. *Def.* 1. *Communis materiae* nomine intelligimus substantiam inertem, extensam, divisibilem, ceterisque notis corporum attributis ac proprietatibus donatam.

582. *Def.* 2. Brutorum anima in sensu Peripateticorum *materialis* est, uti a P. Ferrari describitur (*a*) *substantia quaedam materialis, capax materialis itidem perceptionis ex intrinsecis suis ordinata ad corpus brutorum per modum formae substantialis, quae cum illo constituit unum compositum, eidemque motum et vitam tribuit.*

583. *Schol.* Haec videri alicui fortasse poterunt aenigmati similia. Ut itaque doctrina haec Peripateticorum perspicue innotescat, altius exordienda res est. Duo, si ipsos audias, sunt cujuslibet substantiae sensibilis principia, *materia et forma substantialis*; illa imperfectior est et passiva, activa haec altera et perfectior. Utraque etiam seorsum accepta est quidem, ut ajunt, *substantia*, sed tamen *incompleta*, quam proinde *semisubstantiam* adpellant, ac tandem simul spectatae unum quoddam constituunt, quod *substantia completa*, vel etiam sine ullo addito *substantia* nuncupatur. Porro substantiales formae duplicis sunt generis, *spirituales* aliae, velut mens humana, si quoad corpus, cum quo copulata est, consideretur, quae tamen in se spectata est substantia completa; et aliae *materiales*, quarum illae nonnisi per creationem existunt, nec pereunt nisi per annihilationem unde solius

---

(*a*) *Phys. part.* 3. *disput.* 4. *q. unica. de Brutorum anima.*

solius Dei opus sunt ac esse possunt, istae vero per simplicem productionem ex potentia, seu, ut ajunt, de sinu materiae educuntur, suaque existentia per simplicem destructionem privantur; unde esse possunt ac sunt etiam creaturarum opus. Praeter substantiales materiales formas, alias quoque astruunt Peripatetici, quas vocant *accidentales*. In eo a se invicem discriminantur, quod materia per substantialem formam sibi acquirit *specificam*, ut dici solet, determinationem, adeo ut ab alia materia, quae formam illam non habet; *specie* sive *essentialiter* differat; veluti est illa plantae forma, ob quam planta ipsa ab aqua ceterisque corporibus, quae plantae non sunt, specifice est diversa. At per formam accidentalem corpus jam per substantialem formam in sua specie constitutum ac determinatum, iterum sed *accidentaliter* tantum determinatur, et accidentaliter differt ab alio corpore quod forma illa caruerit, veluti esset paries, cui accesserit color ruber vel flavus. Forma substantialis est in subjecto per *informationem*, ac esse dicitur velut aliarum omnium formarum accidentalium fons radix origo; accidentalis vero inest in subjecto per *inhaesionem*. Ut itaque ad rem nostram proprius accedamus: brutorum anima dicitur *substantia*, utique incompleta, cum sit brutini corporis forma substantialis. *Materialis*, cum ex potentia seu de sinu materiae educatur, *Capax materialis perceptionis*, cum ipsa materialis sit, neque proinde nisi materialem perceptionem, quae eidem adscribitur, producere possit. *Ex intrinsecis suis ordinata ad corpus brutorum per modum formae substantialis, quae eidem motum, et vitam tribuat*, cum ita sit a natura comparata, ut esset intrinseca viventis bruti pars ad ejusdem essentiam pertineret, essetque in bruto ipso omnium vitalium operationum principium et radix. *Cum corpore* demum *constituit unum compositum*, adde *per se*, non *per accidens*, ex corpore et anima tamquam ex materia et forma substantiali certum quoddam compositum, seu totum integrum et perfectum brutm coalescat, cujus quidem generis compositum dici *unum per se* a Peripateticis solet (*Ontol.* §. 72.) Hisce praemissis facile constat

Sensus quaestionis.

584. Duo hoc loci inquiruntur: alterum an brutorum anima sit communis materia, scilicet substantia iners, extensa divisibilis, aliisque notis corporis attributis ac proprietatibus

bus donata? et alterum an saltem sit materialis eo in sensu, quem eidem affingunt Peripatetici (§ 583.)?

Opiniones.

585. Ad primum quod attinet, non defuerunt, qui animam brutorum esse veram proprieque dictam communem materiam sed aliqua cognitione praeditam arbitrarentur. Non conveniunt tamen in definiendo, quaenam sit praecisa hujusce materiae natura. Flammulam esse putat Petrus Gessendus (*a*), et Bernierius; ignem Henricus Fabri (*b*), ac Tomas Willis (*c*) atmos materiales Epicurei et Democritici: alii vel sanguinem, vel spiritus animales, vel demum materiam universim spectatam.

Quod pertinet, ad alterum, compertum est, fere omnes de Schola Philosophos negare quidem brutorum animam esse *materiam* aut *corpus*, asserere tamen, *corpoream* esse et *materialem*, hoc est, substantialem illam materialem formam de qua superius (§. 583.) paullo diligentius disseruimus. Neque vero aliquis contradictionem, inquiunt, hac super re subodoretur. Quaevis corporis vires *materiales* sunt et *corporeae*, non tamen *corpus et materia*. Hinc sequitur, brutorum animam esse divisibilem, non quidem *per se*, cum ejus partes non sint materia, sed per *accidens*, hoc est ratione corporis brutini, per quod diffusa est, cuique coextenditur, non equidem ut mens nostra, quae, si ipsos audias, est tota in toto, et tota in qualibet humani corporis parte (*Psychol.* §. 283.), bene vero ita, ut una animae pars uni, et altera alteri brutini corporis parti respondeat. Partes animae belluinae, sive homogeneae, idest ejusdem naturae sint, ut quidam putant, sive heterogeneae, hoc est diversae naturae, ut aliis placet, dicuntur *integrantes*, quod nempe, uti explicat P. Poncius; se mutuo per modum actus seu formae et potentiae sive materiae nequaquam perficiant. Nihil igitur mirum, si anima belluina ad corruptionem corporis et ipsa corrumpatur.

PROPOSITIO. I.

Brutorum anima non est communis materia.

586. *Pr.* Brutorum anima precipit, sentit, dolet (§. 567 et

(*a*) *Phys. sect.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3.

(*b*) *Lib.* 5. *de generat. animal. prop.* 60.

(*c*) *De anima Brutorum cap.* 2.

et seq.) At perceptio nequit nisi substantiae physice simplici convenire (*Psychol.* §. 15.) Igitur physice simplex est anima belluina; atque ideo non extensa, non divisibilis, non communis materia de qua disputamus. Quod si dixeris, ipsam esse materialem substantiam pysice simplicem, quale esset unum ex omnium primis corporum principiis, quae physice simplicia a nonnullis eixistimantur, nihil omnino proficis: si enim simplex haec substantia est communis materia, jam ejus perceptio non esset nisi motio, quod non diffitentur Materialistae. Ergo cani et panis exhibeatur et baculus, quo percutiatur, si panem sibi arripiat. Duae distinctae ideae seu perceptiones, et quidem diversae aut etiam contrariae in canis anima eodem tempore excitantur. At diversi et contrarii locales motus in una eademque simplici substantia produci atque esse simul non possunt. Immo vero laudatus canis ne percipere quidem posset integrum panem, qui eidem repraesentaretur. Nam pars una panis non est equidem altera, et una ab altera aliqua ratione discriminatur. Itaque unaquaeque pars motum suum peculiarem diversumque eodem tempore excitabit in canis anima, quae proinde diversis motibus directionibusque eodem temporis momento ferri oportebit; quod omnino repugnat. Igitur brutorum anima non est communis materia Q. E. P.

PROPOSITIO II.

Brutorum anima esse nequit in Peripateticorum sensu materialis.

587. *Pr.* 1. Materialis substantialis forma extensa est ac divisibilis (§. 583. At brutorum anima esse non potest nisi physice simplex (§. 586.).

2. Laudata forma non equidem per sese existit: aliter enim esset vera ac proprie dicta substantia, eaque completa quod negant Peripatetici (§. 583.) Existit ergo in brutino corpore et per corpus brutinum, estque ejus vel attributum, vel proprietas, vel demum qualitas accidentalis. neque enim aliud, opinor jure confingi potest. Sed quidquid sit, certe est aliquid, quod in brutino corpore tamquam in suae existentiae subjecto insit, atque ideo corpus brutinum est quod percipit quod dolet quod recordatur: nam proprie subjectum dicitur operari, si per vires qualitatesque, quas in se tamquam in

exi

existentiae subjecto habet, operetur. Caveant ergo Peripatetici, ne in castra Materialistarum, quos ceteroqui vexant, vel nolentes descendant.

3. Cum haec materialis brutorum anima e sinu materiae naturali creaturarum vi educatur, ejus profecto sufficiens ratio vel in materia, ex qua educitur, vel in caussa, quae illam educit ex materia, vel demum in utraque simul continetur. Non equidem primum. Nam materia, ex qua belluina anima educi asseritur, nullam cognoscendi vim habet, et quevis aliae, si quas habet, vires sunt certo certius cognitione ignobiliores. Si itaque laudata brutorum anima, quae est cognoscendi vi praedita, sufficientem sui rationem in materia, ex qua educitur, haberet; effectus esset sua caussa nobilior; quod omnino repugnat (*Ontol.* §. 266.). Sed neque alterum. Quippe caussa, quae brutinam animam e materiae sinu educeret, esse nequit nisi vel femina vel mas vel uterque simul, dum de novo compingunt filiorum corpusculum vel saltem evolvunt. At vires, quibus ad id operis utuntur, non sunt nisi vires motrices, quae, quatenus insunt in materia, neque sunt ipsa anima brutorum; neque cognoscendi vi donantur, neque demum producunt nisi motum. Essent igitur anima filii, quae cognoscendi vim habere supponitur, ignobiliores, neque proinde vera atque efficiens ejusdem brutinae animae caussa. Non tandem postremum. Nam si belluinae animae sufficiens ratio neque in materia, ex qua educitur, neque in caussa, quae illam educit ex materia, continetur; profecto ne continetur quidem in utraque simul, praesertim cum neutra sit ac dici possit partialis caussa vis cognoscendi, quae residet in educta brutorum anima: utraque enim quavis cognoscendi vi prorsus destituitur, Quae cum sint brutorum anima esse nequit etc, *Q. E. P.*

Objecta diluuntur.

588. *Ob.* Innumeris probatissimisque experimentis constat, quaedam bruta in partes discissa adhuc vivere. Scribit Cl. Scipio Maffejus (*a*), polypum aquae dulcis in duas partes discissum duos perfectos polypos evasisse, uti observavit Trembley (*b*). Reaumurius idipsum in lumbricis terrestribus expertus est; immo vero una lumbrici pars caudam, caput

(*a*) *Della formazione de' fulmini Lettera* 12.

(*b*) *Memoir. pour servir à l' hist. d' un genre des polyp.*

put autem altera produxit. Quidam vermes in tot vermes paucis diebus concrescunt, in quot partes ipsi secantur, uti prae aliis Romae tentavit P. Alexander Mazzoleni. S. etiam Augustinus refert (*a*) bestiolam quamdam multipedem in duas partes secatam, duas bestiolas easque perfectas evasisse, vixisseque diu perinde ac si ita natae fuissent. Auctor est Pardiesius; scarabaeum vixisse ultra mensem, truncato etiam capite, volasse quoque, aliosque motus edidisse. Item muscae capite abscisso volant, resactoque collo ambulant gallinae; immo refert Galenus apud kell (*b*), oves, aliasque victimas, diviso pectore cordeque avulso, non solum edidisse balatus, sed fugam etiam arripuisse. Sit itaque argumentum, Quod est divisibile in partes, est materiale; atqui brutorum anima est in partes divisibilis: ergo est materialis.

589. R. Ad hoc argumentum, quod tanti faciunt non solum Peripatetici et Gassendistae, sed Cartesiani quoque, non una est penes Auctores responsio. Imprimis nihil nos movet, quod postremo loco de ovibus, gallinis, et muscis objiciebatur. Haec animalia non vere ac proprie vivere, divulso corde aut truncato capite dicenda sunt, sed tantum motus aliquos per breve tempus vi spirituum animalium, aut musculorum nervorumque irritationibus edidisse. Ad scarabaeum quod attinet, dici etiam non immerito posset, ipsum non in capite, sed vel infra ipsum, vel in alia corporis sui parte habere sensorium commune (quod etiam de aliis quibusdam insectis asseri posse videtur). Hinc poterat edere motus suos quoad alimenti defectu plane defecerit.

590. Majorem haud dubie vim habent insecta, quae in partes discissa re ipsa ac diu vivere observamus. Quidam apud Hauserum putant, laudata animalia esse veluti quoddam plurium animaleulorum receptaculum. Lumbricos ex pluribus anulis constare una communi contectis membrana, quorum quilibet suum habet cor, pulmones, celebrum, verbo, organa omnia, quae animalis propria sunt, testis est Vallisnerius. Itaque lumbricus unum quidem apparet animalculum, sed tamen plura simul juncta re ipsa complectitur, uti *cucurbitini vermes*, qui in humano corpore generantur, et pisciculi quidam.

(*a*) *Lib. de quant. animae cap.* 31. *n.* 62.
(*b*) *Phys. tom.* 2. *disp.* 5. *art.* 1.

quidam, *Psettae* appellati, de quibus Plato (*a*), quique in duas partes divisi, quarum quaelibet est perfectum individuum; ut observavit Para (*b*), duo pisciculi evadunt. Polypos ad certam usque magnitudinem matri patrique adhaerescere deprehendit D. Reaugurius. Maffejus (*c*), Sennertus (*d*), et Sbaraglius (*e*), laudata in argumento phaenomena explicant, quatenus sicuti habentur plantae, quarum ramuli et fructus sunt totidem plantulae, ita quaedam animalium partes, si a se invicem separentur, velut totidem foecundata ova spectari possint ac debeant, quod quidem Kirckeri experimento confirmari posse videtur. Lumbrici antea exsiccati, tum in lateritia concha terrae pinguis et dulcis plena positi aspersique aqua pluviali, intra tres vel quatuor dies in plures lumbricos pullulant. Si iidem jam arescentes dividantur in partes, ac terrae inserantur, magna post pluviam habebitur copia lumbricorum. Tandem non desunt, qui dubitent, an polypi ad animantia, an potius ad veras plantas sint referendi.

Nos porro, cum quaedam insecta in argumento laudata et procul dubio sint animalia, et partes, in quas divisa sunt, statim vivant, quod sane non fieret, si mera ac rudia essent ovula, eam iccirco subnectimus responsionem, quae, nostra quidem sententia, et aliis responsionibus vim nullam detrahit, et difficultatis nodum omnem dissolvit. Certum est itaque, singulas partes, in quas insecta illa dividuntur, quaeque integra suoque in genere perfecta animalia evadunt, iis omnibus instructa esse organis, quae ad vitales animalesque functiones exercendas necessaria sunt atque idonea: aliter enim functiones illas haud equidem exercerent re ipsa, neque essent animalia. Sicuti igitur statutum a naturae Auctore sapientissime est, ut foecundatis ovis aptisque ad functiones suas novae infundantur animae, quod hoc loci supponimus; ita eidem naturae ordini plane consentaneum videtur, ut Deus novas animas iis animalium partibus, in quas discerpta fuerint, tum primum concedat, quum fuerint ad illas ipsas functiones exercendas idoneae; nam par est utrobique ratio.

Quare

(*a*) *In laudatione Aristophanis*.
(*b*) *Elem. Met. n.* 346.
(*c*) *loco citato*.
(*d*) *Hypomnemate* 4. *cap.* 8.
(*e*) *De anima Brutorum disp.* 13. *cap.* 2. *sect.* 7.

Quare sive partes animalculi adhuc simul junctae, sint totidem animalcula, quorum proinde quodlibet anima sibi propria donetur, sive dissociatae vel statim post separationem vel paullo subinde in animalia concreverint, iisque singulis singulas animas adnectat Deus; manifeste liquet, brutorum animam non esse in ullas partes divisibilem.

591. *Inst.* Nisi belluina anima divisibilis sit in partes, esset simplex, aliunde cognoscendi vim habet; quod autem et simplex est, et vi cognoscendi donatur, est *spiritus*: igitur brutorum anima esset spiritus, ac jure dici deberet. Sed hoc affirmari nullatenus potest: ergo etc.

592. ℟. Non una est hac super re opinio. Leibnitius quatuor distinguit simplicissimas et inextensas substantias, quas *monadas* adpellavit. Prior monas ea est, quae *simultanee clare, et distincte omnia possibilia* sibi *raepresentat*, qualis est Deus; altera, quae sibi repraesentat mundum *clare* quidem et *distincte*, sed successive, neque omnia omnino possibilia, qualis est mens humana: tertia quae mundum ipsum sibi repraesentat non tamen *clare*, sed tantum *confuse*, eamque esse docet animam belluinam: postrema tandem quae dumtaxat vi motrice, quam *formam substantialem* vocat donatur, qualia sunt omnium prima corporum principia. Alii universim putant, brutoum animam esse substantiam, quae materiam inter et spiritum mediet. Esse *spiritum* docent alii, uti plures veteres recentioresque, quin et S. Bernardus (*a*), Gregorius Magnus, (*b*), aliique Patres mente tamen humana longe inferiorem. Alii demum opinantur, ipsam esse spiritum, si *spiritus* nomine ea etiam substantia intelligatur, quae cogitat quidem, sed tamen neque rationae praedita est, neque libertate; sin autem ea tantum intelligenda sit substantia, quae ratione donatur, uti Wolfii Needhami, et Bossueti sententia est, belluinam animam esse ajunt antea laudatam substantiam *mediam*. Sed lis de nomine est, quam fugimus cane pejus et angue. Si itaque concesseris, brutorum animam non esse communem materiam neque materialem in Peripateticorum sensu, sed physice simplicem, vique donari eliciendi operationes sensitivas, non tamen ratione ac libertate, contenti plane sumus, neque ullum erit jurgium de eo nomine, quodcumque demum fuerit quo volueris eamdem appellare.

(*a*) *Serm.* 5. *in Cantica n.* 3. *et* 4. (*b*) *Lib.* 3. *Dialog.*

593. *Inst.* Brutorum anima sive spiritus sit ac dici possit sive non; profecto, cum esse statuatur substantia simplex, quae perire nisi per annichilationem non potest, ac sit cogitans; esset quoque *natura sua* immortalis; quod asseri de eadem non potest. Quod si per annichilationem a Deo destruitur, precipuum eripitur immortalitatis mentis nostrae argumentum, quod in natura substantiae simplicis et cogitantis fundatur, inquit P. Ferrari (*a*). Tum Deus vim aliquam inferret ac violentiam animae belluinae, inquit idem Auctor. Deinde Deus esset mutabilis: nam brutorum animas vix creatas in nichilum redigeret, dum materiam ceteroqui conservat, uti observavit Darmansonius apud Bayle (*b*). Postremo rectus rerum ordo non servaretur, dum brutorum anima, quae esset nobilior quovis corpore, in gratiam alterius corporis, puta anima muscae in gratiam aviculae, cujus nutritioni musca ipsa inservit, destrui oporteret.

594. R. Ut substantia aliqua creata sit vere ac reapse immortalis, necesse est 1. quod natura sua semper extitura sit: 2. quod semper sit victura: 3. demum quod Deus ipsam velit aeternum conservare (*Psycol.* §. 58.). Anima brutorum cum sit substantia physice simplex, proindeque perire nisi per annichilationem non possit, est quoque natura sua semper extitura, uti etiam alia quaevis substantia; eidem tamen a corpore separatae deesset vita, quae est altera eaque necessaria ad immortalitatem conditio. Sane vita actualis, de qua sermo hoc loci est, in actuali immanente operatione consistit (*ibid.* §. 56.) At brutorum anima cum nisi facultatem eliciendi sensitivas operationes non habeat, post mortem corporis sicuti quibusvis sensibus, ita etiam sensationibus, atque ideo actuali vita omnino privabitur. An porro Deus eo fine velit belluinas animas a corpore separatas ad tempus conservare ut pereuntibus quibusdam corporibus, in quibus inerant, cum aliis corporibus easdem copulet, et quamdam veluti transmigrationem statuerit, nihil nostra. Nam in hac etiam hypothesi tandem aliquando erunt destruendae, quum nempe hominibus ex hoc Mundo sublatis, sicuti nulla futura sunt animalia, quae eisdem inserviant, ita nullae amplius essent futurae animae, quae brutorum corpora informent.

Hinc

(*a*) *Phys. part.* 3. *disp.* 4. *q. unica.*

(*b*) *Diction. etc. art.* Rorarius *Rem. C.*

595. Hinc etiam patet latissimum, quod ratione immortalitatis inter hominum animas et animas brutorum intercedit discrimen, uti etiam alibi adnotavimus (*ibid.* §. 97.) Non itaque per mortalem brutinae aimae conditionem eripitur precipuum immortalitatis mentis nostrae argumentum.

596. Neque majoris sunt ponderis, quae subjiciebantur. Deus est supremus liberrimusque rerum omnium dominus. Nullam igitur vim ac violentiam, quae ipsum dedeceat, inferret animabus belluinis, si eas annichilaret praesertim cum ex temporaria illarum existentia fines omnes, quos in earum creatione sibi prefixit, ex asse assequeretur.

597. Ne minimum quidem mutatur Deus dum recens creatas brutorum animas suisque functas officiis in nihilum redigit: nam hoc ipsum praestituerat ex eternitate.

598. Non est equidem anima bruti, quae nutriat alterius bruti corpus, sed materia, quam illa informat. Quod autem una materiae pars inserviat alteri, totiquae demum universo, est ordo sapientissimus Deoque plane dignus. Quod si ut hic ordo servetur, necesse sit, quod aliquae pereant brutorum animae, nihil sane mirum, cum animae ipsae toti universo, cujus sunt partes, subordinentur.

599. *Dices*. Si belluina anima esset immaterialis, esset quoque nobilior corpore; cum autem ipsa ad sui corporis conservationem ordinata sit, profecto nobilius haberet pro fine id, quod est minus nobile. Hoc porro rerum naturae atque ordini manifeste adversatur. Ita fere Malebranchins (*a*).

Addi etiam possunt sacrae Scripturae. Legitur enim (*b*): *producat terra animam viventem in genere suo*: quod autem terra seu materia producit, non est nisi materiale. Sane quod ad hominis creationem ita Deum loquentem inducit Moses (*c*): *facimus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*: quasi diceret, solum Deum fecisse hominis animam, animam autem brutorum a terra fuisse generatam. Docent praeterea sacrae ipsae Litteræ brutorum animam sanguinem esse (*d*), vel esse in sanguine (*e*).

(*a*) *Deffense contre l'accusation de M. de la Ville*.

(*b*) *Gen. cap.* 1. *v.* 24. (*c*) *Ibid. v.* 26.

(*d*) *Deuteronomii cap.* 12. *v.* 23.

(*e*) *Levitici cap.* 17. *v.* 11.

600. ℟. *ad* 1. Nulla materia est sui ipsius finis, multoque minus corpus organis instructum, quale est belluinum. Itaque brutorum corpus ad ejus animam ordinatur: ideo enim tam mire fabrefactum fuit, ut animae tamquam ejus instrumentum inserviret. Nec mirum si anima quoque aliqua ratione ordinetur ad corpus brutorum; est enim ejus forma, quae ipsum regat ac moderetur. Haec eadem etiam in homine, cujus anima est proprii corporis forma, observamus, neque tamen dixeris, rerum propterea naturam atque ordinem vel minimum violari.

601. ℟. 2. *ad* Saepissime in Scripturis per *synecdochen* sumitur pars pro toto. Hoc idem usurpavit Moses in objecto Geneseos testimonio; scilicet verba illa. *animam viventem* totum signficat perfectumque animal. Hinc quaedam animalium species, *jumenta*. *reptilia*, *bestiae terrae* immediate subduntur. Restat igitur inquirendum an terra non solum corpus, sed etiam brutorum animam produxerit? Loquens idem Moses de volatilium ac piscium produtione, inquit (*a*): *creavitque Deus cete grandia*, *et omnem animam viventem*, *atque motabilem*, *quam produxerant aquae* . . ., *Et omne volatile*. Quorum sane verborum sensus esse videtur, Deum creasse horum animalium animas, quorum corpora aquae produxerant, vel ut aliis placet, quorum corpora ex aqua tamquam ex caussa materiali eduxerat idem Deus. Profecto ubi de plantarum productione sermo est, non dicitur Deus ipsas *creasse*, sed tantum legitur: *germinet terra herbam virentem* . . . *Et protulit terra herbam virentem* (*b*). Itaque objecta in argumento verba intelligi ita commode possunt aut etiam fortasse debent, ut terrae brutini tantum corporis productio, creatio aut animae uni Deo attribuatur.

602. Verborum diversitas; quibus bruti et hominis creationem significavit Moses, innuunt tantum excellentiorem ipsius hominis conditionem, dotes, naturam; tum plane singularem modum, magnificentiam, amorem, quo hominem prae aliis quibusque animantibus Deus creavit.

603. Denique *anima* in Scripturis non semel *vitam sensitivam et animalem* significat. Cum igitur ad eam maxime conferat

(*a*) *Genes. cap.* 1. *v.* 21.
(*b*) *Ibid v.* 11. *et* 12.

ferat sanguis animalis , ideo animantis anima sanguis esse dicitur , vel in sanguine collocatur , uti etiam docet S. Augustinus (a). Sensus vero mysticus , qui potissimum in objecto Levitici testimonio elucet , est quod sanguis brutorum offerri debebat pro peccatis ; subditur enim: *ego dedi illum* (sanguinem) *vobis , ut super altare in eo expietis pro animabus vestris , et sanguis pro animae piaculo sit . Idcirco dixi filiis Israel : omnis anima ex vobis non comedet sanguinem* . Nullum itaque praesidium ex Sacris Scripturis comparare sibi possunt de Schola Philosophi .

QUÆSTIO IV.

Utrum Brutorum anima ratione proprie dicta , atque indifferentiae libertate sit praedita ?

604. *Schol.* Ne camdem repetamus crambem , revocanda huc sunt ea omnia , quae de *ratione proprie dicta* , deque *indifferentiae libertate* alias copiose disseruimus (*Psychol.* §. 386. 387. *et* 540. *et seqq.*)

Sensus quaestionis .

605. Duo in rerum praesentia investigamus : 1. an brutorum anima ratione proprie dicta ; 2. an libertate indifferentiae sit exornata ?

Quid senserint Philosophi .

606. Quidam ex antiquis , quibus accedunt quique Pantheistae , adeo desipuerunt , ut etiam brutorum animam esse Deum ipsum vel ejus partem aut modificationem putarent , uti ex Virgilio edocemur (*Psycol.* §. 140.), eique propterea saltem rationem concederent . Sed furunt : quid enim hoc systemate absurdius ? ergone Deus per essentiam suam atque ex eternitate perfectissimus beatissimusque voluptatibus sensibilibus doloribusque in tempore et successive vel fruitur vel excruciatur ? P. Bougeantius Jesuita joco , ut opinor commentus est , brutorum animas esse *daemones* , cujus quidem sententiam postea expendemus . Mitiores fuerunt , qui animas belluinas esse opinati sunt mentes ipsas humanas , quae ab hominibus ad bruta et a brutis ad homines transmigrarent (*Psychol.* §. 176.) . Sunt etiam , qui arbitrentur

(a) *Quaest.* 57. *in Leviticum* .

trentur brutorum animas licet a Deo, a daemone, et nostris distinctas, habere tamen rationem. Eminent inter veteres Strabo, ut testatur Plutarchus (*a*); Anaxagoras, ut refert Aristoteles (*b*); Philo, qui teste Eusebio (*c*), librum de ratione, quam habent animalia, conscripsit: inter recentiores vero Hermannus Riswich Batavus, Michael Montagne, Carolus Bonnetus, Marchio d'Argens, prae ceteris autem Hieronymus Rorarius in Opere, cui titulus, *quod animalia bruta saepe ratione utantur melius homine* (*). Rationem brutis concessisse videri etiam possent nonnulli Ecclesiae Patres, Basilius (*d*), Arnobius (*e*), et Lactantius, quorum postremus (*f*), rationem brutis aeque atque hominibus datam fuisse scribit, nosque sola Religione a brutis distare (*g*). Verum id oratoria potius libertate dictum quam rigida verborum significatione putaverim: nam probe noverant ex divinis Scripturis, equo et mulo, ceterisque proinde brutis non esse intellectum, Quidquid tamen sit, alii quique Philosophi rationem proprie dictam ac veram libertatem brutis denegant.

607. *Schol.* Non desunt, dum rationem proprie dictam negant brutis, eisdem tamen rationem quamdam, ut ajunt, imperfectam concedunt, *analogum et vicarium rationis* (*Psycol.* §. 395.), *expectationem casuum similium* (*ibid.*), ratiocinationis *umbram* seu *syllogismos* quamvis admodum imperfectos, de propriis perceptionibus *conscientiam*, atque id genus alia. At non sane intelligimus, qui sibi omnino cohaereant nam unas, ut videtur, sensitivas operationes brutis adjudicant; aliunde operationes laudatae non utique sunt mere sensitivae, uti perspicuum per se est. Ceterum ex dicendis constabit, id genus actiones non requiri in brutis, ut eorum effectus satis commode explicentur.

(*a*) *De solertia animalium*.

(*b*) *Lib.* 1. *de anima cap.* 1. *textu* 31.

(*c*) *Lib.* 2. *cap.* 2.

(*d*) *Homil.* 8. *et* 9. *in Hexameron*.

(*e*) *Lib.* 2. *adversus Gentes*.

(*f*) *Lib.* 3. *Institut. cap.* 10.

(*g*) *De ira Dei cap.* 7.

(*) *Plures alios tum veteres cum recentes, qui hoc idem senserint; recenset Petrus Bayle* (Diction. etc. art. *Rorarius* Rem D. et K.)

PROPOSITIO I.

Brutorum anima Ratione proprie dicta plane destituitur.

608. *Pr.* 1. Nullum est operae pretium, ut brutis rationem proprie dictam adscribamus: nam vel eae ipsae actiones rationalibus persimiles, quas ipsa edere interdum videntur, explicari sine ullo rationis exercitio non incongrue possunt. Sane infantes nostri ad rationis usum non adhuc venti, calliditatem ac prudentiam, non secus ac bruta adulta indicant quandoque, nec tamen nisi per solam sensitivam propensionem aversationemque operantur. Cur, queso, non idem dicendum de brutis? Cum itaque vires nullae nullaeque potentiae multiplicandae sint sine necessitate, animae belluinae deneganda profecto est ratio proprie dicta.

2. Bestiae vix natae, vel saltem brevi emenso a nativitate temporis spatio, calliditatem, industriam, prudentiam, aliasque actiones, quae a ratione proficisci videntur, excercent. Quare si actiones illae a ratione re ipsa proficiscerentur, dici oporteret, easdem usu rationis vel tum praeditas esse et quidem sine ulla institutione, commercio, aliisque id genus mediis, quibus homines sibi acquirere usum rationis solent ac debent; brevius, rationis usum ab ipsa una natura haberent. Essent igitur specialiori modo nobiliorique a Deo potissima excellentissimaque hac dote exornatae, quam homines, qui neque statim post nativitatem habent usum rationis, neque eum, nisi commercio, studio, institutione, ac labore possunt sibi comparare: quod quidem nemo unus, opinor, sanae mentis venditaverit.

3. Rationis proprie dictae indicia sunt: 1. Scientiarum, artiumque, atque earum potissimum, quae sunt abstractae, vel in abstractis universalibusque innituntur principiis, acquisitio: 2. Diversus pro diversa aetate, et quidem perfectior pro perfectiori operandi modus: 3. Denique nova semper inventa et excogitata. Adeo perspicua haec sunt ex ipsis hominibus, ut nihil magis. At his omnibus rationis indiciis bruta destituuntur. Priori quidem: nam quae ediscunt bruta, non sunt abstracta, neque in abstractis universalibusque principiis innixa, non Arithmetica, non Geometria, non Algebra, non Metaphisica, non Ethica, neque id genus alia, sed tantum quae sub sensus cadunt, et quidem non per abstra-

ctiones,

ctiones , reflexiones , veritatumque cum aliis veritatibus connexionem , sed per verberationes , sensationes , ac sensibilia signa . Externas quasdam hominum actiones , quae rationis ope ab iisdem fiunt , imitantur ; sed qui sit finis , quae utilitas , qualis cum aliis relatio nexusque , plane ignorant . Ita profecto simius ille , qui barbitonsorem , quem sibi ipsi barbam radere observaverat , imitari volens , proprium guttur dissecuit : vel alter , qui cum explodi magnum tormentum bellicum pluries vidisset , ignem et ipse eidem applicuit , tum per illius os introspiciens , tormento ipso bellico tandem oxploso , periit .

Carent quoque altero rationis indicio . Bruta eumdem semper constanterque servant operandi modum ordinem ac methodum , nisi forte hominum magisterio , non tamen ope rationis , ut antea dicebamus , aliter ediscant . Eodem plane modo operantur adulta , quo vel a teneris unguiculis , paucisque quandoque a nativitate diebus operari solerent . Unius ejusdemque speciei aves eosdem nidulos , ex eadem materia , eadem forma , iisdemque in locis construere perpetuo observamus . Idem quoque est modus , cibusque , quo pullos alunt ; idem sonus , quo eos vocant ; eadem status conditio . Idipsum de aliis quibusque unius ejusdemque generis brutis animantibus dictum intelligatur .

Postremo nullas novas artes scientiasque inveniunt ; nulla nova cudunt systemata , aut vivendi regulas ; nullas novas ac varias costruunt vel adhibent machinas et istrumenta ; nullis novis utuntur vocibus , ut suos internos sensus significent . Si aliquid novi quandoque exercent , non brutorum inventum est , sed hominum , qui bruta ipsa ad proprium usum utilitatemque adigunt , paullatimque assuefaciunt , ut istituto per sensationes magisterio sese accommodent . Cum itaque precipua rationis indicia brutis deesse compertum sit , ratio ipsa temere prorsus eisdem concederetur , dicendumque propterea quod eorum anima ratione proprie dicta plane destituitur . *Q. E. P.*

PROPOSITIO II.

Brutorum anima destituitur etiam indifferentiae libertate .

609. *Pr.* Indifferentiae libertas , ut exerceatur , non modo ab intellectu , sed etiam ab ipso rationis usu dependet , scilicet

licet a consultatione, reflexione, judicio, examine, advertentia, comparatione, similibus (*Psycol.* §. 582), adeo ut si principium cognitione praeditum caeco impetu, ac velut innato tantum pondere feratur in bonum, vel malum aversetur, *sponte* quidem, sed non *libere* velit, uti in pueris ad usum rationis non adhuc ventis evenire scimus, qui proinde, Philosophis omnibus consentientibus, nullo verae libertatis usu donantur. Jam vero brutorum anima ratione destituitur (§. 608.). Non itaque libertatem exercet, vel exercere potest. At hoc ipso dicendum plane, Deum eamdem brutis non concessisse: si enim facultas illa ne potest quidem in actum exire, esset plane inutilis, proindeque Deus si eam dedisset brutis, aliquid omnino frustra molitus fuisset; quod quidem de Deo asseri nullatenus potest. Igitur brutorum anima destituitur etiam indifferentiae libertate. *Q. E. P.*

Adversariorum momenta expenduntur.

610. *Ob. contra prop.* 1. Observamus, canem agnoscere, lupum sibi esse inimicum et malum, unde ipsum fugit; proprium autem herum amicum sibi esse et bonum, unde eidem adblanditur; quae quidem cognitio esse in cane non posset, nisi intercedens amicum et bonum inter, et inimicum et malum oppositio dignosceretur, aliunde vero hujus oppositionis cognitio ad rationem procul dubio pertinet. Sit itaque argumentum. Quod amicum ab inimico, et bonum a malo distinguit, rationem habeat necesse est; atqui bruta amicum ab inimico, et bonum a malo distinguunt: ergo etc.

611. ℟. Amicum ab inimico, bonum a malo distinguunt bruta non per *objectivam reflexionem*, qua scilicet objectorum qualitates scrutentur, expendant, comparent inter se, eorumque cum propria natura convenientiam vel discrepantiam agnoscant, quod quidem rationem expostularet, bene vero per *simplicem cognitionem sensibilem*, ob quam fit, ut in objectum propriae naturae inclinationique consentaneum innato veluti pondere ferantur, contrarium autem aversentur, quin oppositionem ullam amicum et bonum inter et inimicum et malum, quidque discriminis inter ea intersit, dignoscant. Ita in cane ad heri sui praesentiam excitatur materiale phantasma pûta panis alias eidem oblati, quod iterum percipiens adigitur, ut hero ipsi adblandiatur. Exemplo sint infantes nostri usum rationis necdum assequuti.

612.

612. *Inst.* Canis ita eruditur, ut etiam contra naturalem suam inclinationem operetur, velut quum discit, aves, quas appetit natura sua, et servare et ad venatorem deferre. Sic itaque urgetur difficultas. Bruta ad operandum contra naturalem etiam inclinationem erudiuntur; atqui erudiri ad operandum contra inclinationem naturalem non possunt, nisi per *reflexionem objectivam*: ergo etc.

613. ℟. Non per *ideas abstractas*, neque quoad objecta insensibilia erudiuntur bruta. Profecto si millies universalia principia ac ratiocinia evidentissima adhibueris, aut de rebus, quae sub sensus non cadunt, eadem erudire tentaveris, ne hilum quidem proficies. Erudiuntur itaque per solas res sensibiles sensationesque, per verbera, cibum, blanditias, minas, aliaque id genus media, et quidem quoad objecta sensibilia tantum et singularia. Camelus in loco, cujus pavimentum sit calidum, includitur, cogiturque vi caloris crura alternatim movere atque attollere. Tympanum pulsatur interea, paullatimque assuescit, ad illius sonum ordinate pedes elevare, agereque speciem chorcae. Non plane absimili ratione etiam infantes nostri de quibusdam sensibilibus rebus erudiuntur.

614. *Inst.* Canis praeteritas verberationes aut blanditias cum praesentibus conjungens circumstantiis defert aves ad venatorem; aut etiam pro acceptis bonis herum suum in miseriis quoque periculisque non deserit, sperans se aliqnid boni etiam in posterum accepturum. Sic itaque rursus urgetur difficultas. Praeterita cum presentibus, aut etiam cum futuris conjunguut. bruta; hoc autem fieri nisi per *ideas abstractas* non potest: ergo ec.

615. ℟. Bruta non concipiunt praeteritum, praesens, et futurum sub praeteriti, presentis, et futuri ratione, bene vero tamquam res sensibiles, quae actu eorum animam afficiunt, uti etiam infantes nostri. Apparens autem objecta connexio non adeo difficilis explicatu videtur. In bruti, sicuti in hominis cerebro (*Psychol.* §. 499.), materialia imprimuntur rerum sensibilium phantasmata, perseverant quoque, atque iterum ad rei praesentiam, quae cum praeteritis illis connexa est, excitantur. Haec itaque omnia rursus percipiunt bruta, et juxta ipsa solis naturalis appetitus egibus eliciunt actiones suas. Porro spes de futuri boni aquisitione gratis confingitur in cane: fieri enim potest, ut

non

non intentus finis, sed tantum objectum presens ac vetera phantasmata rursus excitata canem ipsum penes herum suum in miseriis periculisque constitutum detineant.

616. *Inst.* Si haec fierent ab homine, fierent equidem, quatenus ipse praeteritum, praesens, et futurum sub praeteriti, praesentis, et futuri ratione perciperet; atqui ex similibus effectibus similes conjiciendae sunt caussae ergo illud ipsum dicendum est etiam de brutis.

617. ℞. Quum plures diversaeque caussae eosdem vel similes effectus producere aeque possunt, non statim ex iisdem vel similibus effectibus eadem vel similes caussae coniiciendae sunt, sed expendendum praeterea, quaenam inter caussas illas ea sit, quae laudatos effectus re ipsa producat, Ad rem itaquae - Nonnulla efficiunt bruta, quae etiam homines et quidem per rationis usum efficiunt. Verum ut bruta quoque eadem efficere per usum rationis jure dicamus, oportet investigare, an ea fieri sine ratione possint, necne? tum, si quidem fieri sine ratione possent, an aliunde constet brutorum ratio? postremo, si haec ratio brutorum constaret, an re ipsa peragantur ex ratione? Aliter enim dici merito posset, herbam *sensitivam* non modo sentientem animam, sed etiam rationalem habere ex quo retrahat folia, si eisdem manus admoveatur, sicuti per usum rationis manus suas a re aliqua sibi noxia homo retraeret; aut infantem et somnambulum ubi rationis usu, dum ea efficit, quae efficeret ex ratione adultus et expergefactus. Jam vero brutorum actiones fieri sine ratione non posse, hactenus probatum ab Adversariis haud est. Nullum praeterea suppetit fundamentum, quo ratio brutis adscribatur. Non costat demum, bruta ipsa uti revera ratione, quinimmo contrarium omnino constare videtur (§. 608.). Secus porro sese res habet de hominibus, qui adulti ac vigiles producunt effectus brutinis similes uti perspicuum per se est, Ex quo igitur laudatos effectus producat homo per usum rationis, non equidem sequitur, etiam bruta animantia per rationis usum effectus iis similes producere.

618. Hinc oleum et operam perdunt Adversarii, dum nobis obtrudunt brutorum stratagemata, industriam, sagacitatem, calliditatem, similia, quae in eorum effectibus elucere videntur puta quum vulpes, lupi, feles insidias struunt aliis animalibus; aut simia utitur felis pedibus, ut castaneas sub

brunis ardentibus delitescentes sibi extrahat; aut canis alterum amicum canem in socium adsciscit, unaque simul canem inimicum, quem ille superare per sese non poterat, quaerunt, adgrediuntur, mordent, vel etiam occidunt; quod hic Perusiae, tum alibi accidisse haud dubium est. Quamvis enim haec aliaque id genus explicari perspicue non possint, eum peculiare uniuscuisque animantis bruti genium, instinctus, temperamentum, indoles, similia, tum circumstantiae, internaeque affectiones, ideae, phantasmata, cetera nos lateant; dici nihilominus jure merito potest, nullum adhiberi usum rationis, praesertim cum ejusdem speciei bruta eumdem modum ordinem viam media, ceteris paribus atque in iisdem circumstantiis soleant adhibere, neque unquam per grandiorem aetatem vel hilum proficiant, nisi quatenus percipiunt plures res sensibiles, indeque nata materialia phantasmata numero augentur.

619. Neque aliquid nobis facessit negotii, quod sacra Scriptura sollicitam *providentiam* attribuat formicae (*a*), *intelligentiam* gallo (*b*), *prudentiam* serpenti (*c*), *et calliditatem* potissimum, qui tentavit Protoparentes nostros in ei voluptatis loco ac decepit (*d*). Nam divinae ipsae Scripturae rationem aperte negant brutis: legitur enim: *nolite fieri sicuti equus et mulus, quibus non est intellectus* (*e*): *comparatus est jumentis insipientibus* (*f*): *irrationabilia pecora* (*g*): quae quidem de ceteris animantibus dicta eodem jure intelliguntur. Quum itaque providentia, intelligentia, prudentia, calliditas, similia brutis attribuuntur, ea accipi non ita debent, ut proprie sumpta in brutis ipsis revera existant, bene vero quatenus ita se gerunt, instinctu licet caecoque naturae impetu, ut laudatas dotes affectare videantur, non aliter ac ex aliis rebus etiam plane insensibilibus vivendi agendiquae regulas sumere posse ac debere homines non semel dicuntur.

Ad

(*a*) *Prov. cap.* 6. *v.* 6.
(*b*) *Jobi cap.* 38. *v.* 36.
(*c*) *Matth. cap.* 10. *v.* 16.
(*d*) *Genes. cap.* 3. *v.* 1.
(*e*) *Psalm.* 31. *v.* 9.
(*f*) *Psalm.* 48. *v.* 13.
(*g*) 2. *Petri cap.* 2. 12.

Ad serpentis, qui protoparentes nostros tentavit ac decepit, quod attinet, ejus calliditas vel intelligenda est, ut antea dicebamus, vel potius daemoni, qui per ejus organa illos tentavit vicitque, est adscribenda.

620. Nec refert, quod bruta interdum delirent. Hoc enim fieri dicimus per unam materialium phantasmatum perturbationem, qua naturalis eorum agendi modus atque ordo non amplius servatur. Hoc igitur delirii genus rationem quae insit in brutis ac perturbetur, non equidem supponit.

621. *Dices* 1. Canis leporem insectans si ad trivium pervenerit, et neque in primo neque in altero tramite senserit ejusdem leporis odorem, tertium init sine mora et haesitatione; velut si ita ratiocinaretur: unam ex his viis arripuit lepus; atqui non primam, neque alteram: ergo tertiam.

2. Bruta callent artes, ac scientias; *astrologicam* seu *divinatricem* bruta illa, quae maris tempestates, aerisquae mutationes, aut etiam terraemotum, atque alia id genus praenunciant: *architectonicam* Castores, Apes, Aves: *textrinam* Araneae; *militarem* Tauri dum praeliaturi acuunt cornua, Ciconiae et Anates dum plures uniuntur simul, ut conlatis in unum viribus sese tueantur, Lepores Damae et Cervi dum armis destituti se dant fugae: *politicam* ac *domesticam* laudatae Apes: *medicam* bruta omnia.

3. Multo difficilius est, brutorum animam videre arborem, quam actum, quo arborem videt, agnoscere; visio enim arboris aliquo opus habet medio; at cognitio de propria visione intra ipsum cognoscens principium est, et per intimum sensum seu conscientiam immediate innotescit. Si itaque bruta sensibiles res cognoscunt advertunt etiam se eas cognoscere, et conscientiam habent, atque ideo eae in ipsis sunt actiones, quae ad rationem proprie dictam pertineant. Ita fere Petrus Bayle.

4. Si bruta cognoscunt aliquid appetuntque, sad tamen ratione destituuntur, jam Deus seipsum non amaret: creasset enim animas amoris et cognitionis capaces, nec tamen eas ad divinitatem suam diligendam cognoscendamque destinasset. Hinc etiam sequitur, brutorum animas vel in statu peccati conditas esse et necessario perseverare, cum Deum pro ultimo fine non habeant, sed creaturas; vel ab inviolabili naturae ordinisque lege tendendi ad Deum ipsum tamquam ad finem ultimum, easdem exemisse: quorum utrum-

quae

que dici sine Creatoris injuria non potest. Ita fere idem Bayle.

622. ℟. *ad* 1. Canis ad trivium ventus olfactu primam et secundam explorat viam. Statim vero ac senserit relicta a lepore in tertia via effluvia, eamdem init. Itaque non ratiocinio; sed sensatione id praestat canis. Sane si lepus emittat saltum, uti a vulpe fieri interdum solet, canis vel tertiam non init viam vel si aliquam ejusdem partem jam percurisset, iterum in vestigia sua recurrit. Cur porro? si ratiocinii vi ipsam ingressus fuisset, coeptum iter prosequeretur.

623. ℟. *ad* 2. Artes ac scientiae, quas bruta callere videntur, non sunt nisi quaedam eorum opera, ad quae solo naturae instinctu feruntur, uti ex constanti agendi modo, quem etiam a prima etate adhibent, servantque perpetuo, manifeste colligitur. Si sola id genus opera veras artes scientiasque indicarent in brutis, cur non etiam plantis herbisque artes illae adjudicantur? nam quaedam in ipsis fiunt, quae nos ingenio, studio, perspicacia non modo imitari, sed ne intelligere, quidem possumus.

624. Nonnulli ex eo colligunt, bruta melius perfectiusque, quam homines, uti ratione, quod breviori temporis spatio artes sibi proprias exsequantur. At ego ita sum comparatus ut hoc ipso nullam esse in brutis rationem existimem, nisi eo stultitiae deveniamus, ut Deum liberalius largiusque beneficia sua brutis quam hominibus contulisse arbitremur (§. 608. n. 2.). Itaque bruta ea de caussa citius vixque edita in lucem norunt, et naturali instinctu exercent artes suas, quae ad eorum vitam conservationem propagationemque sunt necessariae, quod aliter, cum destituta sint ratione, brevissime in pessum iret totum ipsum brutinum genus.

Nec mirum, si bruta quaedam velut pervideant futuras elementorum mutationes; non enim id praestant conjecturis aut ratiociniis, bene vero per unas praesentes sensationes. Quorumdam sensus sunt humanis longe acutiores delicatioresque, juxta illud:

Nos Aper auditu, Lynx visu, Simia gustu,
Vultur odoratu praecedit, Aranea tactu.

Itaque vi impressionum, quas elementa ipsa ante producunt in eorum sensibus, quam grandiora phaenomena nobis sen-

sibilia

sibilia contingant, quaedam edunt externa signa, quae illa ipsa foenomena antecedunt, ac praenunciare videntur.

625. R) *ad* 3. Exemplo infantium aperte constat, difficilius non esse animam videre arborem et cognoscere quam conscientiam et reflessionem de propriis internis cognitionibus habere. Ceterum ostendere prius debuisset *Bayle*, in brutis inesse vim, qua reflectant, suarumque cognitionum sint conscia: nam sine ipsa nulla esse potest conscientia reflexio nulla, aliunde vero supponi ipsa non potest, quia simul illud ipsum supponatur, quod praesentis disputationis caput est ac summa.

626. R). *ad* 4. Brutorum anima est capax cognitionis, et amoris tantum, quibus apprehendant objecta sensibilia, atque in eadem ferantur, non autem quibus Deum sibi repraesentent ac diligant. Si aliter supponit Bayle, supponit illud ipsum, quod in controversia versatur: nam cognosci diligique nisi ratione non potest Deus, de qua ratione cetoroqui hoc loci disputamus*. Porro ad Deum veluti ad finem ultimum tendunt bruta eo prorsus modo, quo ad ipsum tendunt res ceterae etiam quovis sensu destitutae (*q.* 12.). Falsum est itaque Deum si quidem bruta carerent ratione, seipsum non amare.

627. *Ob. contra prop.* 2. Atque imprimis jumenta ne ingeminatis quidem verberibus adduci interdum possunt, ut iter progrediantur; quod equidem libertatis, qua in sua pervicacia persistunt, manifesto est indicio.

2. Si duo lepores ad canis latratum ex communi nido assurgant; pergatque alter per unam viam, per alteram vero alter; canis ad nidi locum ventus subsistit parumper, deinde duarum alteram eligit directionem. Nonne hic manifeste elucet consultatio, electio, libertas?

3. Quae necessario agunt, agunt semper constanterque juxta vis majoris impressionem: tum si inter duas aequales contrarias vires fuerint, neutri obsequuntur. Porro utrumque falsum videtur in brutis. Primum quidem: si enim cani integrum panem, simulque panis frustulum exhibeas, hoc alterum prae illo sibi arripere deprehendes. Sed etiam posterius: quis enim sibi persuaserit, jumentum fame perire, si inter duo aequalia prata hinc inde sita collocaretur?

4. Praemiis aut poenis affici ab hominibus solent bruta. Idne, si nulla omnino inesset in brutis libertas?

628.

628. ℟. *ad* 1. Infantes quoque atque amentes, qui sicuti rationis usu, ita etiam usu libertatis destituti sunt, non semel ne ictibus quidem determinantur. Itaque brutorum pervicacia non libertate: sed vel ex alicujus praesentis objecti mali cognitione, vel ex idea mali praeteriti rursus excitata, vel ex imperfecta objectorum visione, aliisve sensibilibus caussis eorum naturae inclinationique contrariis procedit.

629. ℟. *ad* 2. Canis ad communem leporum nidum ventus ac paramper subsistens non consultat non eligit libere, sed ob utriusque leporis efluvia veluti confusus odoratu viam explorat, eamque tandem arripit, in qua majore efluviorum copiam experitur.

630. ℟. *ad* 3. Utraque objecta caussarum necessariarum lex in brutis semper constanterque servatur. Magis quidem integer panis quam ejus frustulum in canem agit; ipse tamen hoc prae illo sumit eo quod una cum idea integri panis excitatur etiam idea doloris, minae vel alterius incommodi, quod alias perpessus fortasse est; dum illum sumpsit vel sumere pertentavit. Hinc ne frustulum quidem panis sibi arripiet, si alias illud sumentem percusseris. Similia in infantibus nostris observamus.

631 Ad legem alteram quod attinet, equidem fame moreretur jumentum, si inter aequalia seu indiscernibilia collocaretur prata, nihilque esset sive in aliis circumstantiis, sive in ipsius jumenti corpore animaque sensitiva, cur ad unum potius pratum quam ad alterum divertatur. Si id genus phaenomenon observari nunquam potuit, non ex jumenti aut alterius cujusvis bruti libertate procedit; sed ex quo fieri aut ne vix quidem possit, ut omnia omnino sint paria vix aut in re, de qua agimus.

632. ℟. *ad* 4. Qui praemium vel poenam, quatenus boni vel mali meriti moralis rationem involvunt, brutis animantibus impenderet, esset pertidiculus, ac Xersem, qui mare caedi jussit, stultissime imitaretur.

QUÆSTIO V.

Utrum Brutorum animae sint mentes humanae in eorum corpora revolutae; vel Daemones, qui in eadem detrusi a Deo fuerint?

Placita Philosophorum.

633. Mentes humanas ex humanis corporibus in corpora brutina, atque ex his in illa migrare, opinati sunt pythagorici

rici Platonici, iique plures, qui *metempsychosin* docuerunt (*Psycol* §. 176.). Brutorum animas esse malos daemones, commentus joco est P. Bougeantius Jesuita (a), palinodiam cantaturus (b). Hujus commenti vestigia aliqua in celebri apud Ægyptios elucent fabula de *Typhone*, quo nomine *Tartarum* sive *malos Genios* intelligebant, cujusque animam putabant in bestias avolasse. Bougeantio praelusit etiam Abbas de Villars (c), cujus doctrina est, aerem, terram, aquam, et ignem spiritibus scatere. Illos aeris, quos avium animas esse docet, *Sylphos* appellat; *Gnomos*, qui in aere sunt, eosque scribit quadrupedes informare; *Nymphas*, qui sunt in aqua, unde piscium animae tandemque illos ignis Salamandris aliisquae, siquae sunt brutis in igne viventibus adsignat. Sed nemo fortasse erit, qui unam aut alteram ex laudatis opinionibus serio adprobaverit.

PROPOSITIO

Brutorum animae nequae sunt mentes humanae in eorum corpora revolutae, neque daemones in eadem a Deo detrusi.

634. *Pr.* 1. *pars.* Mentes humanae et ratione et libertate sunt praeditae. At his dotibus bruta plane destituuntur (§. 608. 609.). Deinde humanorum animorum transmigratio commentitia omnino est ac fabulosa, quinimmo catholico dogmati aperte adversatur. (*Psychol.* §. 177). Igitur brutorum animae non sunt mentes humanae in eorum corpora revolutae *Q. E.* 1 *pars.*

635. *Pr.* 2. *pars.* Daemones saltem ratione donantur: sunt enim spiritus humanis ipsis mentibus longe nobiliores. Cum itaque brutorum animae non sint ratione praeditae (§. 608.); ne sunt quidem daemones a Deo in illorum corpora detrusi. *Q. E.* 2. *pass.*

Contraria Bougeantii argumenta convelluntur.

636 Ob. Praeter ea argumenta, quibus rationem adjudicandam esse brutorum animae ostendere conatus est Bougeantius,

(a) *Amusement sur l' Ame des bêtes.*
(b) *In Epist. ad Abbatem Gavalettum.*
(c) *De scientiis arcanis.*

antius, quaequae superius extricavimus, addi etiam haec alia possunt, 1. Si brutorum animae sunt mali daemones, facile intelligitur, quamobrem et excruciari ab hominibus queant, quin isti sint crudeles, et doloribus subjiciantur, quin injustus sit Deus: nam justissimas luerent impiae desertionis poenas, eorumque superbia retunderetur, quoad post universale judicium aeternis ignibus deputentur.

2. Quaedam bruta sunt hominibus noxia. An porro Deus summe bonus naturas condidisse dicendus est, quae perpetuo ipsis hominibus mala intentarent? Consultius asseritur, eorum animas esse malos daemones, qui propria jure spoliati, alienae hoc est hominum invident felicitati.

3. Sicuti omnia alia, quae fecit Deus ita etiam bruta erant in mundi exordiis valde bona. Nunc autem effrenem habent idolem, adeo ut alia perfidiae, luxuriae alia, alia immunditiae, aut alterius cujusvis vitii exemplar merito censeantur. Vel igitur eorum animae sunt mali daemones, vel ex scipsis effectae sunt malae, propriamque bonam indolem ac naturam mutarunt. Hoc autem alterum dici nullatenus potest: ergo primum illud.

4. In serpente, qui Evam decepit, malus daemon procul dubio hospitabatur, et quidem ita, ut esset ejus anima: quid enim peccavisset serpens, si ejus anima non fuisset malus daemon, sed hic eo tantum usus esset, ut Evam deciperet? poenam tamen serpenti inflixit Deus, eumque ad comedendam terram damnavit.

637. ℟. ad. 1. Quamvis brutorum animae non sint mali daemones, attamen neque injustus est Deus, qui ipsas subjecit doloribus, neque crudeles sunt homines qui bruta ipsa excruciant (§. 580.). Asserere, autem malos daemones modo plecti in brutinis corporibus, deinde vero post universale judicium aeternis ignibus deputari, quasi durior eorum poena ad tempus illud deferatur, haud scio, an cum veritate christianae Religionis cohereat, quae docet, ipsos malos daemones promeritum supplicium statim post culpam recepisse.

638. ℟. *ad* 2. Homines ipsi sibi promeruerunt per culpam, ut quaedam bruta eisdem essent noxia (§. 435.). Tum si noxia sunt, quamvis eorum animae non sint mali daemones, an minus noxia, si mali daemones bestias informarent? Certe si illud divinae bonitati repugnat, eidem haud dubie multo magis repugnaret hoc alterum.

639.

639. ℟. *ad* 3. Vitia, quorum exemplar sunt bruta, in ipsis brutis vitia non sunt, cum omnia et singula eorum naturae sint consentanea, et ad conservationem sui, proprieque speciei propagationem ordinentur. Ea porro de caussa nonnula, quae bruta sine crimine efficiunt, vertuntur vitio hominibus, quod rationali eorum naturae consentanea non sint, et utpote libertate praediti mores suos ad Legis pracepta componere teneantur. Ceterum si bruta, qualia in mundi exordiis creavit Deus, erant valde bona; non ergo eorum animae dici poterant mali daemones. An fortasse dixeris, Deum illa sine ulla anima, quae eadem informaret, primitus condidisse? effutire istud est, non serio philosophari.

640. ℟. *ad* 4. Malus Genius hospitabatur quidem in serpente, qui Evam tentavit; non ita tamen ut animae belluinae officio fungeretur. Nec mirum, si Deus serpenti quamvis nullo per sese foedato morali crimine maledixerit. Imprimis enim poena; quam eidem inflixisse videtur Deus daemonem potius, cujus caput mulier omnium excellentissima erat conteritura, quam naturalem serpentem attinet: hic enim suapte natura graditur super pectus suum, ac terram comedit. Tum si quod naturale ipsi erat, versum eidem quodammodo fuit in poenam, sicuti coelestis iris, non immutata ejus natura, destinata a Deo fuit in signum foederis; id factum fuisse ea de caussa dicimus; quod serpens fuerit instrumentum, quo diabolus protoparentes deciperet. Deus interdum veluti exsecratur etiam inanima ipsa instrumenta peccati, ut homines peccatum ipsum exsecrentur. Immo vero ob unam Adami noxam Deus terrae maledixit, quamvis haec nihil omnino ad culpam illam contulerit.

Scholion Generale.

641. Saepius neque inconsulto, diximus, brutorum animam non esse *communem* materiam. Nam si alio in sensu *materiae* nomen usurpetur, non deerit fortasse, qui ipsam esse posse materiam arbitretur. Rem evolvamus. Duo supponi possunt, quae si vera non sunt, ne sunt quidem *absolute* impossibilia. Alterum est, omnium prima corporum principia seu elementa esse physice simplicia, indivisibilia, inextensa; scilicet nullis omnino ex partibus physicis constare. Hoc systema praeterquamquod pluribus non ex veteribus modo, sed etiam ex recentioribus probatum est, iis etiam rationum momentis fulcitur, ut fortasse si non omnino

certum, saltem verisimile videatur. Ad minus nemo, opinor, est, qui sepositis praejudiciis, tamquam *absolute impossibile*, ac *metaphysice* repugnans illud traducat..

642. Alterum est, prima haec corporum elementa, ipsaque corpora nullam omnino vim habere, quae sit uisdem intrinseca, sed vires quasque seu potius determinationes, quas habent, non esse nisi extrinsecam Dei legem, qua Deus ipse actione sua seu voluntate materiales omnes substantias moveat modificet, determinet. Newtonus (quidquid hac super re alias senserit), Boschovichius quoque, aliique salebrosam hanc Physicorum inquisitionem in medio reliquerunt, ne in vastum gurgitem profundumque sese injicerent, e quo fortasse emergere aut nullo modo aut nonnisi difficillime potuissent. At Malebranchius ceterique Occasionalistae asserere non dubitarunt, substantias materiales vi quavis sive effectrice sive etiam mere activa plane destitui, earumque modificationes a nulla creata re, ne a spiritibus quidem etiam nobilissimis sed a solo Deo immediate provenire (*Ontol.* §. 297.). Haec etiam hypothesis non est *absolute* impossibilis: si enim possunt res creatae modificare corpora, uti opinantur alii quique philosophi, cur hoc idem efficere se solo non posset Deus, quin nempe ullas omnino creatas caussas in socias sibi adsisceret?

643. Hisce praestitutis, videri fortasse nonnemini poterit, brutorum animam esse posse aliquod ex laudatis simplicibus elementis, cui Deus intrinsecam cogitandi vim (seclusa tamen ratione ac libertate) concesserit.

644. Atque ut perspicui simus, unum tantum ex iis ipsis principiis attente spectemus. In eo nihil praeterea deprehendimus, nisi *physicam* ejus *simplicitatem*, atque *attractionem*, *repulsionem*, *gravitatem*, *impenetrabilitatem*, *inertiam*, similia, quae elementis, quatenus elementa sunt, convenire dignoscimus. At nulla apparet *absoluta* repugnantia, substantiam simplicem posse vim habere cogitandi, imo vero simplex sit oportet, uti in Psychologia luculenter demonstravimus. Tota itaque, siqua est, repugnantia derivari posset ac deberet ex laudatis determinationibus, quas habere debent elementa, adeo ut conciliari cum ipsis nullatenus queat cogitandi vis, aut ipsa actualis cogitatio. Verum nulla omnino apparet *absoluta* id genus repugnantia. Rem hanc expendamus accuratius distinctiusque, ac primum ab attractione et repulsione exordiamur.

645. Ergo sit aliqua substantia simplex vi cogitandi donata, *Attractio* in laudata hypothesi non esset nisi *determinatio* a Deo procedens, qua ipsa substantia simplex ad alteram accedat. At numquid Deus omnino non potest, substantiam illam ad accessum ad alteram substantiam ea de caussa determinare, quod ipsa vi cogitandi sit praedita? non sane neque enim cogitandi vis praepedire potest, quominus Deus omnipotenti virtute sua in substantiam creatam, quae ipsa cogitandi facultate donata est, ita agat, ut eam versus quamcumque aut substantiam aut locum, et quidem quocumque impetu inclinet moveat determinet. Hoc idem dicendum est de *repulsione*, quae in laudata hypothesi non esset nisi *determinatio* ab eodem Deo procedens, qua memorata substantia simplex a substantia altera recederet.

646. *Gravitas* in hac eadem hypothesi esset *determinatio* item a Deo procedens, qua substantia illa ad commune aliquod, puta ad Telluris centrum tenderet. Quid porro vetat, quominus Deus possit extrinsece ipsam ad hunc locum sicuti ad quaevis alia perpetuo urgere?

647. *Impenetrabilitas* non esset nisi *determinatio* ab eodem Deo procedens, qua fieret, ut nulla alia substantia eumdem locum occupet seu loci punctum, in quo esset memorata simplex substantia. At Deum praepedire posse, ne una substantia alterius substantiae locum occupet, certo certius nemo negaverit.

648. Haec eadem dicta sint de *motu*: perspicuum namque est, Deum substantiam simplicem cogitantem posse ab uno ad alium locum statis legibus deferre.

649. Quare una superest *inertia*, quae pugnare cum vi cogitandi videtur: per illam namque nequit substantia sese determinare, per vim autem cogitandi determinare se posset, ut inde spontaneas actiones suas producat. Verum quaenam est *absoluta* repugnantia, quod laudata substantia simplex inertiae legem non servet, seu, juxta vulgarem loquendi formulam; inertia penitus destituatur? inertia enim non esset nisi *determinatio* a Deo procedens. qua substantia vel in motu vel in quiete perseveret, nisi ab eo statu ab alia externa caussa deturbetur. Hujus determinationis legem, quae in communi materia constanter servatur, potest Deus auferre quoad eam simplicem substantiam, cui vim cogitandi concesserit, immo vero eo ipso aufert, quod intrinsecam cogitandi vim eidem contulerit. 650.

650. Necesse non est, ut cetera persequamur : facile enim quisque per se poterit, reliqua omnia, quae communibus elementis conveniunt, cum laudata substantia vi cogitandi donata simul conciliare.

651. Non itaque *absolute* repugnat, brutorum animam esse saepius laudatam substantiam simplicem, cui intrinseca cogitandi vis concessa a Deo fuerit. Sed quonam eam nomine adpellabimus? Non equidem *spiritum* : hoc enim nomine ea substantia appellari consuevit, quae quibuslibet materiae proprietatibus destituta est. An *materiam cogitantem*? repugnabunt certe, qui *materiae* nomine nonnisi aggregatum substantiarum materialium intelligi posse putant. Quamquam lis esset de nomine quid enim vetat, quominus substantiam, sive simplex sit sive composita, communi nomine vocemus, dummodo tamen deinde in *simplicem* et in *compositam* eamdem distinguamus? Appellabimus itaque *substantiam materialem simplicem cogitantem*. *Materialem* quidem, cum attractione, repulsione, ceteris, quae etiam ad reliqua corporum elementa pertinent, donata supponatur : *simplicem*, cum nullas habeat physicas reales partes, ex quibus coalescat : *cogitantem* demum, cum praedita esset cogitandi vi, ac re ipsa cogitaret. Quod si eam esse dixeris substantiam spiritum inter et materiam *mediam*, per nos licet ; re ipsa namque neque esset purus spiritus neque pura materia, si talis foret, qualem in memorata hypothesi esse posseconcipimus.

652. Brutorum anima in hac eadem hypothesi et a mente humana et a qualibet alia communi materiali substantia plane essentialiter discriminaretur. A priori quidem : mens enim humana non modo ratione ac libertate donatur, quibus ceteroqui careret anima brutorum, sed etiam non eas habet extrinsecas determinationes, seu attractionem, repulsionem, cetera, quae belluinae animae omnino convenirent. A posteriori autem : nam alia quaevis communis substantia materialis destituta est instrinseca cogitandi vi, quam ceteroqui brutorum anima habere diceretur.

653. Preterea in hac hypothesi neque de novo crearetur brutorum anima neque in nihilum redigeretur. Plane sufficeret, si Deus alicui praeexistendi elemento simplici concederet laudatam cogitandi vim, illudque ab inertiae lege eximeret. Postquam vero suo functum fuerit officio, posset ad communium ele-

men-

mentorum conditionem destinare, si antea concessa cogitandi vis ab eodem auferatur, subjiciaturque communi inertiae legi.

654. Tandem moderatus quoad brutorum animas *Traducianismus* hypotheseos loco defendi non immerito posset: quid enim vetat, quominus Deus simplex illud elementum quod futurum est anima filii, vel adhuc praexistens in patre; vel saltem statim ac in machinulam filii dejectum fuerit, vi cogitandi exornet?

Haec non eo animo disseruimus, ut tanti momenti rem definiamus. Conjeectare semper licuit etiam Philosophis. Erit fortasse, qui hanc Hypothesim omnino rejiciat; sed esse etiam poterit, qui eamdem approbet promoveatque, tum alia ex aliis deducendo bona tandem in luce illud collocet, quod per tot saecula doctorum hominum torsit ingenium, eosque in opiniones tam varias tamque diversas distraxit;

FINIS.

Prop.

SECTIO III.

Pro-

APPENDIX PRIMA.

APPENDIX ALTERA.

Pro-

FINIS.

ERRATA			CORRIGE
14	28	ingenuo	ingenue
16	40	uturque	uterque
20	9	collectus	collectos
24	32	usitassima	usitatissima
39	25	pertinet	pertinent
60	35	quolibet	quodlibet
64	30	Huttentorti	Huttentotti
65	24	itelica	italica
77	5	generali	generari
104	22	atque idea	atque ideo
114	26	in Dei	in Deo
164	24	finitia	finita
	29	Heque	Neque
179	38	*Deum*	*Dum*
215	14	selectoribus	selectioribus
219	3	poena	poenae
248	29	jare	jure
278	40	Antonium	Antoninum
290	4	quid	qui
291	28	consulatione	consultatione
305	35	brutm	brutum
306	37	precipit	percipit
313	4	aimae	animae
	11	prefixit	praefixit
314	10	ℵ) 2 ad	ℵ) ad 2.
322	20	potissimum in ei voluptatis	ei potissimum in voluptatis
326	4	non libertate	non ex libertate
	33	pertidiculus	perridiculus
	24	aut ne vix	aut vix, aut ne vix
327	21	paedite	praeditae

REIMPRIMATUR

CAROLUS PHILESIUS EPISCOPUS PERUSINUS

REIMPRIMATUR

FR. JOANNES ANDREAS LUVISI INQ. GEN. PERUSIAE

VISTO

DA NOI DELEG. APOST. DI PERUGIA

ADRIANO FIESCHI